UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Quibus Totum Hominis Christiani Officium Explicatur; Quídque is fugere, quid agere debeat, quàm exactissimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindelicorum, Anno M.DCCXII.

VD18 90637038

urn:nbn:de:hbz:466:1-51633

Visual Library

Th. 3010.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HOMO
CHRISTIANUS
IN SUA LEGE INSTITUTUS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Serva Mandata. Matth. 19
Quid boni faciam ut habeam vitam æternam?

HOMO CHRISTIANUS

IN SUA LEGE INSTITUTUS.

SIVE

DISCURSUS MORALES

QUIBUS

TOTUM HOMINIS CHRISTIANI OFFICIUM EXPLICATUR;

Quidque is fugere, quid agere debeat, quàm exactissimè traditur.

Collegii Paderborn Soc. Jesu. Anno 1720.

AUTHORE

R. P. PAULO SEGNERI

SOCIETATIS JESU.

Liber & Pastoribus Animarum summè utilis, & privatæ

Cujuslibet lectioni apprimè deserviens.

Editio tertia Latina, priore multò emendatior,

Et Authoris non ita pridem vitâ functi Elogio auctior.

Addita, præter Indicem Rerum, Tabula,

Quæ docent, quis quolibet Dominico, aut Festo per annum die Discursus ad dicendum pro Concione serviat.

PARS PRIMA.

Cum Gratia & Privilegio Sac. Cæs. Majest. & facultate Superiorum.

AUGUSTÆ Vindelicorum & DILINGÆ,

Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD, Bibliopolæ.

ANNO M. DCCXII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CELSISSIMO AC REVERENDISSIMO
S. R. I. PRINCIPI
AC
DOMINO, DOMINO
MARQUARDO RUDOLPHO
EPISCOPO
CONSTANTIENSI
DOMINO AUGIÆ MAJORIS
ET OENINGÆ &c.

Celsissime, Reverendissime Princeps ac Domine,
Domine Clementissime.

EX quo primùm negotiationem librariam aggressus sum, id mihi semper animo propositũ fuit, ne res singulari Dei munere mortalium Reipublicæ concessa, qualem esse artem Typographicã nemo sapiens dubitaverit, meo vitio cuiquam obesset: id quod certò futurum erat, si libri æternis tenebris dignissimi, meorum typorum maleficio, potiùs, quàm beneficio, lucem aspicerent. Quam tamen nocentissimam artem multi, prô dolor! factitant, & lucrum ex aliorum pernitie, & sempiterna quidem, iniquissimum utique, venantur. Tantam impietatem, & sacrile-

crilegam nundinationem, quantum par est, perosus, in id magnis conatibus incubui, ut nihil mea ex officina unquam prodiret, nisi quod esset honestissimum; nihil inquam, nisi quod aut puræ castæque Musæ elucubrâssent, aut quod ad ipsum DEUM, finémque ultimum, libenter ab unica sua felicitate ceteroquin deviaturas Mortalium mentes, rectissimà deduceret; & jucundissimis simul, ac innocentissimis illecebris ad omnem virtutem, ac vitæ sanctimoniam pelliceret.

Neque verò à scopo me aberrâsse existimo: cùm meis typis plures jam decades, & tantùm non centuriæ, librorum excusæ, sinceræ utilitatis, non tantùm nostræ Germanicæ, sed alijs quoque Nationibus, quas Latini Idiomatis peritia pulcherrimo quodam fœdere jungit, attulerint. Ex omni autem, magnorum etiam voluminum, numero, nescio, an ex ullis à multo tempore plus in Rempublicã Christianam redundârit emolumenti, quàm ex ijs, quos Italico Idiomate vir Eruditione, Sacrâ Eloquentiâ, & juvandarum Animarum ardentissimo studio, multis Principibus, & illi maximè, qui hodie Universam Ecclesiam sapientissimè, sanctissiméq; moderatur, Principum Principi carissimus, vulgavit; & quos vel nostro, vel latino sermone loquentes, alij boni cõmunis studiosi, reddidere. Horum ego cùm plures antehac edidissem, plurimáſq; ac maximas eorum lectitatione utilitates allatas abunde cognovissem, ad hunc quoque, qui præ manibus est, cum Germanis nostris, aliísque latinè scientibus cõmunicandum, animum adjeci; & tandem, quæ DEI Bonitas est, etsi non absque maximis meis laboribus & molestijs, quæ inter conandum (mali utique

Dæmonis

Dæmonis invidiâ) aliæ ex alijs identidem naſcebantur, aſſecutus ſum.

Hoc autem quid libri ſit, quantum ex eo utilitatis in publicum emanaturum videatur, non alio quàm tuo, Princeps Sapientiſſime, calculo, an veriùs Oraculo? affirmandum mihi judico. Eum enim Reverendiſſima Celſitudo Tua frequenti, iteratáque lectione ſibi fecit planè familiarem; neque tot inter, non de Diœceſi tantùm ampliſſimâ, & inter omnes Europæas, quod quidem ego ſciam, vaſtiſſimâ, curas; ſed inter graviſſimas etiam, quas tempora noſtra planè miſera, & tot annorum atroci bello invectæ calamitates poſtulant, ſolicitudines, alienum à ſe duxit, hunc, blandiri neſcium, etſi Authoris ſui tantùm linguâ loqui doctum, crebrò audire monitorem. Quæ quidem res an in majorem tanti Principis, an verò Authoris cõmendationem, ac laudem cedat, non facilè dixerim; cedit certè in maximã utriuſque. Principis quidem, quia quiſquis tantâ rerum agendarum mole obrui ſe non patitur, quò minùs ſibi quoque vacet, & ijs, quæ meliorem reddere ipſúmmet poſſint, conſtantem det operam, næ illum & abſolutæ omnibus numeris virtutis ac ſanctimoniæ, &, quod virtute Principum, ſiquâ re aliâ, maximè nititur, boni communis oportet eſſe ſtudioſiſſimum. Hæc autem eſt brevis quidem, ſed clariſſima laudum in Principe omnium atque encomiorum ſynopſis. Talis enim qui ſit, non poteſt profectò non eſſe optimus: ſiquidem tam bonus quiſque eſt, quantum eſſe conatur; nec tam refugæ, & amari peroſæ virtutes ſunt, ut tergum obvertant amplexum paranti: cùm ergo, qui ita negotijs

tijs se graviſſimis commodat, ut ſui nunquam ſit immemor, haud dubiè conetur eſſe optimus, talis quoque ſit neceſſe eſt. Authoris porrò, & libri laus utique ſumma eſt, à Sapientiſſimo Principe, imò Principe Sapientum, ex innumeris & præſtantiſſimis ita deligi, ut unus ipſe potiſſimùm audiatur, unus propè ipſe in manibus, & oculis habeatur,

Hæc verò cùm ita ſint, neque Tibi, Celſiſſime & Reverendiſſime Princeps, nec cuiquam alteri mirum videri poterit, quòd Tua potiſſimùm in fronte libri hujus ſpectentur Inſignia (quæ cognomines Celſitudini Tuæ Reverendiſſimæ Heroes ſtipant, hinc S. MARQUARDUS Epiſcopus Martyr, inde Rudolphus I. Imperator Auguſtiſſimus) Tuum legatur nomen, Tibi, verbo, ſacrum dicatúmque librum ipſum ignotus ego velim. Cui enim potiùs offerantur dona, quàm cui certò videantur placitura? cui libri, niſi illi, qui unicè deſideret, eos à quamplurimis volvi, revolvíq;, & quem prior ipſe invenerit, cum alijs quoq; communem fieri theſaurum? Eo certè ex bonorum gernere libri ſunt, quæ cùm evadunt plurimorum, ita tamen locupletant ſingulos, ut nihil cuiquam ex aliorum cõmunione decedat. Invidus omninò foret, & boni cõmunis oſor acerrimus, qui non, ne ipſe privetur, ſed ut alij careant, magni boni notitiam privatam vellet eſſe, non publicam. HOC à vitio, tam turpi, támque indigno, cùm Reverendiſſima Celſitudo Tua abſit longiſſimè; cúmq; ipſa nihil cupiat ardentiùs, quàm ut qui ſibi Paſtori crediti ſunt, pinguiſſimis pabulis paſcantur, & paſcant; utriq; autem huic fini liber iſte, ſiquis alius, aptiſſimè ſerviat; nihil etiã deſiderabit vehementiùs, quàm

ut

ut illo, tum alij innumeri, tum ij præcipuè, qui maximo numero per latissimè porrectam Diœcesin animas pascendi curam susceperê, sic utantur, sic fruantur, ut inde plurimum utilitatis in oves omnes dimanet. Quod cùm ad hanc diem, ob ignotum plerisque idioma non licuerit, ut æquissimis tanti Principis votis obsecundaret, latinè loqui didicit, sícque omnium oculis ejus velut manibus offerri gestit.

Sic scribebam, cùm primùm Liber iste novo suo habitu in lucem prodiret. Non fefellit me spes, sed tanti Principis encomio commendatus, & suâ ipse præstantiâ non invisus, brevi temporis spatio à tam multis expetitus, fructu tam multiplici, in Sacris maximè Asceterijs, lectus est, ut, ne communi bono deessem, denuo illum prælo subjicere coactus sim; in hoc tamen sibi dissimilem, quòd nunc non paucis mendis sublatis rectiùs pluribus locis loqui didicerit. Nolebat autem is etiam hoc sub schemate in alias priùs venire manus, quàm in illas, à quibus tantum antea pretij & æstimationis illi accesserat: non dubia spe, se nunc quoque tanti Principis oculis non displicituram; & si his placuisset, satis istâ suâ sorte compluribus alijs fore commendandum.

Ita explicatis libri hujus Reverendissimæ Celsitudini Tuæ etiam altera hac vice, nuncupandi causis, nolo deinceps laudibus ejus commemorandis esse molestus. Eorum, Princeps Clementissime, es paucorum è numero, qui malunt facere laudanda, quàm, quæ fecerint, audire, aut legere laudata. Satis est, quòd Tuam illam Sapientiam, rerum agendarum summam peritiam, in providendo solertiam, in administrando indu-

 striam,

ſtriam, omnibus, nullâ ſuarum utilitatum ratione habitâ, commodandi perpetuum ſtudium, in egenos beneficentiam, in DEUM pietatem, honoríſque Ejus promovendi ardentiſſimam voluntatem, verbo, decora omnia, quæ Ordinis Eccleſiaſtici Principem ornant, non Diœceſis magìs tibi cariſſima, quàm tota Germania, totum Imperium, & quos nunc cum Imperio arctiſſima connectunt fœdera, ament, venerentur, admirentur. Ego tandem aliud pro me nihil opto, quàm ut talis tantúsque Princeps juvet conatus, faveat ſtudijs, probet induſtriam meam, qui ſuas tantùm res agentium, ſuæ ſtudentium, quieti exoſus vilitatem atque ignaviam, id quibus poſſum modis curo, ut typorum meorum beneficio in Germaniam, quin in orbem univerſum, ex libris pulcherrimis in lucem datis, utilitates & commoda redundent infinita: quæ ſi me ſors beat, profitebor æternùm

Reverendiſſimæ Celſitudinis Tuæ

Honori ac Nomini

Clientem & Servum poſtremum, addictiſſimúmq;

Joannem Caſparum Bencard.

PRÆFATIO
INTERPRETIS AD PASTORES ANIMARUM.

VEstro, vestrarúmque ovium bono, Virorum lectissimi, liber hic, postquam Italica, jam per aliquot annos, fatigavit præla, latinè loqui doctus, in lucem prodit. Vestrum est, commissos greges pascere doctrinâ, pascere exemplis, pascere Sacramentis; si rectè vestri muneris partes his paucis Angelicus Doctor complexus est. Postrema duo quomodo ritè faciatis, tum alij multi, tum quem non post multos menses, si DEUS conatibus nostris adfuerit, hi ipsi typi excudent, liber ejusdem Authoris docebit. Prius illud, quomodo rectissimè, & summo creditarum Animarum bono præstetis, ex hoc, quod in manibus est, triplici volumine præclarè discetis. At hoc denique, non deerunt, qui dicant, est actum agere: cùm & aliàs, & ultimis maximè his lustris, optimorum Authorum præstantissima ex typographicis officinis, hujus etiam, qui istud obtrudit, Bibliopolæ, prodierint opera, quibus, quod hoc pollicetur, cumulatissimè efficitur. Sunt ad manum Dissertationes, Sermones, Conciones in Dominicos, in festos Divis Cælitibus, & Sacros altissimis nostræ Religionis Mysterijs dies, magnâ eloquentiâ, suavi facundiâ, methodo ad animos permovendos aptissimâ scriptæ tam multæ, tamque insignes, ut inopes propè nos copia faciat. His autem quid docetur aliud, quàm Christiani hominis officium? quàm, quid sequi ille, quid fugere debeat? Hoc ergo, & nihil aliud, cùm liber iste polliceatur, an non, ut diximus, actum agit?

Audio hæc; sed non probo; quod bonâ vestrâ veniâ fiat, Pastores optimi. Nam inprimis, si tam multorum, tam multæ lectissimæ extant Conciones, & quos appellant, Discursus, quidni tam multos inter, his quoque locus sit? Non alia semper, etiam quos habetis, alij dicunt, sed aliter; & alius huic, alius alteri præplacet: quidni & multos sit invenire, quoniam non omnes leguntur ab omnibus, qui omissis alijs hunc deligant, hujus doctrinam, hujus methodum amplectantur? Sicut post plurimos, qui Conciones ac Sermones in quadraginta verni Jejunij dies ediderant, haud pauci tamen inventi sunt, quibus nostri potissimùm Pauli Sermones probarentur, eos lectitarent, inde Audientibus salutaria monita proferrent, torpentes animos vehementer excitarent. Quidni sortem eandem Dis-

cursus isti sibi promittant; maximè ex quo Europa jam didicit, qualem DEUS Paulum huic nostræ ætati indulserit? Plurimos utique, antequam Petri Cathedram ascenderet, nobilissimos Oratores audierat Innocentius XII. Sanctissimus Pontifex & Pastorum Pastor: non alium tamen illo, quam Senem hunc nostrum, non uno certoquin ætatis provectæ incommodo laborantem, frustráque se excusare conatum, audire Apostolicis è rostris voluit? quidni eodem, quo Sapientissimus hic Monarcha, multi & judicio, & gustu sint? Si Italis, qui fermè hebeti palato esse non solent, nec pingui Minervâ, aut obsis naribus, sic tamen liber iste placuit, ut plura, quod dicebam, inter eos præla fatigaret; an Germanorum, aut aliorum eis Appenninum, qui tamen peregrina fermè suis, & domi natis, præhabent, non idem erit sensus, non eadem æstimatio?

Sed missa ista facio, etsi procul dubio sufficiunt ad ea, quæ objecistis, refellenda. Istud edicite. Si tantum est eorum librorum, qui Christiani hominis totum officium docent, quî fit, ut istud passim tam multi ignorent, tam pauci faciant? quî fit, ut cùm nonnulli aliquos ex his Discursibus, vixdum latinè loqui doctis, legunt, confestim admirabundi exclament: cur talia à nostris Concionatoribus non audimus? quî fit, ut quos his in partibus Ecclesiæ è gremio Hæresis abstraxit, errores suos, quàm vera multi è Nostris Dogmata, calleant accuratiùs, apparentibus rationum firmamentis stabilire nôrint solertiùs? An quia vos populum alloqui, superiore è loco vestros erudire negligitis? Esset id enim verò partem muneris vestri præstantissimam non implere: cujus ego vos sceleris arguere nec volo, nec audeo: siquis uspiam talis esset, huic aurem non lentè vellicaret Paulus noster Paræneſi, quam parti hujus operis tertiæ annexuit. Sed quod inter Italos non valdè rarum est, in hoc Germani nostri, quæ est Sacrorum Magistratuum vigilantia, non sæpe delinquunt. Ut autem hâc à noxâ pleroſque purgare non est difficile, ita asserere, quòd in materiæ delectu, tractandi methodo, eloquendi ratione, nunquam, aut rarò peccent, esset operæ longè difficillimæ & nimis crebrâ experientiâ evidener confutatum.

Istud faciliùs dixerim: multos non suâ voluntate, sed alieno ductu delinquere; dum non quos eligunt (hoc enim neque judicio multi sunt, ut inter apta, inepta, aptè distinguant; neque ita libris nonnulli abundant, ut delectui locus sit) sed in quos vel sorte non bonâ, vel aliorum imperitorum

rum judicio, insiderunt, Authoribus ad suas Conciones elaborandas utuntur, aut etiam eorum ferè verba Auditoribus adnumerant. Sunt autem, ut res loquitur, profectò non pauci, qui vera dicere non audent; necessaria vel non attingunt, vel obiter prætervolant; utilia rarò inculcant; salutaria ignavè omittunt: peregrina, curiosa, studiosè consectantur. Aut cùm dicunt utilia, dicunt inutiliter; vel quia non ad captum audientium, vel quia alienâ à loco, & gesticulatoriâ dicendi ratione, cachinnos, non lachrymas provocant audientium, & tum sibi belli, ac quolibet umbone digni Oratores videntur, cùm effuso risu Templa personant, & domum, qui intererant, fuerunt, unde in Circulis jocentur, & rideant, non unde meliores fiant. O erubescendam sacra pulpita profanantium fatuitatem! Quid interest inter mutos, & inter loquentes, quæ, & quomodo non oportet? quid inter nullum ministrantes pabulum, & inter præbentes nihil profuturum? Sanè utroque modo fame pereunt, quibus frangere panem sacros Pastores decet. Quàm multis ad ravim declamantibus occini illud Bilbilitani posset? *Si sudare aliter non potes, est aliud*: aut illud Sapientis, (a) *Quid prodest illis, nisi labor?*

O Pastores Animarum! qui voluit & jussit, ut ad commissos curæ vestræ greges concionabundi diceretis, idem jussit, ut quæ, & quomodo dicenda sunt, diceretis: nec enim aliàs, qui unicè spectatur, obtineretur finis, & ad dicendum tantùm fallendi temporis, populíque oblectandi causâ, non Templa, non sacra Pulpita, sed Theatra constructa sunt. Illuc ergo amandate, qui ridere malunt, quàm flere; potiùs jocos & ineptias audire, quàm ad seriam de admissis pœnitudinem excitari; discere noxia, quàm profutura. Vos autem (ita per salutem & vestram, & vestræ curæ creditarum ovium oro atque obtestor) audientibus proponite vera sine fuco, necessaria diligenter & enucleatè; salutaria piè & suaviter; omnia tam graviter & modestè, ut nemo non agnoscat, vos tractare verbum DEI. Hoc autem (meam obligo fidem) certò assequemini, si ducem & Magistrum Paulum hunc secuti, & quæ, & quo modo ipse hoc in volumine tractat, tractare non piguerit. Et quamquam graviter ille ac seriò, ut res postulat, dicit omnia, non tamen suus dictioni deest lepos, non ea desiderantur, quæ ad libenter audiendum suæ salutis cupidos alliciant, & sanctè piéque oblectent.

(a) *Eccli.* 34. 28.

Invenietis hîc similitudines & multas, & ad rem propositam explicandam appositissimas; quarum proprium est non explicare tantùm obscura, sed etiam audientes oblectare. Invenietis exempla, quæ vel invitos, quo vultis, trahant: ut eorum vis & jucunditas est planè singularis. Neque Authoris stylus tam aut inamœnus, aut asper est, ut offendere quemquam possit; etsi redundantibus ornamentis, & res tam sacras dehonestantibus pigmentis abstinet, rudiorum etiam captui sese studiosè accommodans. Ea autem tractat, quæ si vestri noverint omnia, nihil utique ignoraturi sunt eorum, quæ vel necessaria sint, vel profutura. Unde sine anxiâ, multa aliundè conquirendi, solicitudine, vestro Pastorum officio satis omnino facietis, si hoc, quod isto libro subministratur, vestras tam caras Deo, & tanto emptas pretio oves, pabulo sedulò pascere non omiseritis; vel eo singula ordine proponendo, quo ipse proponit; vel quem temporum dierúmque, quibus dicendum est, ratio vobis dictaverit.

Atqui hoc ipsum est, dicet non nemo, quod in hoc Authore desidero; quòd ille non in Dominicos, non in festos Sanctis Cælitibus dies Discursus suos partiatur. Si proinde horum dierum aliquo dicendum fuerit, unde demum hinc promam, quod tempori, quod ejus diei Evangelicæ historiæ, aut parabolæ accommodatum sit? Næ iste, qui sic arguit, rudis est artis concionandi, & in rem suam vertendi, quæ alios in fines videntur esse destinata. Hoc ut re ipsa demonstrem, Dominicam diem accipio, post quam ista scribo, éstque illa, quam Septuagesimam Ecclesia appellat, quâque ex Evangelico codice legi jubet Parabolam de vocatis in Vineam, & mercedem æqualem post tempus laboris inæquale accipientibus. Nihilne hoc in volumine, quod hunc in diem quadret? Quid ergo? An non eorum verborum occasione: *quid hîc statis totâ die otiosi?* otij damna & mala proponere licebit? hæc autem quæ sint, pluribus hujus voluminis locis, in Indice verbo *Otium*, nullo negotio invenire licebit. An non occasione eorum, quæ de industriâ hujus patrisfamilias, primo mane exeuntis ad conducendos Operarios in vineam suam, dicuntur; rectè differetur de negligentiâ, quâ multi res Animæ curant, cùm tam naviter negotijs, rerum caducarum intendant? Quæratur proinde in Indice verbum *Anima*, & mox indicabitur locus, quo de dolendâ hâc socordiâ agitur. Aut cùm tam multi, in foro & ipsi stantes, conducti tamen non fuerint, an malè de numero parvo Electorum,

ma-

majore autem Reproborum agetur? an de Gloriæ cælestis magnitudine, quæ parvo sæpe tempore laborantibus in præmium datur, afferre, quæ hoc libro dicuntur, non licebit? Percurrat proin solas Discursuum, qui singulis libris continentur, tabulas, qui volet nunquam sibi deesse, quod aptum sit tempori; volvat, & revolvat sæpius, toti operi adjunctos Indices, &, si bardus non est, nunquam desiderabit, quod appositè ad rem tempúsque proferat.

Etsi proinde vituperari haud quaquam posset, qui, in pagis maximè, eo omnia ordine diceret, quo hoc volumine disceptantur, qui tamen, vel suo, vel aliorum levando fastidio, moribus hodiernis servire maluerit, videat, quâ de virtute, vel vitio agatur in ejus diei Evangelio; & tum ex libro nostro depromat, quod ad rem aptum, si tantillùm ipsum sibi fecerit familiarem, certò certiùs inveniet. Experto credant: cùm essem subinde alicubi, ubi alij libri non aderant, quàm hic, quem mecum detuleram, nunquam tamen defuit, quod etiam curioso auditori satisfaceret. Et verò ut vel minùs peritos, vel pluribus occupatos hoc quærendi labore levarem, Tabulas ipse concinnavi, quæ quid quovis die ac tempore aptè proponi possit, velut intento digito demonstrent. Has qui consulere volet, ad operis calcem reperiet.

Sed Italus est Author, & ad eos scribit, qui vitijs laborant, quibus Germani non assuevêre. Rectiùs igitur Germanis utemur, qui suorum Gentilium mores ut nôrunt familiariùs, ita ijs medentur certiùs. Aliàs pronum esset contingere, tam non ad rem, & ad audientium utilitatem multa proferri, quàm ridiculè nonnemo rusticanis mulierculis vestium luxum, & illa, voluerúmne magìs, an hominum retia ac laqueos? quibus hodie nobiliores feminæ capiti impositis superbiunt, multis severè exprobravit. Non diffiteor, esse nonnulla, quæ illis, quos Author alloquitur, propè solis aptè proponantur, & exaggerentur: prudens tamen quilibet his facilè abstinebit, aut ea sic moderabitur, ne frustra & abs re ad suos dicta videantur. Omnes tandem Nationes suos patiuntur peculiares manes: aliqui tamen, & plerique quidem, omnes vexant & singulas; etsi plus minúsve: certè non alia Itali, alia Germani peccata Catecheticis suis in libris Capitalia enumerant; nec Virtutes, his oppositas, diversas. Non erit igitur sapienti difficile, videre quid, quibus serviat: qui autem tam nullo est judicio, ut apta ab ineptis discernere nesciat, næ illi omnium Authorum tractatione abstinendum erit;

erit; quià nullus est, qui habeat, quæ omnibus, & ubique sint idonea. Pueris ista non scribuntur, sed viris, quorum maturior ætas ac judicium eos tam facilè in rerum delectu errare non sinat.

Ad hoc autem quid reponam, quòd longiores hujus operis Dissertationes sint, quàm quæ unius integræ, ne dicam dimidiatæ, horæ spatio absolvi possint? Quæ, quæso, lex jubet totas recitare? an fortè dividere illas non licet, tanquam impartibiles? Author ipse nunc duas, nunc tres in partes secat: quidni nunc hanc, nunc illam proferre concessum sit, si omnes eloqui temporis præscriptum spatium, aut patientia audientium non permittat? Et verò hoc ipsum cunctis suadeo, ne totos uno, eodémque tempore Discursus; sed nunc hanc, nunc illam singulorum partem; nunc hæc, nunc illa rationum momenta, quibus proposita materia, aut assertio stabilitur, in medium afferant; ut unâ eadémque operâ & suorum fastidium caveant, & sibi alias in occasiones aliquid servent; atque ita diutiùs hoc libro utantur, donec velut in orbem redeuntes, jam pridem auditorum memoriam oblivionis refricent.

Cæterùm cùm in hac secunda editione id mihi esset propositum, ut Opus totum sibi quàm simillimum, & eodem scilicet calamo latinè redditum prodiret, id tamen & librum hunc à D. Bibliopola, importunè propè dixerim, exigentium aviditas, & occupationes meæ multæ simul ac molestæ non permiserunt. Multa tamen aliter reddidi, multa ad Italici Exemplaris fidem emendavi; ut adeò liber hic modò se ipso non paulò melior prodeat; suo etiam tempore, si ita res poscere videbitur, totum se uno vultu, & similibus planè lineamentis legentium oculis oblaturus. Interim hanc etiam meam opellam boni consulite, & alia Authoris nostri opera à me latinè reddenda expectate. Ut autem vos non lateat, quis qualisque Author hic noster fuerit, en Epistolam, ab Arcanorum ejus conscio, & Expeditionem sacrarum socio individuo, mox à tanti Viri morte scriptam. Hujus enim Lectione spero fore, ut Operis hujus æstimatio in vobis & pretium crescat; cùm visuri sitis, non contentum Paulum nostrum, præclarè dicere & scribere, strenuè etiam fecisse, quod Major DEI gloria ab eo postulare videbatur. Quod studium utinam DEUS in me perinde ac vobis sic deinceps accendat, ut aliud planè spectemus nihil, & sanctis DEI promovendæ conatibus immoriamur. Sic precatur omnium vestrûm minimus in Christo servus

M. R. S. J.

Exemplar Litterarum, quas de virtutibus

P. PAULI SEGNERI

Ad P. Rectorem Collegii Florentini dedit

P. JOANNES PETRUS PINAMONTIUS &c.

Reverende in Christo Pater.

IN magna, quàm his diebus, morte P. Pauli Segneri, (a) passus sum, jacturâ, certò sibi persuadeat Reverentia Vestra, nihil mihi majori esse Solatio, quàm vivam virtutum ejus memoriam. Et quia non dubito, quin etiam in Reverentiam Vestram magna pars hujus mei sensûs ac doloris redundârit, conabor efficere, ut Solatij quoque mei consors fiat. Scribam proinde illi quàm possum pauciſſimis nonnulla memoria digna, quæ de Viro hoc Apostolico mihi nunc in mentem veniunt. Ubi autem has meas legerit, placeat Reverentiæ Vestræ eas offerre Magnati illi, (b) cui obsequendi & obtemperandi studio potiſſimùm ad ipsas Scribendas impulsus sum.

Sub annum igitur 1662. aut certè 63. cùm P. Paulus statis per annum concionibus habendis Perusii operam darer, ad octiduanam pro more Solitudinem se recepit. In hac, non satis memini quanam in Meditatione, audivit intus sibi loquentem DEUM, eo locutionis genere, quod totum quodammodo hominis animum liquefacit, promptúmque ac facilem reddit ad executioni mandandum, quidquid DEUS de ipso facere decrevit, magnisque omnino gratijs ab eodem recipiendis idoneum efficit: *Anima mea liquefacta est, ut Dilectus locutus est.* Fuit autem hæc DEI vox: *Volo, ut amemus invicem.* Et fuisse hanc DEI vocem, res ipsa monstravit. Pater enim ab eo momento mutatus est in virum alterum, & ex laudatæ vitæ Religioso, qualis quidem semper fuerat, dici potest mutatus in Sanctum. Aliam mox, sublimiorémque vivendi rationem aggressus, ad quinque rem omnem capita revocavit: *Paupertatem, Solitudinis amorem,* (Italicè Ritiramento) *Orationem, Pœnitentiam, Examina.* Et ne horum animi decretorum unquam subiret oblivio, initialibus harum virtutum literis in unam voculam *Prope* collectis, in Schedula illam, suâ exaratam manu, conspicuo sui cubiculi loco affixit, quin quisquam, quid ea sibi vellet, assequeretur; ipse verò inde ad constantiam in bene cœptis stimularetur. Subinde ad rem ipsam aggressus, subtraxit sibi, quidquid poterat, removendo è

(a) 9. *Dec. h. an.* (b) *Ser. Dux Hetruriæ intelligit.*

cubiculo, quidquid aliquo modo minùs necessarium videbatur, Libros Imagines, & quæ alia erant ejus generis, ne iis quidem retentis, quæ alius necessaria judicâsse ad itinera, quæ ipse quot annis faciebat ad urbes sæpè non parùm remotas, tum cùm maximè hiems sæviebat. Circa hanc virtutem præclaris quibusdam sensis fuit imbutus; & memini illum sæpe sub illa initia de his mecum differere. Hunc Paupertatis Spiritum identidem in se denuo excitare consuevit, atque idcirco licèt viroram Principum gratiâ ac favoribus tanto tempore uteretur, in rem tamen inde suam tam parum convertit, ut mortuus nec eam quidem in cubiculo suppellectilem reliquerit, quæ postremo cuique ex Sacerdotum Nostrorum ordine conveniret.

Ad Orationem quod spectat, Donum ejus planè singulare habere cœpit, & intelligere arcanos quosdam, ac sumlimes sensus locorum Divinæ Scripturæ, nec non profunda Mysteriorum Fidei, prout nunc hæc, nunc illa contemplabatur. Arq; hinc propriâ doctus experientiâ, & eximia luce collustratus ea scripsit quæ Orbis legit; & idoneus fuit, qui sanctiore Magisterio animas duceret & erudiret, quas præstanti quodam orationis dono prædictas tam in sacris Familijs, quàm alibi offendit,

Ad Pœnitentias, & proprii corporis cruciamenta quod attinet, jam tum ab animi sui Arbitrio facultatem petijt tam multis sese divexandi, quàm multa ipse prudenter existimaret se ferre posse sine jactura & detrimento virium, necessariarum ad munus suum rectè obeundum. Atque hac facultate impetratâ plurimis & acerrimis se excruciaret cœpit, de quibus plura postea dicenda erunt.

Ut autem ea, quæ circa solitudinis studium, & severum actionum suarum omnium, ac diligens Examen instituerat, exequeretur, legendis Sanctorum gestis se impendit, multas quotidie horas ei lectioni dare solitus. Et verò ex hac dici potes hausisse magnam partem *Scientiæ Spiritûs*, quam & omni vita, & in libris in lucem datis, & in ducendis regendisque animabus, in virtutum studio valdè provectis, ostendit. Hanc vitæ rationem tenuit anno uno, aut uno cum dimidio circiter, aptúmque se reddidit ad magna pro DEI sui gloriâ gerenda, quæ deinceps reipsa gessit. Anno 1664. quantum memini, accensus est ingenti desiderio impendendi se excursionibus Apostolicis, eoque exeunte obtigit mihi beata, etsi nec satis à me cognita, nec promerita sors, in aliquot ejusmodi Excursionibus sociam illi operam navandi in Diœcesi Aretina: & cùm anno mox consecuto huic tam sancto ministerio Superiores illum constanter obeundo destinâssent, me laborum ab iis Socium petijt; atque ex eo tempore ad annum usque 1691. qui postremus ejusmodi Excursionum fuit, illi individuus adhæsi; quibus tamen ipse non nisi cum vita finem facere constituerat. Atque hoc etiam ex capite permolestus illi accidit favor ac gratia, ceteroquin tanti æstimanda, quâ dignatus eum est Pontifex Maximus, dum eum ad coram se pro Concione dicendum evocavit, & cùm vel maximè tanti Principis gratiâ floreret, gratius illi accidere

dere nihil potuissat, quàm si ad Missiones illas suas redire permitteretur; ut sæpius mihi testatus est, sanctâ quadam invidiâ felicem meam sortem, quâ prosequi cœpta possem, extollens. Tot igitur annorum decursu, cùm præclara virtutum exempla in eo sim admiratus, brevitatis studio ad tres potissimùm virtutes illa revocabo, ad Asperitatum studium, Castitatem, atque animi Demissionem.

Atque illa quidem se excruciandi voluntas singularis admodum fuit, & ingeniosa, in alijs identidem aliisque modis excogitandis; cùm semper prioribus novos adderet ad extremos usque vitæ suæ dies. Si itinerum id ratio permittebat, nullâ ferè non die sæpius in se flagris animadvertebat, præter solitas illas in Sacris Excursionibus sui diverberationes. Postremis vitæ annis ter se de die cædebat; mane, post meridiem, vesperi: & contigit non semel hîc Romæ, ut cùm misso famulo ad se eum pontifex vocaret, Janitor illi imperia suæ Sanctitatis confestim significare non posset: nam præterquam quòd audiendi facultate esset hebetiore, suo illo verberum strepitu faciebat, ut fortiùs etiam januam pulsantis Janitoris sonitum non perciperet. Inter cædendum magno animi sensu recitabat, iterabátque partem Threnodiæ illius, *Dies illa* initium ducendo à verbis: *Rex tremendæ Majestatis*, usque ad illa, *Gere curam mei finis*: Sic, ut inter repetita hæc verba duo millia ictuum sibi infligeret, eúmque etiam numerum certis in occasionibus excederet. Nonnunquã sanguiné sibi eliciebat, aciculas, aut stellulas flagris infigendo: quin & solito flagrorũ genere ad sanguinem usque nonnunquã se diverberabat: ut tamen hæc instrumenta non tam facilè attererentur, aut sanguine imbuerentur, liquæ factæ illa ceræ imergebat, eâque re utrumq; hoc consequebatur.

Nec satis illi erat, si sua ipse in se tantùm manu, & non levi brachio animadverteret, sed cùm occasio loci solitarij permitteret, & fidum quempiam nactus esset, crudeliter se cædi jubebat; & quidem lecticæ alicujus columnæ alligatum, ut propiùs Christum Servatorem in suis cruciatibus imitaretur; aut manibus in tergum revinctis, rei instar ad virgarum supplicium condemnari: & cùm subinde in aliquem incidisset aut minùs humanũ, aut ejus votis abunde respondere cupientem, eò usque cæsus est, dum eum vires ad porro ferendum deficerent. Hac sui diverberandi ratione, sed ad sanguinem usque, utebatur initio suarum Excursionũ, cùm pervicaciorem quempiam à vindicta sumenda abstrahere volebat; ejusmodi enim homine secretiorem in locum abducto, nudabat humeros, & se pro eo pœnas luere velle asserebat: & verò vix unquam accidit, ut non illi, sanguine viso emolliti, cessare juberent, ac cogerent à tam crudeli lanienâ, séque ad omnia promptos paratósque offerrent. Horum è numero aliquis cùm diu passus esset eum in se sævire, & sanguine abundè perfundi, cùm tandem manus dedisset, acerbè postea doluit, & veniam suæ duritiei sæpius efflagitavit, ab ejus latere in Missione illa vix unquam ampliùs se divelli passus. Alius quispiam, cujus obstinatus animus flecti non potuit, frustratus viri & conatum & caritatem, carò videtur duritiem hanc deinde suã luisse; non diu enim post de homicidio suspectus, &

conjectus in vincula, ipso in carcere animam exhalavit inexpiatus, cùm contumaciter Sacerdoti delicta aperire abnuisset. Deinceps cùm hæc humerorum laniena ineptum redderet ad se cum aliis in Missionibus lamellis ferreis diverberandũ, hanc invenit rationem, ut pluribus aculeis super quoddam exasperaret, & aperto pectore tamdiu se funderet, dum expugnaret, quos ea, qua dixi, causâ sevocabat. Plura hujus generis instrumenta à Viri more superfuere, unum præcipuè, quo sub ultimos dies uti consueverat, cruore undique infectum. Hac eadem se afflictandi ratione etiam extra Missionum tempus usus est, cùm sæpe ante suffixi in crucem Christi imaginẽ provolutus in genua pectus ac brachia laceraret, ad veniam noxarũ petendã, & doloris sensum acerbiorem in se excitandum. Quin & in ultima Missionũ supplicatione aliquot annorũ spatio ejusmodi instrumento usus est, donec Placentiæ, gravi invaletudine oppresso, ejus deinceps usu tã crebro interdiceretur, cùm Medici ejus valetudini nimis quàm noxium pronuntiâssent, octavo quoq; die tantum profundere cruoris, quantum in ejusmodi occasionibus fundebat.

Lecto etiam, inde ab illa vitæ in melius cunctatione, usus est tam duro, ut extra Missionum tempus nudis semper asseribus incubaret, usque ad postremum vitæ annum, quo hic Romæ ob exhaustas jam vires illi suasum, imò imperatũ fuit, ut culcitrâ uteretur. Cùm autem in Missionibus occasio non esset hoc rigore utendi, solitus est diu stramini incubare: sed quia ij, apud quos diverrebat, multum laborabant, ut saccos pro stramine nitidos invenirent, cessit etiam hoc dissuadenti. Aliàs horridum setis pannum linteis lecticariis insternebat: sed cùm ista strati asperitas somnum illi, reparandis viribus necessariam, tolleret, necesse illi fuit etiam ejus usum intermittere.

Quatuordecim anni sunt, quantum quidem memini, quòd extra Missionum tempus interulis lineis non est usus; sed eorum loco rudi se & aspero pano involvebat, quali agasones uti solent ad jumentorum onera tegenda: hic cùm usu attritus, & minùs jam hispidus esset, alium illi recentem asperiorem usque substituebat: unde à Viri morte tres ejusmodi intimæ vestes inventæ sunt, quæ torum ad genua usque tegebant, demptis brachijs, quæ qualibet anni tempestate solâ consuetâ ex materia subtiliore veste tegebat.

Hæc asperitatis ratio tanta erat in P. Paulo admirabilior, quòd is naturâ frigoris valdè intolerans erat: adeò ut fidenter mihi aperuerit, cùm post illa severioris vitæ Perusij initia primo mane se diu diverberâsset, lacrymas præ acerrimi sensûs vehementiâ tenere non potuisse, cùm frigidam subuculam corpori denuo injiceret. Vicit se tamen ea in re usque adeò, ut noctu densis in nivibus se volutaret: credo id ab eo factitatum sæpius, in Collegij tamen Placentini atrio id factum certò scio, Sic etiam, cùm acerrimè seviret hiems à peracto maximè Sacro, sese cubiculo alicui includebat, ibique detractis vestibus nudus ac tremens suorum, ut ipse loquebatur, gravissimorum delictorum veniam à DEO demississimè, lacrymis ubertim manantibus, exposcebat.

Et

Et quia soliti ac usitati carnem malè habendi modi ejus desiderio non faciebant satis, cùm in Sancti cujuspiam viri historia legisset; solitum illum totam corporis molem fune circa brachia cõplicato suspendere, inde ab anno septuagesimo quinto Seculi hoc se tormento discruciare cœpit, ex fune, quo dictum est modo, tamdiu tota corporis mole pendulus, quoad animus & vires ferendo dolori supperebat. Funium ejusmodi aliqui in ejus cubiculi certo angulo à morte inventi sunt. Eodem se corpúsque suũ divexandi studio solitus est ex facibus propè consumptis residua frusta, aut plures collectas in fascem candelas accendere, & ceram inde stillantem nudis carnibus excipere, adurendo sic diversas corporis pates doloris sensu acerrimo. Etiam harum facum aut candelarum, quas jam olim à me inventas deinceps occultate consueverat, aliquas à morte reliquias reperi. Hactenus tamen tam fortunatus non fui, ut pannorum eorum aliquẽ invenirem, quibus manantem è plagis inflictis sanguinem abstergebat: hos enim solicitè abjicere solitus est, ne inde alii in notitiam ejus rigoris venirent, quo se ipse tractabat.

In omnium porro oculos incurrit illa Viri durities, quâ nudis pedibus Excursiones suas obibat. Sed non perinde omnino oculis patebat, quanti hæc doloris esset materies. Necesse enim inprimis fuit, multum non rarò viarum emetiri, solo pruinâ undiq; tecto, hieme per nives & glaciem, & hâc ipsâ anni tempestate vado superare frigidissimos in montibus torrentes. Sed etsi abessent ista, sic nudipedẽ incedere, molestissimum illi erat, nec unquam, ut fassus ipse mihi est, usu & assuetudine reddebatur tolerabilius: cùm esset mole corporis nõ modica, & crebrò iter haberet per vias alpestres, minutis lapillis instratas, nullus non passus novi cruciatûs materiem præbebat; sic ut ægrè tum milliare unũ italicum horæ spatio emetiretur. Nihilominus ubi primùm ad locum Missionis appellebat, oblitus doloris, quem exantlârat, quærebat quo loco aptè sub dio, ut solebat, verba faceret, ceteráque omnia, quæ ad rem facerent, præparabat. Hac ratione iter faciendi videor mihi posse dicere, quòd annis singulis quadringenta milliaria emensus sit, sex illorum mensium spatio, quos Excursionibus dabat. Et quamquam non perinde asperæ ubique essent semitæ, nullibi tamen non multum molestiæ, ut dicebam, exhauriebat. Ad hunc nudis pedibus incedendi modum impulsu interno vehementi agi se sensit jam indeà principio vitæ melioris, ut & Christum Servatorem, & Apostolos, sanctúmque Franciscum Xaverium imitaretur. Hinc etsi primis quatuor Excursionum suarum Apostolicarum annis, itinere emenso calceos indueret, subinde tamen, ob illud, quod ex ea incedendi ratione sentiebat, animi solatium ac fructum, sic excalceatus incedebat, quamdiu durabant Missiones. Quin ut morem istum ne quidem Missionum laboribus perfunctus poneret, jam inde à quindecim annis, quantum conjicere possum, tibialibus nunquam est usus, sed hieme tota solis calceis ita confectis, ut non pedem tantùm, sed & aliquam tibiarum partem tegerent, id quod in iis apparet, qui morienti superfuere.

Cetertùm in Collegia ab Excursionibus reversus tam non indulgebat quieti & otio,

otio, ut plus ferè tum laboris exantlaret, non tamtùm ob horas bene multas, quas literarum studijs dabat, quin unquam prodiret domo, nisi cùm res poscceret, sed quia quot annis ferè novum quoddam se discruciandi genus excogitabat, quod prioribus suppliciis adderet: præter cruciculam ligneam, sex velut clavis armatam, quam aculeis introrsum versis inde à Principio gestabat; & præter cingula aut serosa, aut cuspidibus ferreis horrida, quibus latera cingebat, postremis annis, undecim ejusmodi cinguli è filis ferreis partibus circumdabat latera, brachia, coxendices, locis pluribus. Hinc quæ à morte inventa sunt in cubiculo, longitudine triginta quinque cum dimidio plamos adæquant, nec simplici tantùm, sed multiplici ordine extenduntur, sic ut ut qui numerum aculeorum iniverunt, invenerint ter mille octingentos.

Certò denique mihi constat, quòd impulsus hoc se divexandi studio nudum se in spinis volutârit, sanguine ubertim ex lacera cute promanante: scio autem hoc eum feciſſe, cùm nos recepiſſemus ad vacandum annuæ solitudini in clauſtrũ Carthusiæ Lucensis, ubi singulas nobis cellas Reverendi illi Patres attribuerant: ipse autem ad finem quem dixi, usus est sepe rosarum, quæ erat in ejus hortulo. Quin existimo, id eum sæpius actitâsse: nam & alio anno in idem nos Cœnobium ad vacandum sacris illis Exercitationibus contulimus, ubi opportunitatem erat nactus iteratò se his spinarum aculeis lacerandi. Neque enim in ejusmodi actionibus semel duntaxat peractis acquiescebat.

Nihil equidem ambigo, quin Reverentia Vestra pro sua prudentia, tam ipsi propria, suis momentis æstimatura sit hanc tam duram & horridam P. Pauli vivendi rationem, ad ultimum usque senium semper exasperatam: Oro tamen, quæsóque, ut Reverentia Vestra animum advertere velit ad hoc, quod hic vivendi rigor conjunctus fuerit cum indefesso scribendi lucubrandique studio. Unde paucos profectò invenire erit in utroque hoc genere ipsi comparandos. Nam vel inter Sanctissimos rari sunt, qui cum S. Hieronymo librum cum saxo amplexi sint, sic ut, cùm una manu scriberent, altera sè diverberarent.

Neque verò quisquam sibi persuadeat, non magno labore stetisse Patri Paulo Opera, quæ typis excudi curavit. Demptis ijs libris, quos scripsit de Oratione, in quibus ipsi prona fluebant omnia, sic ut quem primum ea de materia scripsit, totum quinque duntaxat hebdomadarũ spatio elucubrârit; cùm, ut subinde mihi affirmavit, videretur sibi in eo elucubrando ferri agique ab alio: & sæpe, cùm temerè aut S. Augustini, aut S. Thomæ librorum aliquem aperuisset, quæ quærebat, sua se sponte quodammodo offerre credi poterant: his, inquam, libris demptis, alios magno adhibito conatu & industriâ elaborabat, obvijs quibusque haud quaquam contentus, lituras inducebat, & crebrò revocabat ad limam, quæ exarabat, ut videre est in chartis, quæ supersunt: & sanè aliter fieri non poterat, in quo ipsum usum cernimus, stylo & scribendi ratione.

Utut autem non parùm admiranda fuerit hæc in corpus sæviries conjuncta

cum

cum perpetua mentis agitatione, hanc tamen præ omnibus in P. Paulo non fuit admiratus. Quod me in majorem hoc in genere admirationem rapuit, fuit ille Spiritus, illa animi contentio, quibus pœnalia hæc sua opera animabat: in his enim sensibili quadam lætitiâ exultare videbatur; sic ut inter tot Personas eximiæ virtutis, quas bene multas aut in sacris claustris, aut in Excursionibus offendi intimè mihi perspectas, non invenerim plures duabus, quæ P. Paulo hoc in genere comparari possent: siquidem cum eo de ejusmodi cruciamentis colloqui, & earũ aliquod præbere specimen, erat ipsi offerre magnæ oblectationis & exultationis materiem: & hunc ad finem memini me aliquando ex eo audire, quòd si quis reperiat animos ingenti sui divexandi desiderio accensos, non rectè facere Animi Arbitrũ, qui permittere nolit, ut omni cruciatuum genere se affligant, lædendæ valetudinis metu; cùm plus sanitas eorum patiatur, si freno fervor cohibeatur.

Altera, quæ mihi admirationi semper fuit in P. Paulo virtus, fuit Castimonia Angelica. Quando illi primùm comes adhæsi, agebat ætatis annum circiter quadragesimum, corpore, si unquam, vegeto ac robusto, affabilis, blandus, animo ad miserandum amandúmque tenero ac proclivi: & talem omnino postulabant Excursiones illæ, in quibus agendum erat cum cujusvis sortis hominibus, & inter hos cùm feminis nobilibus, quæ se magni admodum ipsum æstimare demonstrabant, nec rarò intima animorum ipsi credebant, & consiliis ejus dirigi optabant; præterea postremo Missionis die, cùm post ductam supplicationem bene cunctis Sacerdos ritu solenni precatus esset, ipsæ ferè omnes hærebant diutius de rebus animæ cum eo acturæ: in his tamen & similibus occasionibus non videbatur Pater ex eo, quo ceteri mortalium, limo concretus: hæc enim plena ceteroquin periculo objecta tam non imponebant ipsi pugnandi luctandíque necessitatem, ut viderentur potiùs non offerre se ejus animo cum ijs, quibus eorum proprium est imaginibus & phantasmatis. Memini ex ipso audire, cùm diceret, sibi, cùm feminas intueretur ad omnem venustatem exultas, illud in mentem venire: ô quàm gratum hic sexus DEO sacrificium faceret, si ejus impulsus amore cunctas has, quibus capitur, ineptias ac vanitates contemneret! In eo sum, ut credam, cùm naturæ beneficio tam sine sensu esse non potuerit, tum ipsi præstans hoc puritatis donum à DEO collatum fuisse, cùm ijs, quibus dixi, Exercitiis vacâsset, & majori conatu se contemplandi studio dare cœpisset, sícque divinis illis favoribus ac solatiis, quibus abundabat, inescatus, alto fastidio nauseabat, quidquid carnem duntaxat afficit & oblectat, assecutus eam agendi libertatem, quæ tantopere necessaria est, & conveniens Apostolico Ministerio ac functionibus, quibus tantum reliquæ ætatis erat impensurus.

Tertia denique virtus, quam præ reliquis in P. Paulo semper admiratus sum & obstupui, fuit singularis illa animi demissio, quâ seriò sibi persuaserat, magnum se peccatorem esse, talémq; se intimè agnoscebat; licèt Societatem ingressus esset nondum expleto anno ætatis decimo quarto, & piè admodum ac innocenter Ro-

manq

mano In Seminario esset educatus. Unde cùm Mundo nuntium remiserit priùs, quàm illum nôsset, arduum illi non fuit, religioso in statu innocentiam illam suam ad eximium quendam virtutis gradum promovere. Atque hinc factum est, ut quidquid honoris ac reverentiæ ipsi, ejúsq; virtuti tot locis exhibitum est, penitus non adhæresceret, perinde sanè ac si destituta omni sensu statua fuisset. Imò vel hinc majoris abjectionis materiam arripiebat, his me crebrò verbis, intimo animi sensu prolatis, allocutus: *O si me nôssent! Heu quo me rubore suffundi necesse erit extremo illo Mundi judicandi die! Pater Pinamonti, Reverentia Vestra scit, quis sim.* Et cum dicto, altùm ingemiscebat. Hoc eodem instinctu actus, varias se demittendi abijciendique occasiones avidè arripiebat. Jubebat sæpius caput, collum ac faciem pedibus calcari, additis etiam convicijs. In Collegio quopiã, quod aliquamdiu incoluit, cùm eum constanter morẽ teneret, ad postremũ hunc usq; vitæ annum, ut diu ante alios è strato se proriperet ad vacandum Orationi, & sui divexandi studio, ibat dein ad excitandum è somno fratrem aliquẽ adjutorem domesticũ, cui multũ tribuebat, quíq; ipse etiam maturiùs solebat è strato se proripere: hujus pedibus crebra figebat oscula, & variè se corã illo abijciebat.

Verùm quia sincera demissio ipsis honoribus magìs, quàm abjectione & contemptu probatur, dicendum erit paucis, quo tandem honorum genere prosecuti Virum sint homines; ut appareat, cujus sortis fuerit in medijs his honoribus ejus demissio. Igitur inde à principio, ex quo Excursiones sacras modo illo suo, quem primus invenisse dici potest, obivit, non alio nomine, aut titulo vulgo magìs cognitus erat, quàm Patris Sancti. Procumbebant in genua populi, quà transibat; purgabant vias, quibus ad eos erat accessurus, scopis everrendo sordes ad plura sæpe milliaria, impendendo eam in rem præcedentis noctis horas, floribus etiam non semel sparsis. Appulsum dein turmatim circumdabant, idque curabant solicitè, ut aliquid ex ejus reculis sibi vindicarent, panis verbi causâ reliquias, quas dein ægris pro alexipharmaco ingenti cum fiducia præbebant. Felicem se reputabat, quisquis numismatum, quæ distribuebat, aliquod esset nactus: & quia lusorum singulis, qui afferrent folia, sponderéntque se deinceps à lusu temperaturos, unum aliquod dabat, multi, qui vix foliorum eorum usum norânt, ea afferebant, ut pro ijs simile Numisma referrent. Corona è spinis, quam in supplicationibus, quibus Missiones claudebantur, capiti impositam gestabat, non solùm multò ante semper petebatur ab aliquo Sacerdotum, qui illum adjuvabant, sed non rarò jurgijs ansam præbuit, cùm illam plures simul peterent. Comunissima ferme numerandi temporis ratio erat inde à Missione ab illo alicubi obitâ, cùm Matres e. g. dicerent; Filiolus hic meus natus est, eo anno, quo Pater Sanctus hic loci concionatus est: aut, natus est tot ab illa Missione annis. Hæc tanta P. Pauli æstimatio etiam in alios de Societate propagabatur sic ut cùm duo, non multo post aliquam ejusce modi Missionem peractam, Lucã irent, ut thermis uterentur, non pauci corã transeuntibus in genua se abijcerent. Discedentẽ è loco quopiam P. Paulum affectabantur plurimi, inter lacry-

mas

mas ingeminantes Deus scit, quando unquam ad nos revisuri sint Patres Sancti: & hâc causâ multi nõ viri tantùm, sed & feminæ ibant ad remotiora loca, ut denuo Patrem audirent, & bene sibi precantem viderent; sic ut templa, in quibus inopes mulieres divertebant, noctu plena essent; cùm multas illæ horas orationi darent, ut sumptâ primo mane Sacrâ Evchariſtiâ meridie Benedicenti adessent. Neq; his & similibus honoribus unâ tantùm alteráve in Diœcesi illũ afficiebant, sed quocunq; pedem inferebat, idem mox omnium sensus, eadem viri æstimatio, eadem venerandi ratio erat; quod profectò admiratione non caruit, cùm non rarò remotas in Provincias abiremus, ex Hetruria verbi gratiâ ad Lombardos profecti, nullis de adventu, aut modo alibi observato, nuntiis præmissis, Palman autem in his præripuerunt cæteris, non rudiores, sed præ reliquis exultæ gentes, quas minùs externo hoc apparatu comõvendas quis credidisset. Cùm excurrendum Patri Paulo esset in Episcopatus, qui supra ac infra Genuam ad maris litus sunt, non defuere viri multâ prudentiâ, maturo judicio, usúque rerum, qui malè ominarentur ejus laboribus, parúmque fructûs sibi pollicerentur ex populis illis maritimis. Et tamen subinde non alibi major cum animarum fructu obitæ Missiones sunt, nec sine admiratione observari potuit, quàm essent in eo auscultando attenti, quàm avidè ad eum alibi dicentem redirent, quámq; fidenter ejus arbitrio causas suas permitterent. Hic, plusquàm alibi, non solùm passim palámque Patris Sancti nomine compellabatur, verùm etiã ut talis habebatur; cùm è dicentis ex altiore loco vestibus segmenta occultè rescinderent, & pro sacris Lipsanis servarent; sic ut necesse fuerit fidum aliquem tum temporis constituere, qui curam ejus gereret, arcerétq; importunos; cùm identidẽ aliàs aut novæ illi vestes dandæ essent, aut priores malè deformatæ, resarciendæ. Narravit mihi nobilissima quædam Matrona Genuensis; mulierem, domi suæ assiduam, attulisse involutum chartæ frustullum, aut segmentũ vestis P. Pauli; cum dicto: Domina, hæ sunt Reliquiæ de Sancto Patre, quarum partem aliquam tibi dabo, sed alteri præterea nemini: & tum frustillum heræ dedit. Nec plebis tantùm hæc fuerunt studia; sed Nobilium quoq; eorum maximè, quos singularis virtus commendabat; quos inter nullis concedunt Genuenses; qui in Excursionibus ab eo pedem non removebant, videbantúrq; satiari non posse ejus alloquio; quóq; agebant cum eo frequentiùs, hoc de eo sentiebant honorificentiùs. Cùm proinde sumi, infimíq; ut hominem Cælo quodamõdo lapsum agnoscerent, & ut talem venerarentur, eò tandem ventum est, ut ultimo Excursionum circa Genuam die necesse esset aut P. Paulum militari vallare præsidio, aut tectâ repositum in sella, quacunque res posceret, deportare; ut ibi cuncta ad supplex agmen deducendum necessaria pararet, &, quo gerenda essent omnia ordine, præscriberet: id enim nisi fieret, tam densi illum confertíq; circumstabant, aut ad pedes osculo libandos prosternebantur in genua, aut religioso contactu manuum, aut Mariani rosarii sic illum implicabant ut promovere pedem vix posset, aut quæ agenda erant agere. In ipsa urbe Genua, etsi in illa Missio non esset habita, cùm

ad Ducis Palatium evocatus esset, lecticâ clausâ eò deportari debuit ad piam populi vim eludendam, ad Collegij januam operientis,& Virum videre cupientis: nec enim aliàs perventurus eò erat; cùm vel suâ in lecticâ clausum, rem subodorati, sequerentur, & obviis dicerent. En! intus est Pater Sanctus.

Ego tanto tempore horum oculatus testis tria maximà mecum tacitus perpendebam, quæ de solida veráque Patris Pauli virtute ambigere non sinebant. Primum horum est, quòd cùm Vir esset tantâ doctrinâ, tantâ in vulgus æstimatione, usúque rerum & experientiâ tantâ; qualem illum magna Italiæ pars suspexit in tot litibus ac dissensionibus, quas in Missionibus composuit, in quibus octo sæpe dierum spatio non authoritate tantùm sua, sed conditionibus & pactis perquã opportunis sustulit controversias, quas multi longo sæpe tempore frustra componere laboraverant: & ferme pedem è ditione aliqua non antè efferebat, quàm lites omnes ac jurgia sustulisset. Non obstante tamen hâc tantâ apud omnes Authoritate, tanto rerum usu; quæ faciebant, ut passim ab alijs consuleretur: ipse viciſſim in omnibus majoris momenti negotijs: sibi diffisus, aliorum exquirebat consilia; nec unius tantùm alicujus, sed plurium, ne à recti semita exerraret; solitus crebrò dicere, non aliâ se magis in re, quàm aliorum consiliis, acquiescere, illud Sapientis identidẽ ingeminans. *Fili sine consilio nihil faci, as & post factum non pœnitebis.* Hac ratione se extra erroris periculum constitu bat; cùm errare non posset, nisi errore culpæ experte, & judicio magis alieno, quàm suo: voluntate quidem suâ tã æqui rectiq; amans erat, ut non videretur in quemquam posse esse injurius. Atque ita profundam suam manifestabat demissionẽ, cùm nemini minùs, quàm sibi ipsi fideret, nec ullo in negotio paulò magis arduo sine alieno ductu progrederetur.

Alterum, quod observare solitus sum, hoc erat, quòd ille nihil unquam egerit, quo sublimem populi de se, quam dicebam, opinionem augeret; nec speciosa quidem propagandæ DEI gloriæ prætextu ad quidquam horum induci se passus; ut tamen pronum erat evenire. Quare si ipse animũ induxisset ad aquas in ægrorum usum precibus adhibitis consecrandas, & quæ sunt alia ejusce generis sancta, & in alijs laudata, non tantopere admirabilis esset alta de ipso, & ejus virtute æstimatio: sed ipse ab his omni studio refugiebat, & vix, nec nisi invitus admodum, Lipsanis S. Francisci Xaverij eam in rem adhibitis, ægrotantibus bene precabatur: quin potiùs nonnulla, ex quibus ejus, saltem apud minùs cautos ac solertes, decresceret æstimatio, palàm ostentabat. Ita cum Nobilibus Genuæ feminis agens narravit, quàm splendidè lautéque in illis circa urbẽ Missionibus esset habitus; quódque plurimum omnino deberet humanitati illius viri Nobilis, qui in summis illis ãni caloribus abundè de nivibus ipsi prospexisset; pensi non habens, quòd ea narratione non parùm decedere posset de illa, quam de ejus aspero se tractandi modo conceperant, opinione; cùm tamen reipsa aliud tum temporis, quàm aquam, vix biberet. Sed hæc ipsa aperta & fuci expers agendi ratio apud unam aliquam, supra alias & prudentiâ, & solidâ virtute eminentem, id tantum effecit, ut vel hoc

ex

ex capite altiùs de eo sentiret; cùm adverteret, tam non id agere Virum, ut aliorum de se aleret judicia, ut potiùs ea propalaret, ex quibus non parùm de ijs posset detrahi. Sic etiam eâdem de causâ, cùm P. Paulus esset habitudine corporis validâ ac robustâ, & humorum temperie calidâ ac igneâ, & præter longa, quæ peragrabat itinera, duas trésve horas magna contentione ad populum quotidie diceret, nihil ægrius ferebat, quàm inediam: curæ tamen illi nequaquam fuit, indigentiam hanc suam alijs clàm habere; nec metuebat, ne inde offenderentur, sed palàm ac liberè curabat, ut tantum cibi sumeret; quantum ad vires necessarijs laboribus reparandas sufficere existimabat. Neque aut hoc aut simili in genere ulla arte, aut industriâ usus est ad imbecillitatem suam tegendam: & cùm sæpius jamjam senescentem hortarentur aliqui, ne itinera nudis, aut omnino suis pedibus conficeret; sed cùm longius ac difficilius esset iter, equo uteretur, tũ ex eo descensurus, séque excalceaturus, cùm prope locum Missioni destinatum veniisset; hoc constanter reposuit. Avertat hanc à me DEUS hypocrisin, totum iter aut calceatus, aut excalceatus conficiam. Ad hoc animum sui decretum reipsa confirmandum cùm denique induci se passus est, ut ad arduum aliquem montem superandũ jumento uteretur, inspectantibus omnibus illum conscendit, nec descendit antè, quàm destinatum ad locum appelleret. Quin non semel, cùm nudis pedibus confeciſſer iter, ubi ad urbem aliquam ventum est, resumptis illam calceis ingrediebatur siquidem illa Missioni obeundæ tum non erat destinata. Neque recusandum censuit nonnunquam, quo minùs sejugi curru veheretur; id quod non semel Genuæ, Mutinæ, Parmæ, & Faventiæ maximè contigit, ubi id illi honoris habuit Eminentissimus Cardinalis Rossetus, qui & ipse hanc agendi rationem non vulgaris esse virtutis agnovit, déque ea magna cum commendatione nostris Patribus locutus est.

Id tandem quod me impulit ad Magni admodum faciendam P. Pauli demissionem, est quod suprà innui, nunc autem pluribus explicabo. Nimirum quòd omnes isti honores, hæc tam constans, tam cõmunis populorum per triginta ferè annos æstimatio ac reverentia, exhibita ipsi à Personis præcipuis, feminis & viris nobilissimis, Principibus, etiam supremis, efficere nunquam potuerit, ut ille paulò altiùs sentiret de se, sed ut potiùs in dies se magis abjiceret, & dum cuncti Patrem Sanctum appellitabant, & Typographi, eorúmque institores, dum scriptos ab eo libros, & Sacra Cantica ac laudes, quæ Missionum initio decantabantur, venalia offerebant, alta voce clamabant: *Cui placet emere Laudes Patris Sancti*; ille, cùm hæc intelligeret, ne tantillum quidem afficeretur, aut moveretur; nisi tantùm adeos increpandos, & ab eo, quod agebant, impediendos, haud aliter, quàm si de nescio, quo alio tractaretur. Nascebantur hæc ex profunda sui cognitione, in suo nihilo fundata, & erratis suis; quâ motus sæpius ex me lacrymis perfusus quærere erat solitus: *Pater an tandẽ salutem consequar?* Cum Deo autẽ loquens crebrò illud usurpabat: *Cùm veneris judicare, noli me condemnare.* Et cum hoc de se judi-

cio ac sensu in lingua mortuus dici potest, siquidem hæ postremæ ejus fuerunt articulatim & distinctè prolatæ voces: *Abyssus Abyssum invocat: Abyssus miseria, invocat Abyssum Misericordia.* Hinc etiam cùm in Missionibus eò delabebatur, ut se Peccatorem diceret, qui suis potissimùm sceleribus fructum Sacrarum earum Missionum impediret, currebant ubertim ex oculis lacrymæ, totúsque cohorrescebat, & cum eo quotquot audiebant & spectabant flentem cum Cruci affixi Dei simulacro in manibus; si ut hoc solo spectaculo promptiùs, quàm quacunque concione, extorqueret ab auditoribus quidquid volebat. Neque in his tantùm occasionibus publicis tenero sensu ad lacrymas movebatur, cùm magnum se Peccatorem palàm profitebatur, sed etiam nonnunquam cùm mecum privatim super ea re sermonem miscebat: & prorsus mihi persuadeo, tarò admodum inter sacrificandum, post prolata illa verba *Domine non sum dignus* sacram, quam appellamus, Patenam lacrymis non irrigâsse: unde ego ex indicijs, quæ remanebant, cùm post eum ad sacrificandum accederem, nullo negotio dignoscebam, quo ille Calice, quâve Patena in Sacro faciendo esset usus.

Cuncta hæc, sæpius animo reputata, inde à principio me induxerunt, ut crederem Partem Paulum esse hominem virtute singulari, nec dissimilia verò esse nonnulla miraculi affinia, quæ de ipso narrabantur; aliqua si quidem, ut dispulsi morbi & sanitates recuperatæ, à viris etiam Religiosis & Sacerdotibus prudentibus recensebantur; & præterea fiducia illa ingens, quam de eo vulgo conceperant, vix dubitari potest, quin effectum naturæ viribus majorem aliquando produxerit; & cùm præterea locis diversis æquè ac remotis communi velut consensu ejusmodi beneficia narrent, non videntur cuncti, etsi alij de alijs scirent nihil, in figmentis tantùm recensendis convenire potuisse.

Atque hæc est brevis narratio eorum, quæ obiter tantùm cogitanti in mentem venerunt, de virtutibus S. Pauli, Reverentiæ Vestræ manibus Magnati illi tradenda. Volebam esse brevior; Sed rerum copia ac suavitas longiùs me abripuit. Oret interim pro me, ut à morte rectiùs utar Exemplis ab hoc Viro relictis, quàm ijs usus sum dum cum superstite agebam. Atque his demissè Reverentiam Vestram veneror. Romæ 18. Decembris. 1694.

Reverentiæ Vestræ

Indignus in Christo Pervus

Jo. Petrus Pinamontius.

AUTHORIS IPSIUS
AD LECTORES ALLOCUTIO,
Quâ Operis hujus finem, & methodum à se observatam explicat.

QUo cibo Mater, eodemmet tenella etiam ejus soboles nutritur: quo tamen Mater solido pascitur, ut prosit soboli, in lactis succum liquescat necesse est. Non est proinde, quod miretur Lector, si hoc, quem præ manibus habet, eodem libro, & Pastores ipsos Animarum pascere (absit verbo invidia) & creditas eorundem curæ Animas alere constituit. Quamquam enim harum compluribus, tenellæ, & lactenti proli non dissimilibus, durior, nec iis alendis aptus cibus videbitur; meminisse tamen oportet, Pastores earum Matrum fungi officio, ad quas spectat, eum in mollem lactis succum convertere: multâ, inquam, sedulâque meditatione, quiquid hîc legerint, sic in suam vertere substantiam, ut postmodum non magno labore, etsi non parvâ caritate, in animos ignorantium deriven.

Siquod proinde his folijs pretium, gemino illa servire usui poterunt. Primus est; si Pastor, qui ex his arriserit, Discursum seu Dissertationem attentâ mente legerit, mandârítque memoriæ, de quibus in ea agitur, veritates; rationum momenta, quibus istæ adstruuntur, probè perceperit; subinde autem, ut spongia salubri liquore probè imbuta planéque ebria, facili negotio expressum in Audientes diffundat. Qui quidem usus & optimus, & à me præcipuè spectatus est. Alter minùs quidem, seo non omnino inutilis erit; aut ad Aram, populo obversus, aut superiore è loco partem aliquam Dissertationis cujuslibet Parochus legat, exponat, sícque pluribus verbis explicet, ut etiam hebetiores, quod lectum est, intelligant. Erit sanè hoc, frangere panem Parvulis, non ætate, sed intellectu, qui, utpote dentibus destituti, præmandere eum non valent; & quanquam id, quod dicitur, totum audiant, non tamen partitiones, non transitiones, non allata rebus firmandis argumenta distinguunt; hoc autem non intellecto, nihil intelligitur. Legere autem tantùm altâ voce Discursum, ut in illum Liber exhiber, id profectò esset quidem dare Parvulis panem, sed integrum: eâque re ad amariores lacrymas eum movere, qui queritur, etsi non desit hodie Ecclesiæ Parvulis panis, deesse tamen, qui frangat. (a) Par-

(a) *Thren.* 4. 4.

Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Siquis tamen Pastorum eâ esset ignaviâ, nescio ipsine magìs, an ovibus detrimentosâ, ut aliquid ex obvia, aut selecta Dissertatione legisse contentus, verbum de suo non adderet; etsi ille partes officij sui non impleret, non tamen omni laboris qualiscunque fructu esset carituras. Si enim non semel fugientem jam ægri animam solus sistere panis odor potuit; & tamdiu morari, dum aptior cibus vires repararet, quidni in re etiam nostra accidere idem possit, ut quamvis tardiores aliqui, crassiorésque parùm ex lectis intelligant, illud ipsum modicum tamen vitam eorum tantisper servet, donec aptiore, magisque ad eorum palatum faciente escâ reficiantur?

Operis titulus est: *Homo Christianus in sua Lege institutus*: hoc enim est, quod spectat: Instituere vult Christi assectam, ac docere, non tam quid credere, quam quid agere debeat. Prius illud summa cum laude, cumulatéque jam præstiterunt insignes viri in Catecheticis suis Institutionibus, magno Provinciarum assensu exceptis: amplior ad alterum relictus est campus. Atque in hoc longiùs excurrere mihi visum est: cùm pridem observâssem, non debere quemquam, qui Animarum curam admiserit, sibi persuadere; satis se fecisse muneri, si tenero gregi sanctissimæ Religionis nostræ Dogmata explanârit, nisi etiam Præcepta, quæ servare oportet, adultioribus inculcârit. Quo autem istud modo? an sufficiet illa iterum iterúmque recitâsse, aut verbis præivisse? minimè id quidem. Necesse omnino est, addere causas, quæ ad illa implenda moveant; addere media, quæ ad implenda juvent. Media, sine causis impellentibus, voluntatem ad finis assecutionem non excitant: Causæ sine mediis, non ostendunt, an is obtineri possit. Mediis ergo causas, & has illis hìc conjungere visum est.

Hàc re factum est, ut tres in Partes Liber totus partiendus esset, ita argumento ipso, quod tractamus, exposcente. Prima complectitur Præcepta, quibus Lex Christiana constituitur. Altera demonstrat immanem malitiam Peccati, quo illa violantur. Tertia suggerit Media, quibus violatio hæc aut caveri possit, aut saltem emendari.

Non placuit Dissertationem Dissertationi ita innectere, ut hæc illam necessariò post se trahat, sed ut seorsim quælibet tractabilior esset; haud aliter ac moneta, tantò est ad usum promptior, quantò est minutior. Sed ne nexum quidem desiderabit, qui Dissertationes singulas perpenderit accuratiùs: etsi re ipsa illum facere, quàm ostentare maluerim. Et verò est hic, quem indico.

Id propositum Legibus est in Christiana Republica, efficere, ut homo Christianus rectè se habeat ad DEUM, hujus Reipublicæ Principem; & ad Proximum, ejus membrum: quo fiet, quisquis rectè se ad hunc utrumque habuerit,

buerit, nec secum ipso malè se habere possit. Hinc Parte primâ, primissis ijs, quæ ad Verbum DEI, seu Sacras Conciones pertinent, sine quibus hæc Christianæ vitæ norma non addiscitur, initium ab illo duco, quo Christianus ab omnibus distinguitur, qui aliam Sectam profitentur, à vera, inquam, Fide. Hæc autem, si quidem viva est, & non mortua, ac Fidei quodammodo simulacrum, nec Spe carere potest sociâ, nec Charitate: ostenditur proin Christiano, quâ ratione Fides verum finem ultimum manifestet; Spes verò ad illum tendat & anhelet; Charitas denique eidem adhærescat.

Hæc porrò adhæsio, quam intendit Charitas, non alio, quàm plenâ, perfectâque omnium DEI Præceptorum observatione absolvitur. (b) *Si diligitis me, mandata mea servate.* Accedimus proinde ad ista Præcepta, & ne latiùs vagemur per omnia, sistimus intra limites decem illorum, quæ in Monte Sina suo DEUS ore tradidit, suo digito describit: ad hæc enim denique cetera reducuntur omnia. Illa siquidem vel Naturalia sunt, vel, ut loquitur, Positiva. Naturalia charactere indelebili mortalium omnium animis altissimè inscripta, duo illa sunt. *Quod tibi fieri nolis, ne feceris alteri. Quod fieri velis tibi, fac & alteri facias.* Atque hæc quidem, Angelici Doctoris sententiâ, (c) ita Decalogo continentur, *sicut Principia in Conclusionibus*, sic inquam, ut in frugibus semina, quæ apertis illis mox ipsa in se apparent. Positiva autem sunt, quæ ingenti multitudine à viris Sapientibus subinde sunt lata: hæc quoque Decalogo continentur omnia, longè tamen aliter, quàm altera Naturæ, & scilicet, *ut Conclusiones in Principijs*, ut fruges in seminibus, non in se, & reipsâ sed virtute tantùm & efficientiâ, sic ut non nisi à peritis cognoscantur. Respondebunt igitur primæ Tabulæ Præceptis Dissertationes illæ, quæ ad id serviunt, idque spectant, ut homo ad DEUM rectè se habeat: alterius autem Tabulæ Præceptis aliæ, quæ de ordine tractant, quo rectè se is ad alios homines habeat: ea autem serie se consequentur, quæ Mortalibus hodie Theologi familiaris est, quos duces hac in re sum secutus.

Legem sequitur ejus violatio, quæ generatim, speciatimque considerari potest. Speciatim illam Parte prima suis ubique locis attendimus: quâ enim operâ de quovis præcepto ostenditur, quomodo impleatur, eâdem ostenditur, quo violetur. Generatim igitur adhuc perpendenda restabat, quod Parte secundâ facere conati sumus, quâ id maximè egimus, ut, tanta mortalium multitudo, quâ incogitantiâ, quâ insciti â peccans, tandem aliquando agnoscat, quanta sit Peccati gravis malitia: quod ipsum etiam cùm duobus è capitibus cognoscatur, ex eo inquam, quod Peccatum in se est, & ex eo, quod est in effectis funestissimis; ut illud priore modo contemplaremur, perpendimus, quomodo DEO, in quem vera propriâque injuria semper est, semetipso opponantur, ac repu-

(b) *Joan.* 14. 15. (c) 1. 2. q. 100. *art.* 3. c.

pugnet : dein quàm immenso illud odio Deus prosequatus ; quæ res non paucis sanè quàm utilibus Dissertationibus campum præbuit. Effecta autem ejus omnino funesta rimantibus, primò se obtulerunt bona maxima, quibus nos privat; mox mala ac damna, quæ infert gravissima. Et quia quidquid vel atrox, vel amabile, vel admiabile Gratiæ ordo complectitur, id omne ad Peccati extirpationem refertur ; ex his quoque omnibus ea haurire conati sumus, quæ omnium animos à Monstro hoc turpissimo vehementissimè alienent.

Quia autem sola tanti mali, quod ex Legis violatione nascitur, cognitio utilitatis afferret nihil, nisi & remedia ad manum essent, quibus tantam calamitatem evitare, aut si in eam incidere contigisset, ex eadem emergere liceret ; hinc Parte tertiâ, primo quidem demonstratur, quanti interfit post prævaricationem in misero illo statu moras nullas nectere, multóque magis ad extrema vitæ momenta emendationem non differre ; mox ad necessitatem, summámque Orationis utilitatem ostendendam transitur, quâ sine neque Dei Gratia obtinetur, neque sine Gratia quidquam sperari boni potest. Ab Oratione progredimur ad Sacramenta, tanquam certi tantùm generis peccatorum remedia, nunquam tanti æstimata, quanti æstimari summo jure digna sunt. Cùm autem remediorum planè omnium, sive quæ cujusvis, sive quæ certi generis peccatis curandis serviunt, usus frustra sit, nisi quis illa caveat, quæ sua vi ac pellaciâ ad Peccatum pertraxerunt ; à Sacramentis, ad agendum de pravis occasionibus progredimur, quæ omni conatu fugiendæ sunt, eæque sigillatim proponuntur. Subinde postquam etiam de ijs auxilijs actum est, quæ cùm extra nos sint, plurimum tamen etiam ad salutem conferre possunt, è Cælo, nostræ æternæ felicitatis cupidissimo, subministrata, toti operi finis imponitur, de præparatione ad Mortem, quâ ad possidendum ultimum nostrum finem trasimus, differendo : atque hæc totam Christiani hominis vitam complectitur, quæ si est ; qualem oportet, tota est, ad mortem præparatio.

Hæc operis series, & partium nexus est. Non tamen ea severitate partitio ista servata, ut vetitum censeremus id, de quo alicubi ex destinato agitur, loco aliquo alio attingere. Sunt nonnulla, quæ iterum iterúmque attigimus, monuimus, inculcavimus : cùm ita res ferret, & occasio : Nec temerè tamen. Experti enim scimus, non uno ictu annosas quercus sterni. Rudis populus parùm cordi habet illa monita, quæ vix semel aut iterũ audit. Quæ autẽ inculcantur & ingeruntur identidem, eorum sensim crescit æstimatio : cùm facilè sibi etiam rudes persuadeant, eo sine clavo machinam aliquam vix aut ne vix quidem posse consistere, qui toties tunditur, & tam solicitè firmatur. Neque verò in rudes tantùm, sed in omnes planè animos altiùs descendunt veritates vel auditæ sæpius, vel cogitatæ diligentiùs. Quãlibet vasta Elephanti moles in saxis, per quæ semel duntaxat ambulârit,

lârit, sui vestigia non relinquit : at quem sæpe terunt, tandem etiam formicæ euntes redeuntésque lapidem atterunt.

Et hæc de rerum tractandarum ordine. Ad formam autem dicendi, seu stylum, quod attinet, placuit in Opere, quod ad docendum refertur, uti vocibus perspicuis & proprijs, ut tantò quisque faciliùs intelligeret, quod proponitur. Eloquentiam enim clavis instar esse oportet, quæ tantò est suo in genere perfectior, quò ad reserandum, quod clausum est, aptior, quacunque materiâ, ligno an auro, constiterit. (a) *Quid prodest clavis aurea si aperire, quæ volumus, non potest*, dicebat olim S. Augustinus, *aut quid obest lignea, si potest?* Si tamen & aurea & lignea perinde ad reserandi finem idonea est, nemo est, qui non auream præoptet. Id proinde curatum est, ut stylus, si minùs illustris & splendidus, qualem quidem, egestatis meæ conscius, adhibere potuisse non glorior, nudus tamen & omni ornatu qui animi oculos oblectaret, vacuus non esset. Quamquam fortasse non deerit, qui existimet, plusculum hîc esse ornamentorum, quàm res & finis, qui spectabatur, poscerent; cùm non eruditis tantùm, sed indoctis etiam propositum fuerit scribere. (b) *Sapientibus, & insipientibus.* Sed velim meminisse eum, qui ita opinatur: non licuisse in hoc seu loquendi, seu scribendi genere uti figuris, quibus legentes, audientésve excitarentur; quales esse solent Interrogationes, Ironiæ, Aposiopeses, aliæque, quibus velut in scena variè, & mutatâ quodammodo personâ, illi utuntur Oratores, quibus eloquenter dicere, ipsâq; dicendi ratione attentũ tenere auditorẽ proposítum est: eas autem ad Conciones tam præclaris dotibus opus est, quas in omni animarum Pastore, qui hac meâ opellâ usurus est, quærere aut sperare, prudentis non est. Alijs ergo ad Auditorem attentum reddendum, conservandúmque medijs utendum erat. Talia autem in familiari ejusmodi institutione fore arbitratus sum, similitudines, exempla, eruditionem multiplicem, aliáque curiosa; quæ dum virtuti imaginatrici blandiuntur, intellectum etiam deliniunt, ut, ne sua illam voluptate priver, veritatem audire minimè detrectet: quæ profectò minùs grata, & invisa etiã accideret, si omni destituta ornatu ac elegantiâ se oculis offerret. Hinc etiam mirum videri debet nemini, si illa, sacris ceteroquin suggestis propria, non adest verborum congeries, quæ genus quoddam dicendi vehemens ac concitatum postulat, tono humili minimè contenta. Nam etiam non omnes, quibus ista scribimus, eâ sunt vocis ac laterum firmitate, quâ generi huic dicendi sufficiant. Neque verò id necesse est. Non enim clamando tantùm & perstrependo somnus dormientibus excutitur. Sic quidem non dormientem, sed mortuum, & suo volutatum in sanguine Holophernem, qui illi à cubiculis erant, excitare conati sunt. (c) *Ante ingressum cubiculi perstrepentes, excitandi gratiâ, inquietudinem arte moliebantur, ut non ab excitantibus, sed à sonantibus Holopherne evi-*

e

(a) *de Doctr. Christ. l. 4. c. 11.*
(b) *Rom. 1, 14.* (c) *Judith, 14. 9.*

evigilaret. Alius somnum pellendi, & tumultuoso illo fortasse efficacior, certè suavior modus est, si lumen in dormientis cubiculo clarum & micantissimum accendatur: hoc enim illum & dulciter & potenter excutit. Sic in carcere dormientem Petrum Cœlestis Genius excitavit, dum immissâ fulgentissima luce dormire porro vetuit. Hanc rationem isto in libro tenere studuimus, Voluimus excitare è somno peccati eo absorptos, non tumultu excitato, sed vivi fulgentisque luminis acceńsi virtute. Ad lumen autem ejusmodi animandum augendúmque incredibile dictu est, quantum valeant aptæ vivæque similitudines, cùm earum ope probè admodum percipiantur, quas auris excipit, veritates.

Ceterùm id præcipuè, non negârim, hoc libro spectatum est, ut usui esset sacris animarum Pastoribus & Rectoribus; non ita tamen, quin etiam à quocunque alio, cujuscunque gradus ac conditionis lectus, sive alijs ille præsit, sive subsit, plurimum allaturus sit utilitatis. Non aliter, quàm in Tabulis nauticis accidit. Navarchorum illæ maximè usibus elaboratæ sunt. Nautarum tamen, & Vectorum etiam cuilibet licet illas contemplari, curiosè, minutímque volvere & examinare; ut sciat, quos jam scopulos feliciter declinârint, & qui deinceps fugiendi superstint: quot jam viarum in Mari confecta sint spatia, quantum conficiendum restet, quorum ventorum timendi sint flatus & furiæ; quorum afflatu secundissimâ navigatione in portum sint propellendi.

Siquo autem casu aliorum planè nemo hunc librum suis & manibus & oculis dignaretur, spero equidem nunquam abjiciendum ab ijs, qui Sacris, quas dicimus, Missionibus dant operam; qui ut alios divini verbi Præcones dicendi ardore ac vehementiâ superant, *evangelizant virtute multa*, ita nunquam dissertationum istarum teporem perosi minùs illas caras habebunt; quo enim ipsi calent ardéntque igne, hoc etiam frigidos istos carbones afflare & accendere scient. His igitur, præquam alijs, tanquam fidis socijs in quærendis Animabus, magísne neglectis, an semet negligentibus? hos meos labores affectu propensiore offero. Quid autem dico, offero? imò offerimus, ego & ille adeò mihi intimus, ut vix à me ipso illum distinguam; quodtamen nullâ ipsius injuriâ dixerim. Est hic P. Joannes Petrus Pinamontius, meus in sacris per pagos villásque excursionibus socialis individuus: qui ut quinque ferè lustrorum spatio mecum observavit, quanta sit agrestium populorum, divini verbi Præconibus destitutorũ, necessitas ac indigentia: ita longo jam à tempore stimulos mihi admovere non destitit, ut in librum hunc lucubrandum incumberem, adeò ut fidelem omnino operam ipsemet jungeret, quâ adjutus illum inchoarem, invenirem, aptè cuncta disponerem, extremam denique manum imponerem. Igitur ut animo, ita & sensis ac judicijs uniti, ijs, quos dixi, Missionarijs Apostolicis hoc, qualecunque est, Opus offerimus; non dubiâ spe, quin si rationum ac momentorum, quæ afferimus utique non pauca, cuspidi ad intellectum expugnandum, hastam ipsi adjunxerint humanæ vivæque

que virtutis ac efficaciæ, multóque magis si hastæ & cuspidi, divini adjutorij accesserit brachium; fortassis non inutilia illa experturi sint ad insignes victorias, quas toto passim Mundo, tanto commodo, ex stygе referunt, ad Divinæ incrementum gloriæ, cui propagandæ ijsdem quidem armis cuncti, sed non ijsdem sub insignibus aut vexillis militamus.

Quæ causa fuit, ut hæc, quæ porrigo, arma omni studio adlaborarem cudere ac fabricare in officina notissima passim ac æstimatissimâ: in officina inquam, Summæ S. Thomæ Doctoris Angelici: Atque ita ut confido me ejus adjutum directúmque præsidio, & ope cœlesti, non aberrâsse in tot, támque varijs de multiplici Christiani hominis officio, doctrinis & assertionibus, ipsius authoritate maximam partem nixis; ita rationi consentaneum duxi, cui ista debeam, palam profiteri, & animi, tanto Doctori devotissimi, quo manifestius, hoc perennius statuere monumentum.

* *
*



INDEX

Discursuum hac prima Parte contentorum.

DISCURSUS I.

De Verbi divini, seu Concionum audiendarum necessitate.

Conciones sacras esse instrumentum à DEO electum ad restaurandum in Christianorum quolibet illud ipsum, quod originariæ noxæ culpâ in intelligendi perinde, ac volendi facultate destructum fuit.

DISCURSUS II.

Quæ causa modici ex auditis sacris Concionibus fructûs?

Modici hujus fructûs causam plerumque esse audientium ineptitudinem, qui in triplici classe sunt: prima eorum est, qui illas rarò admodum audire curant: secunda eorum, qui, cùm audiant, ad animum tamen non admittunt: tertia denique eorum, qui cùm admiserint, curam auditorum deinceps nullam habent.

DISCURSUS III.

De Fide.

Cùm Fides sit radix Beatitatis nostræ cælestis, tria ad illam necessariò requiri: ut sit firma, ad Intellectum hominis primæ & divinæ Veritati subijciendum: ut profunda, ad eundem divinorum Mysteriorum cognitione alendum: ut fœcunda, ad eum magno piarum actionum numero locupletandum.

DISCURSUS IV.

De Spe.

Ostenditur quàm pulchra sit inter Christi sequaces vera Spes Justorum, & quàm turpis falsa Impiorum.

DISCURSUS V.

De numero Electorum & Reproborum.

Tam Authoritatis, quàm Rationis lumine investigatur, an plures è credentium

dentium numero salvi fiant, an verò æternùm pereant?

DISCURSUS VI.

De modo ac via animi salutem certò consequendi.

Tutam obtinendæ salutis animæ viam esse, petere illam Orando, & quærere illam simul operando: petere autem, & quærere illam non solùm hæc conjungendo, sed etiam præter illam nihil spectando.

DISCURSUS VII.

De Præcepto amandi Deum.

Cùm Amor inter Animi Affectus id sit, quod inter metalla aurum, indagatur, tam quæ sit vera ejus natura, quàm quis lapis illius lydius. Quæritur inquam, quid sit hoc Præceptum amandi DEUM super omnia; & quo experimento constare possit, quòd ipsum ad amussim observetur.

DISCURSUS VIII.

De Peccato Blasphemiæ.

Blasphemiam in rectæ Rationis libra gravius esse delictum quovis alio Christianorum; nec ad ejus pondus elevandum sufficere, si, ut solet, dicatur, proferri illas aut iræ impetu, aut pravæ assuetudinis vitio.

DISCURSUS IX.

De Execrationibus, seu Imprecationibus.

Plurimum interesse, ut quis his Execrationibus abstineat; tum quia sæpe nocent ijs, quibus maledicitur; tum quia nunquam non gravissimè nocent ipsi maledicenti & execranti.

DISCURSUS X.

De Juramento.

Demonstratur inprimis, quantum sit malum jurare sine Judicio, sine Justitia, sine Veritate: deinde sumptis hinc animis in id incumbitur, ut quodvis Juramentum, quoad ejus fieri potest, ex omnium Christianorum ore quàm longissimè ablegetur.

DISCURSUS XI.

De Præcepto sanctificandi dies festos.

Ostenditur primo loco, inter Christianos dies festos jam minimè festos esse, vel quia plerique illorum non removent impedimenta ad eos sanctificandos; vel quia negligitur finis, qui in tali sanctificatione spectatur: deinde autem monstratur modus eos sanctè ac piè transigendi.

DISCURSUS XII.

De Sacrificio Missæ.

Explicantur maxima bona, quæ in nos per hoc Sacrificium redundant, dum facit, ut expungere possimus ex toto nomina illa omnia, quibus nos DEUS sibi ostrictos habet: dein ratio ostenditur, quâ bonis iſtis abundè potiri valeamus.

DISCURSUS XIII.

De recta Liberorum educatione.

Crudelem in se, & in suos esse, quisquis Liberos suos rectè educare negligat; cùm gravissimè suam simul, & illorum animam vulneret.

DISCURSUS XIV.

De duplici peccato in Liberorum educatione admitti solito.

Duplici maximè peccato fieri, ut Parentes Liberorum suorum fiant parricidæ; si bona non doceant, & si doceant mala.

DISCURSUS XV.

De alijs duobus modis, quibus in educatione prædicta peccatur.

Immeritò bonum Parentem dici, quisquis non caveat gravissima duo peccata: quæ sunt; negare liberis, quam oportet concedere, libertatem; & concedere eam, quam oportet negare.

DISCURSUS XVI.

De debito, quo Liberi tenentur venerari suos Parentes.

Si ingens probrum est, non expungere sua nomina, summam etiam infamiam sibi conscisscere eos libros, qui vitæ, alimentis & educationi, quæ à Parentibus accepere, bona utique maxima, non rependunt honorem, sustentationem, & obedientiam.

DISCURSUS XVII.

De Eleemosyna.

Expositione Præcepti Eleemosynæ id agitur inprimis, ut Christiani inducantur ad subveniendum egentibus, quantum tenentur; & proponendo ejus præmium, ad subveniendum etiam plus, quàm tenentur.

DISCURSUS XVIII.

De modo stipem pauperibus largiendi.

Tribus maximè signis agnoscendi verè beneficium erga inopes: manu largâ, vultu affabili, & obtutu in cælum defixo.

DISCURSUS XIX.

De Præcepto fraternæ Correctionis.

Nequis majus justo onus sibi impositum existimet, proponitur, quæ sit propria errantes corrigendi obligatio; deinde indicatur ratio cum fructu & utiliter eâ defungendi.

DISCURSUS XX.

De Ira frenanda.

Ad domandam Iram, equum effrenem, qui omnem ferè sessorem excutit, ijsdem omnino medijs opus esse, quibus equus edomatur; dexteritate simul & animi præsentis vigore.

DI-

DISCURSUS XXI.
De vitando Pravorum commercio.

Quàm solicitè caveri debeant Pravi ob gravissima, quæ alijs inferunt, damna: & quàm meritò timere ipsi debeant ob mala, quibus, dum nocent alijs, sibi quoque nocent.

DISCURSUS XXII.
De venia Inimicis danda.

Cùm triplex tantùm Pacis genus sit, quo gaudere hac in vita quis potest, cum DEO, secum, & cum Proximo, ostenditur triplici hoc Pacis genere se privare, qui Pacem non vult habere cum Inimico.

DISCURSUS XXIII.
De pernitioso Luxuriæ malo.

Cùm ad obtinendam cujusvis hominis salutem gemina voluntate firmâ opus sit, Divinâ & Humanâ, demonstratur inprimis, quàm facilè turpe Luxuriæ vitium impediat voluntatem Divinam.

DISCURSUS XXIV.
Pluribus exponitur infelix Lascivorum conditio.

Lascivos difficulter induci ad negotium salutis seriò gerendum: primò quia malum suum non agnoscunt; deinde etsi cognoscant, non horrent tamen; denique etsi horreant, ad seriam tamen emendationem animum non inducunt. Atque ita altera etiam assertionis ante positæ pars demonstratur.

DISCURSUS XXV.
De Excellentia Virginitatis.

Parte prima ob oculos ponuntur maximæ Virginitatis opes ex eo, quòd tanti illam semper fecerint Homines, Cælites, & ipsi adeò mali Dæmones; transitur dein parte altera ad ostendendam immanem ejus prodigalitatem, qui harum opum jacturam temerè facit.

DISCURSUS XXVI.
Damnatur Avaritia.

Ad Avaritiam, quæ malorum omnium Radix appellatur, vitandam impellere nos debent tres ejus funestissimæ Proprietates; quòd sit occulta, quòd fœcunda, quòd semper ejus humano ex animo evellendæ difficultas crescat.

DISCURSUS XXVII.
De Restitutione rei alienæ.

Palàm sit, in quos casses Incidetit Anima, quæ alienum abstulit, cùm salutem consequi nulla ratione possit, quisquis illud non vult reddere; reddere autem sit longè difficillimum possidenti.

DI-

DISCURSUS XXVIII.

De Judicijs temerarijs.

Quiſquis alterum temerè judicat, eâdem operâ ſeipſum condemnat, tanquam Judex ſine Authoritate, Scientia & Juſtitia: & idcirco DEUS illum vehementer odit.

DISCURSUS XXIX.

De Detractione.

Ut Detractor oſtendatur eſſe ſimilis illi Beſtiæ, quæ Danieli triplici dentium ordine inſtructa apparuit, ſufficit obſervare triplicem illam ſtragem, quam unico ipſe morſu infert bonæ famæ Proximi abſentis, Conſcientiæ Proximi præſentis, & præcipuæ Animæ ſuæ propriæ.

DISCURSUS XXX.

De Mendacio.

Chriſtianum Mendacem offendere Naturam ſimul, Rationem & Fidem; propterea quòd tam rebellis ſit lumini, quo illius Animam quælibet harum illuſtrat.

DISCURSUS XXXI.

De Peccatis, quæ ſolâ Cogitatione admittuntur.

Ad Animum à pravis Cogitationibus defendendum, iiſdem opus eſſe, quæ ad arcem aliquam cuſtodiendam: Vigilantiâ adversùs inſidias, & Fortitudine contra aſſultus.

* *
*



DI-

DISCURSUS I.

De verbi Divini, seu Concionum sacrarum audiendarum necessitate.

1. VIsum est aliquibus, Ursam, cùm catulos informes pariat, eos subinde linguâ lambendo formare, atque ita perficere opus suum, antea inchoatum potiùs, quàm absolutum. Si ita res se haberet, dicerem, DEUM voluisse nobis proponere imaginem eorum, quæ sacræ Conciones in animis nostris efficiunt. Nascitur homo ad vivendum vitâ Gratiæ in sacro Baptismi lavacro: malè tamen affectus, maléque formatus, ob perduellis concupiscentiæ fomitem, in eo regnantis, & naturæ destructæ perturbationem. Quid facit proinde Sancta Ecclesia, non contenta partu, quamvis nobili & eximio? En, Sacerdotum linguâ paulatim efformat opus nondum suis numeris absolutum, & destruendo nominem veterem, Adami imaginem, elaborat hominem novum, imaginem Christi JESU: atque ita bis Mater efficitur filiorum suorum: Mater in primo partu, qui actu uno absolvitur, infantis scilicet ablutione: Mater in secundo, qui non nisi cum vita finitur, institutione inquam; id quod nobis ipsa identidem in memoriam revocat illis Apostoli verbis. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Atque hinc nascitur communis illa necessitas, audiendi verbum DEI, seu Conciones & Hortationes: hæc siquidem instrumentum sunt à DEO electum, ad reparandum in nobis id, quod culpæ maleficio destructum est. Consideremus proinde Cariſſimi, utrumque, malum inquam, & ejus remedium. Malum, quod pariit noxa; remedium, quo illi medentur Conciones; ut vos paretis animos ad libenter audienda, quæcunque vos in diversis familiaribus dissertationibus, seu discursibus docere constituit: neque enim arbitrarium vobis, sed necessarium est illa sine tædio audire salutaria monita, quibus Divinæ Providentiæ uti placuit ad salutem animarum vestrarum. Ita monet Jacobus Apostolus: *Cum mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* DEI verbum rami instar est alteri trunco insiti, qui præparat nos ad vitæ æternæ fructus ferendos. Sed non inhæresci t ramus trunco, si hic illum patienter non recipit. Aggrediamur nunc, si ita placet, primum è

Gal. 4. 19.

Jac. 1. 21.

punctis propositis, malum inquam, quod peccatum in nobis efficit.

I.

II. Dei providentia, in fingendo homine, id spectavit, ut Mundum formaret, parvum quidem, sed vel ipso Mundo magno admirabiliorem, conjungendo non jam cælum & terram, sed Spiritum, ac Corpus, partes nimirum à se invicem dissidentes; illam cæli genis, hanc brutis affinem. Peccatum autem, opponendo se cunctis Dei molimínibus, tam mirandum opus planè penitúsque pervertit, faciendo ut in nobis Terra præsit Cælo, Corpus imperet, Anima serviat. Nemo non hominum hanc rerum perturbationem experítur; cùm in se sentiat alienationem ab omni piarum actionum genere, pugnam & renitentiam contra omne, quod nos divina lex jubet. *Scio, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum*, S. Pauli verba sunt, miseram, hanc & acerbam sortem experti. Et quamvis Servator noster ad curandum in nobis tam grave malum, balneum nobis divini sui Sanguinis in Baptismi Sacramento parârit, animum tamen ad hoc advertere oportet, quòd hoc lavacro non ex toto sanemur; cùm in nobis, etiam eo ablutis, prava illa ad malè agendum inclinatio perseveret, quam peccati fomitem appellamus.

Rom. 7. 18.

III. Puerulum cogitate, qui ludibundus per viam incedat, & fallente vestigio cœnosam in lacunam miserè prolabatur. In casu hoc duo observanda sunt; mala habitudo, quæ corpus prolapsi afficit; & sordes, quas cœnum aspergit. Mater clamore & ejulatibus filii excita accurrit; humo attollit, sic est, & absterso cœno vestem aliam injicit. Sed ea re omne malum non emendatur; tam enim puer languido adhuc & affecto ex lapsu est corpore, ut ne movere se quidem, sine molestia possit, & tot ferè eundo gemitus, quot passus numeret. Sic & natura nostra, prolapsa cum Adamo, ejus vitio in peccati lutum incidit. Accurrit Mater nostra sancta Ecclesia, & nostrûm quemlibet sacri Lavacri ope attollit, & non cœnum tantùm abstergit, peccati in anima sordes, sed splendidissima etiam Gratiæ veste induit. Nec tamen ea re totum reparatur, quod casu illatum est, damnum: sentiunt enim omnes facultates nostræ prolapsionis hujus mala, Intellectus maximè rerum ignorantiam; Voluntas verò in malum propensionem. Consideremus utramque, ut mali magnitudine perspectâ, tanto promptiùs media illi curando amplectamur.

IV. Narrat S. Clemens, Divum Petrum Mundum hunc comparare solitum cum domo fumo plena, in qua qui habitat, nec quod extra illam, nec quod intra illam est, videt. Perinde rudes sumus in pernoscendis, quæ hanc ad vitam pertinent, ac in iis, quæ ad alteram. Magna æstimamus, & bona & mala hujus temporis; quia ante oculos nobis proximè obversantur. Parva æstimamus bona & mala vitæ alterius, quia longiùs à nostris sensibus remora sunt: errore non absimili illi, quo mare intuentibus nigræ videntur undæ, quæ distant longiùs; candidæ illæ, quæ extremo in litore deambulantium pedes lam-

Lib. 1 Re cogn.

Arist. Probl. sect. 23 q. 20.

lambunt. Nec tamen velim existimetis deplorare me naturalem aliquam insciti am, & congenitam tarditatem, quâ Mortalium plerique laborant. Hæc me parùm cruciat. Quæ circa terram hæret nebula, in nubes non cogitur, nec solem eripit: illa serenum mutat in turbidum, quæ sursum ascendit. Illa mihi insciencia, illa hebetudo dolet, quæ circa illa est, in quibus animæ salus agitur, circa quam tam sumus stolidi, ut ne cogitare aliquid salutare possimus. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.* Mirum dictu! Nihil est facilius quàm aliquid cogitare. Tam fœcunda mens nostra est, ut momento unicoalias aliásque cogitationes concipiat. Ubi tamen de felicitate nostra æterna agitur, ne unicam quidem formare possumus; nisi Deus, auxilio, quod intra naturæ ordinem promptum semper paratúmque est, non contentus Gratiæ suæ luce congenitas tenebras dispellat. Non malè in rerum, quæ intra naturæ ordinem sunt, cognitione quis cum terso & nitido speculo Intellectum contulerit; tam facilè in se exprimit imagines rerum, quæ objiciuntur. Sed in eorum, quæ supra naturam sunt, agnitione similis est speculo offuscato, cujus fuliginem si Deus non absterserit, ne unam quidem earum ex ordine fingere poterit.

2. Cor. 3 5

V. Hæc tamen lapsæ naturæ insciencia malorum ejus minimum est: *Natura* enim *humana* si rectè Angelicus sensit, *magis corrupta est per peccatum quoad appetitum boni quàm quoad cognitionem veri.* Major est plaga, quâ Voluntas sauciata est, adeò quidem, ut nonnunquam optabile sit, mentem habere obtusam, cùm aliunde voluntate simus tam perversâ. Sapienter natura Aspidi oculos debiles tribuit, nec illos in fronte, ut homini, sed ex temporum utroque latere; ut ita minùs veneno suo iis nocere possit, quos obvios habet. Sic non parùm nobis commodat illa vel ignorantia, vel obscura notitia, quæ ceteroquin tam grave supplicium est. Hinc colligere licet, quantum malum sit voluntatis nostræ pravitas, cui comparatæ tenebræ optabiles sunt. Idque tanto magìs, quòd voluntas Appetitui quodam velut fœdere juncta, rebellis hujus servæ vires vehementer auget; eâ omnino ratione, quâ seditiosæ plebeculæ vires Nobilium accessione plurimum crescunt. Atque hoc voluntatis pravæ cum indomitis facultatibus animalibus fœdus, tyrannidem subinde illam constituit, quam S. Paulus peccati legem dixit. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: legem vivam, non mortuam, quæ idcirco non suadet tantùm, sed vi adhibita propè cogit: *Captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*: legem tam fallere doctam, ut majori se amore ab iis amari faciat, quos tractat inhumaniùs: verbo legem, quæ toties in ducit hominem, ut sanctissimam Dei legem violet, constituendo se Idolum, Amoris proprii manu, ut S. Augustinus loquitur, supra DEI contemptum, erectum.

Plin. l. 8. c. 23.

Rom. 7. 23.

l. 11. Civ. c. 28.

VI. Hoc est debitum à primo Parente nostro Adamo hereditatis instar

nobis relictum. Pessimum autem est, quòd ad hanc tam magnam sortem principalem de nostro nos longè plurimum addamus, iis noxis, quas nulla non die admittimus. *Ille*, S. Joannis Chrysostomi verba sunt, *Ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis.* Atque hîc observare vos velim, Dilectissimi, quodvis peccatum à nobis admissum, ita affirmantibus Sanctis Patribus, proportione quadam ejusdem omnino perturbationis causam esse, cujus in tota natura humana causa fuit peccatum à primo parente admissum. Atque hinc est, quòd, cùm is, qui peccat, nullo non die admissis novis delictis augeat vires pravæ propensionis, identidem etiam res suas deteriore loco esse faciat. Hæc porrò prava propensio ut nascitur ex delictis jam perpetratis, ita præsagit complura etiam deinceps perpetranda. Ratio ejus rei est, quia auget tenebras nostræ ignorantiæ, sic nos exoculando, ut in ipso meridie Sanctæ nostræ Fidei agenda non pervideamus. *Impegimus meridie, quasi in tenebris.* Et verò, an non quotidiana id vos docet experientia? Non desunt complures è Christianorum numero, qui etsi credant, esse æterna Inferorum supplicia, & vel unicum peccatum gravius admissum, sufficere, ut in igneum illum carcerem nunquam exituri conjiciantur; eâ tamen sunt præfidentiâ, ut non horreant, assiduò peccatis obnoxii vivere, minúsque eos vitæ sceleratæ pudeat, quàm insonas Mahometi cultores; quin eò nonnunquam deliburitur insaniæ, ut æternos rogos minitantibus respondeant: *Patientia! fiat quod Deus vult.* Prô dementiam! éstne invenire unum aliquem, qui in ipsa densissima Infidelitatis nocte minùs videat, quàm ejusmodi Christianus in Fidei suæ meridie? Quod autem horrorem auget, istud est, quòd ita respondeant homines ceteroquin haud quaquam stolidi: unde illis amentibus mihi persimiles videntur, qui uno tantùm certo in genere delirant; & idcirco, cùm aliis de rebus agendum est, prudenter disserunt: ubi autem illius generis mentio inciderit, circa quod læsi sunt, miris statim modis ineptiunt. Videte hominem, in rebus emendis, vendendis, permutandis solertem; in familia, & re domestica procuranda industrium, in periculis providendis & evitandis cautum: hic ipse, tam in animæ suæ negotiis est ignavus & incurius, ut nullam habere videatur, semper in iis, quæ ad alteram vitam pertinent, providendis minùs oculatus, & in iis negligendis magis stultus.

Hom 1. ad Neoph.

Psal. 89. 10.

VII. Ut autem tenebras intellectui peccatum offundit, ita pravas propensiones augendo, voluntatem quoque suis in malis indies magis obfirmat, sic, ut illa, etiam cognita ac perspecta, vitare tamen pensi non habeat, & licèt meliora videat probéque, sequatur tamen deteriora; quæ ipsa fuit causa, ob quam Philosophus Lascivos semiebrio comparavit: licet enim hic, quid fugiendum sit, videat; quia tamen cognitio illa tenuis admodum est & imperfecta, illud non fugit. Ita mutuâ, sed valde pernitiosâ, ope se juvant Voluntas depravata, & intellectus excæcatus ad damna

damna gravissima sibi inferenda: Voluntas quidem novarum culparum accessione tenebras Menti offundendo; cœca verò Mens voluntatis obstinationem adaugendo.

VIII. Hæc est infelix cujusvis nostrûm conditio, quam debemus partim peccato, in quo nascimur, partim peccato, in quo deinceps vivimus, naturæ perversæ pravam assuetudinem adjungentes. Divina autem Providentia, pro sua infinita Bonitate, dum malis nostris mederi vult, & quæ in deterius mutata restaurare ab eo, quod omnium pessimum est, & de quo hactenus dictum, initium sumit, illíque curando sacris præcipuè Concionibus utitur, quod secundo loco vobis demonstrare constitui, si porrò benevolas aures præbetis.

II.

IX. Et quidem ad tenebras ignorantiæ quod spectat, nôsse oportet, Deum, si vellet, posse nos docere, intus tantùm nobis loquendo sicut veteri in Lege Prophetis suis ipse locutus est: sed non hæc ipsi ratio placuit; vult homines per homines docere, præparando eos etiam hoc ipso demissionis actu ad discendum majori cum suo emolumento. Ita videmus, etsi Servator noster Ipsemet cælo descenderit, locutúsque sit S. Paulo, ut in salutis semitam eum reduceret, deinceps tamen instituere virum non voluisse, sed instituendum ad Ananiam misisse, è Discipulorum suorum numero unum: ut intelligeremus, medium, quo Deus ad animi nostri tenebras pellendas plerumque utitur, esse Institutionem alienam; quod quidem medium tam est eum in finem consuetum, ut S. Augustinus existimârit, aliud non esse, quàm tentare Deum, velle ab ipso collustrari, & nolle audire prædicantem. *Non tentemus Deum, ut nolimus prædicantem hominem audire.* En igitur legem generatim Sanctæ Ecclesiæ, & in hac credentium cuilibet, latam: *Audi, Filia, & vide.* Audi, & vide: quod perinde erat ac dicere: submitte priùs aures ad audiendum eum, qui te docet, & subinde etiam oculos aperies ad videndum, quod antè latebat. Quare si ex me quæritis, quæ causa sit tam miserè laborantis inter Christianos Morum honestatis, mox sine hæsitatione pronuntio; causam esse ignorantiam: *Ignorantia, Mater cunctorum vitiorum.* Si porrò quæritis, quis fons sit tantæ vel inter Christi asseclas ignorantiæ, qui tamen dicti sint filii lucis? *ut Filii lucis ambulate*: non minùs prompta est responsio: Nascitur hæc ex eo, quia vel non est, qui Dei verbo Christianos erudiat; vel quia non est, qui docentes sedulò audiat. Verbo: non vident, quia non audiunt: *Audi, Filia, & vide.*

X. Hinc apparet, quàm desipiant illi, qui cuperent Sacerdotem inter Sacrum peragendum nunquam verba ad populum facere; multóque magis cuperent, ne unquam eorum ad templa viri accederent Apostolici, magna conrentione ad salutis æternæ curam torpentes excitaturi, præclara hac excusatione usi, sic non ad Christianos, quales ipsi sint, sed ad perfidos Turcas esse dicendum. O verè miseros! vel enim sic illi loquen-

Act. 9. 7.

Prol. l. 1. de Doctr. Chr.

Ps. 44.

38. dist. c. ignor.

Eph. 5. 6.

tur, naturali suâ intelligendi perspicaciâ confisi, quâ abunde cogniturî sint, quid ad Animæ salutẽ consequendam necessarium sit; vel ita loquuntur, fidei suæ lumine nixi? Si illud, insani sunt, tantóque magìs insani, quò sibi sapientiores videntur: neque enim solum naturæ lumen quoquo modo sufficit ad Animæ nostræ necessitates nobis manifestandas, aut modos suggerendos, quibus his medeamur. Ut cernamus, quæ propinqua sunt, simplici vitro satis juvari potest oculus: remotiora non nisi geminato nobis distinctè repræsentantur. Eadem est rerum noscendarum ratio. Ad res caducas, quæ circa nos sunt, pervidendas, Ratio naturalis sufficit: ad ea quæ æterna sunt, & tam procul à nostris sensibus remota, perspicienda, non sufficit. Imò, si de his homo sola Ratione adhibitâ disputare velit, & sibi, & aliis illas prorsus alias, quàm re ipsa sint, proponet: id quod tot Antiquis Philosophis accidit, qui solius naturalis luminis acie confisi, in fœdissimos errores prolapsi sunt; minúsque de DEO cognoverunt in tantilla illa summi veri scientia, quàm rudissimus quisque inter Christianos hodie de eo intelligat. Præter Rationem multo magìs Fidei lumine opus est, cujus ope eò pertingere hodie vel puerulus potest, ut dicere cum veritate possit: *Super senes intellexi.* *Ps.* 118. 100.

XI. Si autem hi Institutionis alienæ contemptores Fide nituntur, quâ tanquam Christiani donati sunt, in hoc quoque decipiuntur: *Declaratio Sermonum tuorum illuminat*: ut Regius Psaltes loquitur. Id quod lumen nobis præbet ad agendum, non est Fides illa tantùm in Sacro Lavacro nobis infusa, sed magni hujus doni, & omnium eorum, quæ divina nobis lex præcipit, Declaratio. *Declaratio Sermonum tuorum illuminat.* Non satis est, memoriâ tenere Symbolum Apostolicum, memoriâ tenere Decalogi præcepta: necesse est insuper horum explicationem audire; absque hoc perseverabitis in vestris tenebris, & ne passum quidem unum in salutis semita promovebitis: non cognoscetis Deum, nisi quantum sufficit ad eum offendendum: non scietis plus de Christo, quàm quod satis sit ad eum blasphemiis irritandum: non plus de peccato, quàm quòd ad illud admittendum sit satìs. De cetero hærebitis in vestra illa nocte tam in gravissimo salutis negotio, quàm in pernoscendis ejus consequendæ mediis: eritis in templis præ quovis Ethnico irreverentes; domi verò vestræ ipsis belluis intractabiliores. *Ps.* 128. 130.

XII. Alloquor hîc præcipuè illos Patres familias, qui uxores suas mittunt ad Sacrum, intra quod Sacerdos ad populum verba solet facere; ipsi verò illud audiunt, sub quod non est, qui verbum dicat. Alio omnia fieri convenit. Si cui ex familia DEI verbum audiendum est, audiendum est Capiti, in quo rerum divinarum inscientia plu-

plurimum damni affert, cùm hæc non ipsi uni, sed toti familiæ noceat. Cometæ nunquam majora mala portendunt, quàm cùm medium cæli occupant. Tum enim omnem in partem malignos suos radios diffundunt, & pluribus simul populis ac regionibus funesti sunt. Non aliter eorum ignorantia, qui locum domi altiorem obtinent, plus quàm aliorum, affert detrimenti. Volo proinde, ut omnes ad audiendum DEI verbum conveniant, sicut, si tantum mihi juris esset, facerem & ego, quod S. Cæsarius Arelatensium Præsul, qui cùm inter sacrificandum pro concione dicere volebat, templi januas occludi jussit, nequis inde se subduceret. Saltem eorum nemo desideretur, qui præ ceteris sapit, séque ita sapere ostendat non se subducendo. Nemini satis sit, rudem duntaxat Mysteriorum Fidei nostræ habere notitiam, & modi quo Sacramenta suscipienda sunt: nemini, inquam, sit satis. Peristromata complicata oculos sui spectaculo non oblectant. Sic Sanctissimæ Religionis Mysteria, quæ Divina Sapientia admirabili ratione invenit, Divina verò Bonitas ac Potentia prodigiosissimè perfecerunt, quia à maxima Christianorum parte non nisi obiter & perquam confusè cognoscuntur, perinde ferè eos afficiunt, ac si penitùs ignorarentur.

XIII. Neque tamen hîc sistit Concionum auditarum fructus: hæ enim non solùm dispellunt offusas animo à peccato ignorantiæ tenebras, sed voluntatis etiam malè affectæ perturbationem emendant: *Lex domini immaculata convertens animas.* Propè Nili cataractas feræ non morantur, absterritæ perpetuo aquarum ex alto cadentium fragore: Equidem si & vos festâ qualibet luce ad verbum divinum audiendum accesseritis, intelligitis ex me crebrò inculcari noxæ lethalis gravitatem, æternum pereundi pericula, Divinæ Justitiæ rigorem, & quæ sunt alia generis ejusdem, momenti sanè quàm gravis, de quibus agere instituì: hoc autem si fiat, prodigio simillimum foret, si non terrerentur pravæ propensiones vestræ, nec illo sinu migrarent, in quo ipsis porrò quietis esse non liceret. Non sunt rara hæc Divini verbi auditi prodigia. Evolvite, si lubet, Sacras historias, & invenietis, sæpe DEUM verbi sui ab hominibus propositi medio usum ad mutandos hominum animos, mentésque; eósque ex bestiis, quales fuerant, in Dei filios convertendos. *Psal. 18. 8.*

XIV. Scribit Theodoretus, Persas, antequam ad eos Evangelii fama perveniret, tam extra omnes honestatis & temperantiæ limites fuisse evagatos, ut non sorores tantùm, sed filias etiam, aut matres sibi conjugio copularent: tam insuper crudeles fuisse atque immanes, ut pro eo quòd terræ mandarent vitâ functorum cadavera, canibus illa devoranda objicerent. Eâdem barbarie, qui ad Caspium mare incolebant, humanis cadaveribus canes suos pascebant: Scythæ verò eodem tumulo vivos mortuósque

tuósque condebant. Omnium immaniſſimi Maſſagetæ non uſu ſolùm, ſed lata lege, ſenes ſuos mactatos in lætis conventiculis devorabant. Omnes tamen iſtæ Nationes, & plures aliæ aut æquè, aut etiam magis barbaræ, Apoſtolorum, aut eorum qui in Apoſtolico munere ipſis ſucceſſerunt, prædicatione tam in alios homines mutati ſunt, ut non tam homines, quàm Dei filii dici mererentur. *Ego dixi, Dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Vos igitur ipſi judicate, quæ in vobis Divini verbi vis ac robur ſit futurum, qui Dei beneficio procul à barbarie, ad omnem eſtis humanitatem exculti.

Pſ. 81. 6.

XV. Videor mihi audire, quid tacitè vobiscum contra hucusque dicta muſſitetis; nimirum, quæ enarrata ſunt, prodigia tunc contigiſſe, cùm vel Apoſtoli, vel eorum ſucceſſores illuſtri ſanctitate viri, de rebus divinis verba facerent: vos quoque nihil cupere vehementiùs, quàm ejusmodi audire Conciones, ſi eſſet hac ætate, qui tales haberet. Mōſtratis enim verò, quàm rudes in hoc negotio ſitis. Quod hominis animum in melius mutat, non externa hominis, ſed interna Dei vox eſt. Lingua hominis altiùs non penetrat, quàm ſono ad aures: Dei vox eſt illa, quæ profundiùs, & ad ipſum usque cor pervadit: *Dabit voci ſuæ vocem virtutis.* Multorum trita ſermone res eſt, Malum Dæmonem aliquando energumeni ore de æternorum bonorum excellentia diſſerendo cunctis audientibus lacrymas doloris vehementiſſimi elicuiſſe. Si vera narrantur, an vos affirmabitis hos ad meliora à malo genio fuiſſe perductos? Nihil minùs. Deus, qui nequam illum ſpiritum ita loqui cogebat, ſubinde Gratiæ ſuæ auxiliis opportunè ſubminiſtratis in audientium animos penetrabat: absque hoc enim & illius mali Dæmonis, & cujusvis etiam alterius hominis vox plus virium ſe ſolâ non habuiſſet ad trahenda & permovenda hominum corda, quàm ſuccinum frigidum habeat ad ſtraminis culmos attrahendos. Quidquid caloris & virtutis ad trahendum habet concionantium vox, à Gratiæ divinæ auxiliis habet, quæ hominis verbis Deus adjungit, efficiendo ut non hominis, ſed Dei verba evadant. *Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis? dicit Dominus.* Audite eventum hoc in genere prorſus ſingularem, & excitate animos veſtros ad inſignem fructum vel ex una ſola concione fortuitò audita hauriendum.

Pſal. 67. 34.

Jerem. 23. 28.

XVI. Refert Heroldus in Promptuario, fuiſſe hominem, inter ſuos & opibus & magna authoritate pollentem, ſed rectæ Liberorum educationi parùm addictum. Tres numerabat; mares duos, fœminam unam: illorum natu minor ita denique depraduit, ut turpiter ipſam ſuam ſororem deperiret; nec antè inſidiari huic deſtitit, quàm & blanditiis, & donis exqugnatam inflagitium impelleret. Advertit fratrem natu majorem & fumo & fœtore prodente, ſtygius ignis, qui miſeros amantes depaſcebat: nec tamen antè tam pudendi eos damnare conſortii auſus eſt, quàm ſuiſmet oculis, quod erat, denique uſurparet; hinc ad utrumque, & fratrem præcipuè converſus, acerbè

acerbè in eum invectus est, proditorem appellando, cum minis, rei totius seriem Parenti enarrandi. Actus ea re in furias Juvenis, partim exprobrationis impatientiâ, & detecti sceleris pudore, partim malorum impendentium metu, pugionem, quo accinctus erat, arripuit, & fratre natu majore crudeliter interempto fugâ se subduxit. Parens re intellectâ serò advertit, qui standē educationis nimiùm solutæ finis esset? & sive vindictæ cupiditate, sive pudore, sive studio, ne in tanto flagitio partem habuisse crederetur, Juvenem fratricidam planè penitúsque exheredavit. At hic viperæ instar, pro plagæ modo veneni vim exerens tam desperata cepit consilia, ut noctu Parentem in lecto deprehensum, eodem pugione jam cognati sanguinis avido, tot vulneribus peteret, quot illi conficiendo sasis essent. Perpetrato parricidio tam de divina desperans miseratione, quàm humanæ Justitiæ promerita supplicia fugitans, mutato nomine, ignotas terras petiit, freno omni vitiorum generi permisso; sic ut non Sacrorum modò Mysteriorum, Eucharistiæ ac Pœnitentiæ usu abstinere penitùs, sed ne Sacrificanti quidem Sacerdoti unquam adesset, perinde ac si jam ne Animam quidem haberet. Cùm tam desperato loco hominis res essent, eò, ubi ipse morabatur, è sacra aliqua familia vir venit, qui per verni jejunij dies ad concionem diceret; id quod is tam egregiè præstitit, ut nemo non, qui audierat, de eo & præclarè sentiret, & loqueretur, sic ut etiā infelix iste, experturus an vera narrarentur, statuerit semel dicentē audire, non nisi ad curiositatē pascendam. Venit igitur, & argumenti suavissimi dissertationem audivit, de longanimi Dei miseratione, quâ Peccatores expecter, & scelerum suorum pœnitudine ductos, amantissimè recipiat. Tela, non verba videri poterant, quæ prima audiit; adeò intima animi penetrârunt. Decrevit eo momento animum confessione expiare, idque re ipsa, quamprimum è sacro suggesto Præco ille descendit, præstitit: & quia hic priusquam à noxis reum exolveret, aliquanto tempore coram cruci affixi Servatoris simulacro hominem detinuit, ut ad tot tantorúmque scelerum veniam animo sinceriſſimo petendam induceret, tantis modico illo temporis intervallo incrementis dolor de admissis auctus est, ut in vestigio vivere desineret, magno suo bono: cùm enim die mox consequente sepulchro cadaver esset inferendum, institit apud Auditores sacer Præco, ut demortui Animam precibus Deo cuncti comendarent; quod dum fit, in oculis omnium nivei coloris columbā apparet, quæ post aliquos per templū giros, schedam rostro excidere ad pedes Religiosi illius viri passa, videri desiit. Sustulit schedam Sacerdos, & cùm eam cunctis audientibus alta voce legisset, ex ea intellectum est; Animam illius Pœnitentis, doloris maximi vi expiatā, lacrymis suis omnia, quantūvis atrocia & enormia delicta sic aboleviſſe, ut illo jam momēto Cælum petierit, Deo clarè viso æternum fruitura, & gratias in omne deinceps ævum pro salutis beneficio tam præter morem sibi collato actura.

XVII. Scio, hac in historia nihil perinde vos admirari posse ac debere, quàm sinceri ac perfecti doloris ac contritionis vim. Sed hic ipse dolor unde ortus est? nónne ex verbi divini virtute, quæ Divinæ Gratiæ præsidiis adjuta durissima etiam humanorum cordium saxa diffringit? *Vivus est sermo Dei & efficax*, ut Apostolus loquitur. Vivus est, quia semper potest ad agendum impellere. efficax verò, quia plerumque re ipsa impellit, & facit, ut fiat, ad quod impellit. Tam virtus autem ejus, quàm efficacia illis ex præsidiis provenit, quibus his in occasionibus magis, quàm in ullis alis Deus nos instruit. Sunt, qui existiment, non alio, quàm lucis adminiculo, cælum & astra beneficos suos influxus in hæc inferiora diffundere; sic ut sola lux cælestiũ corporum cum sublunaribus commercium stabiliat & continuet. Non affirmabo quidem, Deum non aliis, quàm prædicationis, tanquam cælestis lucis mediis Gratiæ suæ victricis ac effectricis dona in nos derivare; cùm probè perspectum habeam, plurimis illum alijs instrumentis uti posse ad hæc in nos beneficia conferenda: *Alia enim multa similia præsto sunt ei*: illud tamen citra dubium pronuntiabo, Sacras Conciones medium esse, ex ijs, quibus Deus & frequentiùs, & potentiùs ad pervincendos Peccatorum animos utatur. Atque idcirco, cùm de Deo disserentem aliquem auscultatis, cogitate duos esse Præcones, qui verba faciant, externum unum, cujus vox ad aures allabatur; internum alterum, qui loquatur ad cor. Si Deus ad cor non loqueretur, possent quidem homines foris perstrepere, sed non ferire. Experientia docuit, non aliàs distinctiùs sonos percipi, quã cùm Zephyrus spirat, propterea quòd tum & aura, quam permeant, purior sit, & quòd placidus ille ventus æquabili motu per longius eos spatium deferat. O quàm amabilis & salutaris Zephyrus est Divini Spiritus gratia! Illa concionantium verba ad animos nostros defert; illa ipsum etiam cor expurgando facit, ut sic ejusmodi verba admittantur sicut in se sunt, quin à pravis animi propensionibus immutentur. Hæc præter Deum, cordium nostrorum supremum Dominum, efficere potest nemo. Ipse in his scribere potest legem suam, sicut per unum suorum vatum pollicitus est, *Dabo legẽ meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam illam.* Ipse, cùm dura sunt, mollire illa potest, ut characteres scribentis recipiant, suavitati Gratiæ suæ conjungendo vim & efficaciam tantam, ut nulla ipsam voluntatis obstinatæ pervicacia eludat. Adamantum durities rori eliquato incidi-tur: Malleorum ictibus invicti, quis credat? cedunt huic roris spiritui. Unde mirum videri debet neminí, si nonnunquam verbo uno expugnata est Peccatoris in sceleribus inveterati contumacia: verbum fuit Omnipotentis, quod roris instar *Quasi ros à Domino* tantò penetravit altius, quò magis tacitè se insinuavit. Huic proinde adscribendæ sunt omnes istæ in melius mutationes, nec istæ tantùm, sed omnis omnino motio interna, quæ audientes inducat ad decernenda secum profutura ad salutem.

Hebr. 4.

Ier. 31. 33.

Mich. 1. 6.

XVIII.

XVIII. Non tamen interim negaverim, quò quisque divini verbi Præco majori est virtute ac sanctimoniâ, hoc libentiùs DEUM illo ut instrumento uti, quàm alijs, qui tales esse non laborent. Non tamen ipse huic se legi semper astringit; ne vulgò existiment, in animorum conversionibus majorem partem humanæ industriæ deberi: vos quoque, cùm dicenti operam datis, par non est attendere quis sit homo, qui loquitur, sed quis Deus, qui per illum loquitur. An vos cùm pecuniam, cùm merces accipitis, scrupulosè examinatis, quis sit, qui dat; an verò satis vobis est, monetam, merces bonas esse? Idem vobis in re nostra faciendum. Si salutaris est doctrina, acceptate illam à quocunque prolatam, & non in docentis, sed in Christo Jesu spem reponite, qui Sanguinis sui pretio eam impetravit gratiam, ut nos etiam verbis nostris commodare vobis possimus. *Vobis donatum est pro Christo, ut in eum credatis*: ut ajebat Apostolus. Ut Conciones sacræ in vobis fructificent, donatum vobis est, non in Petri, non in Pauli, non Joannis, sed in Christi gratiam, *pro Christo*, atque idcirco in illo, qui idem omnibus est, fiduciam reponite.

Phil 29.

XIX. Apertissimum proinde est, quanta vobis incumbat necessitas audiendi verbi Dei, ut idoneos vos reddatis ad accipienda à Deo illa auxilia, quæ hoc medio sanctissima ejus Providentia largiri vobis destinavit potiùs quàm per alia quæcunque; reparando hac ratione in vobis tam in Intellectu, quàm Voluntate, quidquid peccato erat labefactatum, *Misit verbum suum, & sanavit eos.*

Ps. 106. 20.

XX. Ex his porrò, quæ disputata sunt hactenus, liceat mihi velut aliud agendo colligere, quo modo cum fructu audiendæ sint Conciones; nam de hoc alio die consultò agendum est. Est autem hic modus; audire attentè, & reverenter. Attentione in primis opus est; quia, ut dicebamus, dum in Templo peroratur, duo sunt qui differunt, Sacerdos ex Altari, aut sacro suggesto, Deus de cælo. *Spiritus Domini locutus est per me.* Siquis jam vestrûm tam non auscultat attentè Sacerdotem differentè, ut etiam oculis quaquà versũ vagetur; quin ut loqui & ipse velit, cùm audire tantùm oporteret; non existimet hic quidquam se emolumenti ex auditis Concionibus domũ relaturum. Idque hac de causa, quia Deus non vult solus loqui sed ea tantùm affirmare & rata habere, quæ Minister ejus pronunciat, pro solenni illo suo more, quo exterioribus, ab Ecclesia adhiberi solitis medijs, jungit auxilia sua interna, externis illis respondentia: unde qui hominem loquentem diligenter non audit, in animum non inducat, quòd Deũ loquentem sit auditurus: atque ita hærebit in suis miserijs, antiquis malis pessimum hoc prognosticũ adjungendo, quod est: nolle audire salutaria suadentes: quod quidem Peccatoris jam Reprobi signum est, haud aliter, ac apud medentes funestus mortis prodromus est surditas, quæ morbo supervenit. *Qui illusor est, non audiet, cùm arguitur.*

2. Reg. 23.

Prov. 13. 1.

XXI. Nec attentè tantùm, sed etiam reverenter Concionantes audiēdi sunt agnoscendo & reverendo in Ministero
1. Cor. 5. ipsum Deum, & Principis aut Judicis Authoritatem in voce Præconis. *Tanquam Deo exhortante per nos.* Anno à
Lit. ann Soc Iesu. Christo Servatore M.D.XCVI. cùm Sinarum Imperator ad JaponiæRegem literas misisset, hæ purpurâ involutæ sunt, & à Sinensibus tanto stipantium numero delatæ, à Japonibus verò eâ exceptæ pompâ, quâ Imperatorem ipsum iis in litteris adventantem excepissent. Si S. Augustinus res ita gestas narrari auditet, minùs ille in re nostra reverentiæ non admitteret; certè jam aliàs pronuntiavit, non minoris noxæ reum esse, qui negligenter Dei verbum audiat, quàm qui Christi Corpus irreverenter humi abjici sinat. *Non minùs reus*
Hom. 26. ex. 50. *erit, qui verbū Dei negligenter audierit, quàm ille, qui Corpus Christi in terram cadere negligentiâ suâ permiserit.*

XXII. Si honor Dei verbo debitus, hocipso, quòd Dei verbum sit, hanc à nobis reverentiam non obtineret, eam saltem à nobis impetret conjunctum honori tot titulis debito nostrummet commodum. Quid emolūmenti ex illis Concionibus referre cogitatis, quas auditis somniculosi, pertæsi, animo vagi, aut in negotia domestica intenti?
Probl. sect. 11 n. 44. Oscitantes malè audiunt, si Philosopho credimus. Quid volumus? Non desunt è vestro numero, qui, quæ vel ex altiore loco, vel ex Altari dicuntur, sic audiant, ut in fine rogati, quâ de materia Sacerdos egerit, respondere quærenti non possent. Magno idcirco prodigio res non careret, si ea ratione ad meliora se converterent. Nunc quidem miseri non agnoscunt damna, quæ animæ infert negligentia tam supina: cognoscent tamē sub illam horam sub quam audient legi seriē causæ, cujus ipsi ignavâ illâ socordiâ authores fuēre. Tunc discent, quantum lucis Deus paratus fuisset comunicare ad pellendas ignorantiæ, quâ laborant, tenebras: quo cæleſti rore duritiem cordis eorum emolliisset, si auscultare voluissent hortationem illam quam non Sacerdos, sed Deus, ut dicebā, Sacerdote ut instrumento usus, ad eos habebat. Agnoscent bona, quæ fuissent facturi: dolorem serium, quo se de admissis accusâssent; pia animi sensa, quibus inter Sacra Mysteria usurpanda abundâssent; reverentiam, quâ rei divinæ in Templis interfuissent; sed utilitatem in educandis liberis, quam adhibuissent; verbo, vitam homine Christiano dignam, quam duxissent: omnes enim fructus isti modico illo semine divini verbi, ab ijs putidè neglecti, continebantur. Non ita sit, AA. Dilectissimi; nimis quàm manifestum nunc hominis Reprobi argumentum, olim autem desperati fororis causa futura esset hæc, quam detestor, negligentia. En igitur quem deceat esse primum primæ hujus meæ Dissertationis fructum, ut frequens deinceps mihi dicenti adsitis, cum attentione & reverentia, tanquā filij: *Venite filij, audite me.* Non curiosa, sed *Timorem Do-* Ps 33
mini docebo vos. Hunc si didiceritis, erit, 12.
cùm agnoscetis quàm rectè à vobis traductæ in Templis sint horæ quas interim alij aut lucris inutilibus, aut ludis ineptis impendunt. Animarum bono

tem-

temporis momenta omnia concessa sunt : & tamen negotijs omnibus gerendis tempus supperet illi, quod præ ceteris agendum est, nullum supererit.

DISCURSUS II.

De Causis modici è Sacris Concionibus auditis profectûs.

I. MAxima laus, quæ Dei verbo tribui potest, ea est, quòd ipsum Deum laudatorem habuerit. *Fecisti omnia in verbo tuo* : sic divina Sapientia loquitur. Indicat autem his verbis, quòd, sicut Verbum Dei increatũ princeps est causa rerũ omniũ factarum : *omnia per ipsa facta sunt* : ita Dei verbum prædicatum causa sit instrumentalis nostræ reparationis, seu refectionis : *Fecisti omnia in verbo tuo.* Hoc si in peccatores incidat, non solùm mortuos morte culpæ, sed qui inveteratis sceleribus effecti sint compages quædam ossea, eâ vi pollet, ut ossa hæc arida vestire iterum possit veste carnea, & novam iis vitam ac spiritum inspirare : *Ossa arida audite verbum Domini* : si autem in animas incidat, defectuum suorum morbis infirmas, & ægrè spiritum trahentes, mutare illas potest in filias Dei electas. *Illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est.* Sic Christus Servator ipsemet affirmavit, ut, si S. Thomæ credimus in hæc verba commentanti, significaret, illos, qui priùs, quàm Dei verbo audiendo operam darent, vix hominum numero censeri poterant, illo audiendo velut in Deos mutandos, multâ videlicet divinæ per multiplicatam Gratiã naturæ participatione. Hinc Dei vox comparatur calamo scribentis : *Lingua mea calamus scribæ* : nec enim vox est transiens, & mox deficiens, quæ quo momento nascitur, eodem occidit; sed est vox permanens ac stabilis, quæ animis, & cordibus impressa manet per omnes ætates, persuadendo cunctis Nationibus, quovis tempore, omni loco, res tam sublimes ad credendum, tam arduas ad sperandum, tam factu difficiles, quales sunt re ipsa illæ, ad quas credendas Religio Christiana tantam humani generis partem induxit. Repetere visum est hoc loco ac tempore, quæ jam in prima Dissertatione vobis patefeci, ut viam mihi sternerem ad respondendum non levi argumento, quo jam tum in animis vestris assertionem meam impugnabatis: nimirum, non videre vos illa, quæ exaggerabam, Divini verbi prodigia. Tot passim sunt hujus verbi præcones, toties pro concione illi dicunt, ubi autem fructus? Si Eacræ Conciones primis illis seculis magnes erant, qui etiam ferrea corda ad se raperet, necesse est dicere, Magnetem hunc suam hodie trahendi vim amisisse; cùm illo jam nemo trahatur. Nimis quàm

Sap. 9. 2.

Ioan. 1.

Io. 10. 35.

verum est, quod objicitis, atque idcirco hac Dissertatione propositum est mihi hujus rei causam investigare.

II. Dei verbum in sacro Evangelio nobis sub Allegoria seminis proponitur: *Luc. 8.* *semen est verbum Dei.* Quod autem hoc è semine fruges non nascantur, id seminanti, Deo inquam, tribui non potest, qui nihil magis desiderat, quàm copiosam messem colligere. Id igitur vel in ipsum Concionum semen, vel in terram audientium, qui recipiunt, referendum est. Non nego, causam modici fructus non semel eam esse posse, quòd verbum Dei non jam verbum Dei sit, sed verbum hominum; adeò illud immutatum est: sicut proinde aquæ metalliferæ, quæ vi pollent medicâ, aliis aquis communibus fluendo permixtæ, non sunt, quæ fuerant; sic Dei verbum permixtum, aut, ut rectiùs loquar, profanatum linguâ, quæ nihil nisi terram sapit, mirum non est, si eâ sanandi vi non valet, quam ceteroquin exerit, cùm purum & sincerum in suo fonte bibitur. *Ierem. 23. 28.* *Qui habet sermonem meum*, ait Deus, *narret sermonem meũ verè.* Qui verbum meũ annuntiat, ut meum, non ut suum annuntiet, & sacras literas vero in sensu interpretetur, non autem in sensum omnino alienum detorqueat. Hæc equidem singularis mali Dæmonis ars fuit, eum in finem ab eo excogitata, ne deinceps ex vitali Concionum semine optatæ fruges in animis pullulent, quæ ceteroquin erant pullulaturæ. Formicæ illud seminum cor arrodunt, ex quo primùm fruges progerminant, & hac arte diu illa in subterraneis locis servant: quin folia emittant: *Semina arrosa condunt, ne rursus in fruges exeant à terra.* *Plin. l. 11. c.* Non est ambigendum, quin eandem artem Dæmon egregiè calleat: & hinc id agit studiosè, ut illud veritatis principium, in quo tota vis sita est, verbi Dei expositioni adimat, ut sic unquam speratos fructus afferat.

III. Nihilominus Christus Servator potissimam causam, cur Dei verbum nihil proferat, hanc solam esse affirmavit, quod audientes illud excipiant imparati; ut sic innueret, animorum nostrorum ineptitudinem nonnunquam, non principem modò, sed solam ejus mali causam esse. Et de hoc præparationis & aptitudinis defectu pluribus agendum est, tres in classes istos tam ineptos cum S. Thoma dividendo: *Non audientium, non acceptantium, Recidivantium.* *In Io. lect.* Prima ergo eorum est, qui Concionibus adesse nolunt: secunda eorum, qui etsi audiant, non acceptant tamen; tertia illorum, qui cùm etiam acceperint, curam deinceps nullam adhibent.

I.

IV. Primi igitur, qui Divini verbi virtutem enervant, ij sunt, qui illi audiendo operam dare nolunt. Qui utramque in aurem dormire vult, valvas ante omnia obducit, ne lux per fenestras immissa somnum fortè discutiat. Idem nonnulli Peccatores factitant; ut vitiorum suorum somnum quietè dormiant, omnem lucis radium, quæ excitare fortassis posset, declinant. Si maturino in sacro verba Curio facit, ad illud accedunt, quod tar-

tardius fit: at si posteriori Concio interponitur, studiosè, ad primum ventitant, negotia causati. Sed re ipsa quod illos urget negotium, aliud non est, quàm ut illâ molestiâ se liberent, quæ nasceretur ex notitia, quam Curio refricaret. Mortis propinquæ, Judicij severi, inferni aperti, quæ illorum quietem turbat, qui altum in sceleribus dormiunt. An certius aliud argumentum desideratis, quo vobis innotescat, hos homines non esse ex ovibus Christi, cùm ejus vocem audire nolint? Hæc est causa, cur Præconem audire nolint, quia nolunt audire Deum: *Nolunt audire te*, Dei ad Prophetam verba sunt, *quia nolunt audire me*. Quin si quo casu præter spem adsint tum, cùm Sacerdos dicere parat, non pudebit eos inchoata jam Concione abire, illo actos à dæmone, qui eorum animum occupat. Non dubito hæc asserere præeuntem secutus S. Cyrillum, qui de Juda, in Cœna ultima à sermone Christi recedente. *continuò exivit*, disserens, nostisne, inquit, cur exiverit? Ideò, quia Dæmon eum foras pellexit, ne fortè Dei verbum audiens resipisceret, & admissæ à se noxæ veniam peteret. *Ne moram faciens, & audiens verbum Dei, scelus expueret.* Atque hi sunt illi, qui nunquam à malis suis artibus faciendis desistunt; non reddunt injustè & malè parta; non Deum blasphemiis lacessere, non pejerare, non turpia loqui desinunt? verbo hi, & non alij magìs sunt, qui Christo manus dare obstinatè renuunt.

V. In mari Germanico piscium genus est, ex quo ne unum quidem aliquem Piscatorum quisquam à se reti concluſum gloriari potest: non alia de causâ, quàm quia isti semper in fundo hærent. Erit invenire fœminam, in suo fœdarum libidinum cæno sepultam: hæ pro sacro, quod in Parochiali æde, ubi Concio habetur, audiendum esset, domestico aliud in Sacello audit. Talis anima quomodo divinæ Gratiæ reti capietur? nisi Curio ad ejus se ædes conferat, ibique de DEO verba faciat, ad ipsam suo in fundo deprehendendam, actum est de illa. Id proinde faciendum esset, quod olim Vati Jeremiæ imperatum est, ut non jam ad templum, sed ad portam urbis, ad quam maxima populi multitudo confluebat, se conferret, & ad concionem ibi coactam diceret; *Vade, & sta in porta filiorum populi mei, & dices ad eos; audite verbum Domini.* Si vobis non lubet ad auscultandum accedere ad templum, res poscret, ut vestras ædes accederet Parochus, & in earum limine, vel vestris in gratiis, sermonem de rebus divinis inferret: & donec ille hoc consilium capiat, vos ad audiendum non accedetis, atque ita negligitis medium ad salutem vestram tantopere necessarium. Narrat Cardinalis Vitriacensis, Ruricolam fuisse, qui animum obstinaverit ad nullam unquam Concionem audiendam, sic ut ad prima Concionantis verba è templo se proriperet. Multis in hac contumacia transactis annis vivere desiit miser, & cadaver, pro more in Tem-

Olaus M. l. 1. c. 16.

Ier. 17.

Templum deportatum est. Sed audite commensuratum culpæ supplicium! Dum solennes Ecclesiæ preces mœsto cantu pro eo solvuntur, Cruci affixi Servatoris simulacrum utramque manum clavis, quibus figebatur, liberat, & cunctis, qui aderant, aspectantibus, aures iisdem obturat; Curio igitur ad eos, rei novitate attonitos stupentésque, conversus: Quia, ajebat, iste dum viveret Dei verbum audire contumaciter abnuit, nec Deus nunc, justo judicio, audire vult verba nostra, quibus pro eo veniam poscimus. Habeat igitur sibi Orcus hoc corpus, cujus spiritū jam possedit, possidet, & æternùm possidebit: & cum dicto, omisso reliquo cantu, cadaver illud asini sepulturâ sepeliri jussit. Funestus sanè hic fuit exitus & horrore plenus! & vobis cordi non sit illius meminisse, cùm Dæmon vos solicitabit ad fugiendum à Deo per Ministrum suum vos alloquente?

VI. Quamquam autem nemo fortassis est ex hoc numero, qui eâ causâ adesse Concionibus nolit, quòd animum in sceleribus obfirmârit, cùm hic sit supremus malorum, ad quem perveniri possit gradus. At non proinde spero esse neminem, quem animi elatio à Dei verbo auscultando avocet: non enim deerit forsan, qui sibi persuadeat, aliena sibi hortatione & institutione opus non esse. Sed ô quàm damno suo desipiunt, quicunque ita sapere sibi videntur! Demus, ita esse, quòd non sint vi intelligendi hebeti atque obtusa: non idcirco affirmari potest, opus ipsis non esse, ut operam dent sacris Concionibus, quin etiam ipsi rudium in Christianæ Fidei elementis institutioni. Ingens, sed vulgò non cognita, est differentia inter aquas manantes, & pluvias. Quæ ex nubibus depluit aqua, fœcunda est, plena spiritibus, vitâ atque substantiâ. & plantis tam necessaria, ut sine illa vegetari diu non possint: quâ quidem virtute non pollet aqua, quæ scaturiginem in terra habet, idque propter nimium suum frigus. Nec dispar est ratio cognitionum, quas parte una suâ quis intelligendi perspicaciâ fingit, parte autem alterâ Deus, Ministrorum suorum docentium usus operâ, nobis infundit. Priores illæ steriles sunt, & ad agendum non impellunt. Posteriores virtute & efficaciâ abundant, ob gratiam illam, quam aliàs dicebam, à Deo semper adjungi. *Dat voci suæ vocem virtutis.* Quæ igitur dementia est, in animum inducere, sibi Deo loquente non esse opus? Hoc enim perinde omnino est, ac si quis putaret, agris suis pluvias necessarias non esse, propterea quòd vivus aliquis rivulus eas percurrat, contra quam aliorū id agris accidat. Nemo non Dei verbo indiget, seu rudis ille sit & hebes, sive acutus ac perspicax: quin si vel Salomonem aliquis æquaret sapientiâ, non idcirco liberū pronuntiare auderem à debito veniendi & auscultandi, quid Deus dicat. Digna notatu res est, quòd pisces marini, qui in vastissima illa aquarum congerie natant, quæ fundo carere videtur, opus tamen habeant aquâ ex nubibus depluâ, vitâ ceteroquin non propagaturi, si quidem Philosophus rectè sensit. Quis Davidem Regem aut naturali intelligendi

Cardan. lib. de rer. var.

Arist. 4. hist. Anim. 1.

Arist. lib. 1. Anim. c. 19.

Psal. 5.

gendi acumine superat, aut plus eo luminis in rebus divinis accepit? Et tamē iste salubri verbi divini latice tantopere indiguit, ut miser Rex tamdiu, & totius scilicet anni spatio expers vitæ gratiæ permanserit, donec tandem Nathan Prophetæ ore benignè admodum hunc Deus illi communicaret. Affero proinde, cùm quis ad id destinatus de Deo verba facit in Templo, cunctos debere ad eum audiendum confluere, etiam Sacerdotes, etiam Confessarios, etiam illos, qui omni scientiarum genere exculti sunt, ut palàm profiteantur, sibi in suo mari pluviâ tamen opus esse.

VII. Quamquam ubi tandem, ubi, quæso, inter nos sunt ista Sapientiæ miracula? illi ipsi, qui, quæ ad corpus spectant, præ cunctis aptissimè & solertissimè curare nôrunt, præ omnibus deinde in animæ negotijs hebetes sunt ac stolidi. Animalium eorum instar sunt, quæ Molos Philosophi appellant, quæ fere omnia caput inter pedes ac ventrem habent. Nam & isti aliâ perspicaciâ non valent, quàm quâ sua procurent commoda, aut corporis indulgeant oblectamentis; ad inveniendos inquam modos, quibus aut per commercia rem augeant, aut quibus aliter alitérque se oblectent, ad res animæ quod attinet, sine capite sunt, tam & ignorantes omnium, & ad omnia inepti sunt. Et hi scilicet nihil habeant quod porrò discant? *Væ qui sapientes estis in oculis vestris*! Non est qui perpendat, se, cùm ita se gerit, sibi ipsi hostem esse, segregando se è Fidelium Cœtu, severiùs, quàm unquam Ecclesia perfidum aliquem & contumacem segregârit. Ecclesia sacro Anathemate percussis prohibet, ne Sacerdoti Sacrum facienti adsint, tam rigidè, quàm à tam sancta functione Ethnicū aliquem arceret; quò minùs tamen pro concione dicentém audiat, interdicit nemini. Pejùs igitur animam suam habet, qui talis est, quàm illam haberet Ecclesia, si Perduellis esset sacro interdicto subjectus: nec ego ullo modo ambigo, quin non unus duntaxat inter vos sit, qui pro conditione, quâ nunc est, magis indigeat, ut salutaria docentes audiat, quàm ut Missæ Sacrificio adstet, quíque hoc ex capite forsan delinquat graviùs, si omittat audire de rebus animæ dissentes, quàm si omittat adesse divinam Hostiam litanti.

VIII. De ijs potrò quid dicemus, qui causantur idcirco se cum alijs non adesse Concionanti, quòd non habeant locum, aut sedem commodam, in qua dicentem auscultent? Nôstis utique, antiquorum seculorum Christianis, pro insigni sua in Dei verbum reverentia in more positum fuisse, illud stando audire: sicut S. Augustnus profitetur se, et sibi eos, qui ex ipsius ore pendebant, imbecillitatem quorundam misertus, rogâsset, ut considerent, id tamen ab ipsis impetrare non potuisse. Quin & Imperatores Sacrum Præconem in pedes erecti audiebant. Certè Eusebius Cæsariensis narrat, se in Ecclesia perorantem impensè rogâsse Constantinum Imperatorem, ut

Ariſt l 4. hiſtor. Anim. c. 1.

Ariſt. lib. 1. Anim. c. 19.

Iſ. 5. 21.

c. Reſp. de ſentent. excom. munic.

Bonac. diſp. 5. in 3 præc. p. 2. n. 28.

Hom. 26. ex 50.

ut suo In throno assidens sibi operam daret: illum verò noluisse unquam roganti obsequi, propterea quòd diceret; res Sacras non nisi à stantibus audiendas esse, atque ita se illas audire consueviſse, ex quo Christum esset amplexus, cùm id alii passim ejus ævi Christiani facitarent. Hodiernis autem moribus rem magnam videtur præstare, qui vel Sacrificanti non sedens adest; & illi ipsi, quibus virium abunde est, ut à primo mane ad serum usque vesperum laboribus suis stantes defungantur, videntur ne semihorulæ quidē spatio adstare dicenti posse, quin periculo se exponant, ne animo linquantur.

II.

IX. Sed mittamus nunc illos, qui audire nolunt: nam qui tales sunt, me jam non audiunt: loquamur autem de his, qui me audiunt quidem, sed non parati, qui est altet scopulus, quem vobis indicare constitueram. *Non audientes non acceptantes.* Et primò quidem sunt, qui non nisi nova ac curiosa audire vellent: sed perperam, & contra Sacri Vatis monitum: *Interrogat de semitis antiquis*, Id semper vobis propositum sit, inquirere, quæ sit semita tri-
Ier. 6. 17 ta, si aberrare non vultis: quod perinde est, ac dicere: Carum vobis sit, ut sacer Præco sæpe ijsdem de rebus disserat, ut eas animis vestris imprimat altiùs; & illa exaggerando proponat, quæ eorum sunt è numero, ut ex ijs plùs pendeat. Ad me quod attinet, verum ego bonum vestrum spectabo unicè, nec patiar me à quoquam prohiberi, quò minùs, tanquam verus Pastor, in eadem vos pascua reducam sæpius, si præ ceteris & pinguia & salubria esse advertero: multóque minùs refugiam à modo dicendi facili, plano ac proprio, cùm hic Is. 30.
omnibus maximè utilis esse soleat. S. Baron. an. 31 n. 41
Joannes Chrysostomus, cùm Antiochiæ ad concionem dicere cœpit, genere dicendi usus est exquisito ac sublimi, respondente ingenij sui subtilitati; sic ut rudiores dicentem non assequerentur: unde bona aliqua anus tantum sumpsit animi, ut ex sacro suggesto descendenti hæc verba insusurraret: Pater, placeat tibi rationem habere nostri miserorum rudium, qui te dicentem non assequimur. Tantum hæc verba apud virum sanctum valuere, ut mox Galen
dicendi stylum mutaret, itáque descenderet, ut vel rudissimi in eo intelligendo non laborarent, Id autem nî fecisset, quis demum Concionum ejus fructus futurus fuisset? modicus sanè, si ullus. Hamus, qui nō capitur, non capit.

X. His pejores illi Auditores sunt, qui nunquam à dicente perstringi vellent? *Loquimini nobis placentia*; dice- Is. 30.
bant Judæi illi pessimè affecti ad suum Vatem; qui ipsi multos è Christianorū numero habent imitatores. Volumus adesse frequentes & prompti tam Institutioni catecheticæ, quàm Concionibus: sed cave nos increpes, aut minis terreas; *Loquimini nobis placentia*: *videte nobis errores* Dic nobis; cunctos nos certò salvos fore; Deum esse bonum; satis esse tundere pectus ad admissorum veniam impetrandam: cave inculces nobis quotidie formidanda illa Novissima: in choreas, nocturna conventicula, assuetudines diuturnas, commercia nō optima, ne inveharis;

haris ; sic inter nos conveniet. *Filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, Nolite videre; Videte nobis errores.* Hoc igitur est, quod à me petitis, ut placendi vobis studio vos prodam, & ut vestra vulnera in gangrænam degenerare sinam saccharo aspersо, ubi emplastris fortibus est opus? Absit hoc à me. Vera vobis denuntiabo, dum spiritus supereſt: nec clamare omittam, ubi voce submissa parùm me profecturum sperem. Qui se tangi sensерit, sibi imputet. Qui dolet, prodit se sanum non esse. Medicorum assertione, *Membra magis dolentia, inflammationi magis obnoxia* Cùm proinde auditis, aliquos ex Auditorum numero se movere & perstrepere, iraſci concionantis dictis, & obmurmurare, quòd longiùs, quàm par sit, progrediatur; cujus rei id argumentum esse existimatis? Signum est certissimum, nullos illis ex omni multitudine deteriores esse; esse membra minùs sana aliis quibuslibet, atque adeò quæ præ ceteris opus habeant illa medendi ratione asperâ, quam tantopere aversantur. Qui vehementiùs non increpat, non intelligitur; quæ frigidè aut remissè dicuntur, altè in animos non descendunt. Estne qui ligno signum imprimat, cùm ferrum friget? ego certè hanc artem non calleo: molli ceræ imprimetur, sed non duro asseri. Sic cùm Peccator longè assuetudine depravatus non est, quando in virtutem propendet, quando paratus est, tum locum dat veritati, etiam suaviter & blandè propositæ; non ita se res habet, cùm vitijs animus occalluit: hic resistit contumax, nec cedit, nisi in Dei verbo, quod simul & ignis est, & malleus; malleus ad intellectum pertundendum, & ignis ad voluntatem accendendam. *Verba mea quasi ignis, & quasi malleus conterens petram.* Certissimum vobis sit, ejusmodi hominum genus, aut cedere nunquam, aut non nisi voci validæ, & cum impetu vibratæ cedere, quæ ipsis ob oculos ponat immines exitij sempiterni periculum, horrendam vitæ pravæ & exemplo noxiæ deformitatem, & majorem, quam indies in vita emendanda experientur, difficultatem. Verbo, omnis Peccator, S. Hieronymo teste, Gygas est, qui non nisi Davidis fundâ humi prosternitur, Sacrarum inquam Literarum minis, ut Propheta indicat: *Inimicos suos subjicient lapidibus funda?* quando igitur lapides isti ferirent feliciter, si non nisi lento & remisso brachio torquerentur?

Isa. 30. 10.

Barn. an. 31. n. 41.

Galen.

Ier. 23. 28.

Hieron. in hunc locum

Zach. 9. 11.

XI. Quid autem audientium aliqui tam non admitterent ad animum dicentis monita, ut exibilarent etiam, & mimica gesticulatione imitari non veriti, risum ex ijs in conventiculis captarent? Sanè nescio, an ullus sit Peccator, cujus res deteriore sint loco, quàm illi, qui verbum Dei explodit. Non dubitè affirmare, minus sibi damni accersiturum, qui Concionem vituperet, quàm qui irrideat. In morbis corporis illa deliria, quæ cum risu conjuncta sunt, minùs habent periculi: non eadē est morborum animi ratio. In his non videntur illa deliria plus habere discriminis, quàm istorū stultorū festivorū, qui ipsas quas audierint, de Deo Dissertatio-

nes in risûs materiem vertunt: *In canticum oris sui vertunt illos.* Nec hîc sistit malum, sed eo ex capite augetur, quòd etiam ad fructum divini verbi auditi in alijs impediendum hi tales progrediantur. Unde si metuunt, ne Oratoris Sacri verba ad cor personæ alicujus scelerum sociæ penetraverint, ad eam mox se conferunt, & alia aliáque in medium afferendo ad authoritatem dicentis elevandam, cúmque exibilandum, id tandem efficiunt, ut misera maneat, qualis fuerat. Piscis ille, quem nos Torpedinem dicimus, propterea quòd manum capientis ipsum stupefaciat, non tantùm est piscis versutus, qui vix unquam in retia incidat; sed præterea cùm casu aliquo sociam suam reti implicatam cernit, omnia molitur, ut illa se denuo explicet, & evadat. Fingite nunc animo implicitam Concionatoris retibus Puellam aliquam vanitatis studiosam, quæ propterea quòd intellexerit pericula, quæ connexa sint cum voluntate frequentandi chorearũ loca, ad fenestras spectandam se offerendi, & ubi ubi se offert occasio nimis quàm familiariter cum diverso sexu agendi, statuerit aliam deinceps vitam vivere. Si in hunc ejus animum amator impurus introspicit, adest cõfestim, & per mille ambagestam multa in medium affert, ut denique nodos omnes explicet, aut rumpat. Amare, inquit, & amari, peccatũ non est, receptus patriæ mos est. Si longiùs paulò antehac progressi sumus, quàm arcti honestatis limites permittant, intra eos deinceps nos continebimus, quin abrumpamus commercium. Concionator homo otiosus est; sine illum dicere quod vult; aut omnes, aut nemo nostrûm salvus erit. Atque his verbis animam Christi retibus expedit, & in mari denuo, inter majora, quàm unquam antehac, pericula destituit, eò usque, ut suâ misera de libertate sibi plaudat.

Ezech. 33, 31.

XII. Tantum vobis hodie tribuam, ut mihi persuadeam, nullos esse inter vos tam perditos ac desperatos, ut non contenti in exitium sempiternum ruere, alios secum trahant, atque ita Orci Procuratores agant, perinde acsi jam ipse causæ suæ quàm optimè agendæ non sufficiat. Id quod accidere faciliùs potest, est, quòd multi vestrûm inviti ad verbum Dei audiendum accedant: & eâ causâ vel non attendunt, vel mox fastidio afficiuntur. Non attendere autem, perinde erit, ac non audire. Sunt qui aures in Concionem afferant, cor domi delinquant: *Aures in auditorium, non mentem afferunt*; ut Sapiens ille Judæus loquitur. Animum affixum habent aut negotijs familiæ, aut in splendidiore vestium apparatu, aut in eo quòd curiosiùs videre, aut blandiùs videri desiderent: & ideo subinde nesciunt quidem, de quo argumento Concionator verba fecerit. *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi dixeris ea, quæ versantur in corde ejus.* Si Sacer Orator dissereret, quibus omnis eorum animus occupatur, quàm fidâ & non fallente memoriâ reddere possent, quæ audierunt omnia? Vasculum ex ligno hederæ confectum aquam retinet, vinum ex eo diffluit. Non absimiles ipsi sunt. Satis esset ridicula miscere serijs, & sacris Sermonibus, & tunc videre esset, quàm fideliter omnia animo retine-

Philo. Quæst. her. rer. div. *Prov.*

Luc. *Stella c. 11. Luc.* *Boët. a, de fica.*

tinerent. Ex hac etiam animi evagatione nascitur, ut audientes dicta non assequantur. Interim culpa in Oratorem conjicitur, quòd nimis sublimia afferat; etsi immeritò. Si gladius rectus est, incurva autem & obliqua vagina, ille in hanc immitti non poterit: cujus autem culpâ? vaginæ utique, non gladij.

XIII. Ad tædium quod spectat, nihil profectò illud boni portendit. Jam aliàs me dicere memini, non vanum Animæ ad vitam æternam prædestinatæ esse signum, libenter audire verbum Dei, juxta illud Christi Servatoris: *Beati qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud.* Luc. 11. Beati qui Dei vocē prompto ac libenti animo audiunt, quique ut magna illam cum æstimatione recipiunt, ita non minore deinceps cura ut thesaurum pretiosum custodiunt. Duobus modis dicunt Interpretes, Cælestem felicitatem Dei verbo contineri; *in radice* nimirum & *in signo.* Stella in c. 11. Luc. In radice continetur, hoc est, virtute, & modo quo in radice totus est fructus, sic ut ab ea pendeat dum nascitur, dum crescit, & dum ad maturitatem perducitur. In Signo autem continetur; quia significat animam bonam. Libenter audire concentus Musicos, ex naturali quadam harmonia, & interna proportione, quam humores ipsi ac sensus cum concentu illo habent, nascitur. Unde hoc non delectantur, nisi sani; ægri è diverso, quorum humores perturbati sunt, omnem harmoniam pro incondito strepitu habent. Non aliter prompta illa voluntas & aviditas ad audiendum Dei verbum nascitur ex Animæ cum Christo Servatore consensu & adhæsione: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Ioan. 8. Et hinc homines perversi, cùm humores internos, animæ inquam facultates, ita peccato perturbatos & confusos habeant, non nisi cum fastidio sermones de Deo auscultant: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

XIV. Necesse igitur est venire cum aviditate magna ad audiendum verbi Dei Præconem & voces ejus excipere, non ut voces hominis peccatis obnoxij, sed ut voces Dei potentis omnia. Atque hoc est, quod tantis laudibus extulit Apostolus in antiquis illis Christianis, huic causæ attribuendo fructum illum insignem, quem eorum ad Christum conversione erat assecutus. *Non accepistis illud ut verbum hominum, sed sicut est verè, verbum Dei.* 1. Thess. 2. Hæc ipsa ratio animo perpensa vos impellet, ut nō avidè tantùm, sed & constanter ac crebrò ventitetis, arbitrati, vos non parvā jacturam facere, si vel semel negligatis occasionem, audiendi differentem de rebus divinis. Observate, Servatorem nostrum non illos beatos pronuntiare, qui verbum Dei semel iterúmve audierunt, sed qui *audiunt*: *Beati qui audiunt verbum Dei*: ut indicaret, frequentiam in Dei verbo audiendo esse causam effectricem admirandorum operū, de quibus hucusq; disputavimus. Ne aqua situ corrumpatur, non satis est semel illam igni eliquare: septies cum illa ad focum & exudationem veniendū est. Pari modo cōstantiâ in bene cœptis ac frequētiâ facilè obtinebitis quod per vices tantū accedendo nō assequemini.

Boët. lib. 2. de Musica.

III.

XV. Hæc res in mentem mihi revocat errorem tertium, qui in Sacris Concionibus audiendis admittitur, qui est, post aliquem ex eo audito haustum fructum, non id solicitè agere, ne denuo pereat, & postquam cæleste semen in animo nostro sparsum est, sinere ut excidat, seu rectiùs, opprimere illud & suffocare. *Non audientes verbum Dei non acceptantes recidivantes.* Enimverò digna vel sanguineis lacrymis calamitas est; videre, quanto conatu opus sit, ut aliqui adducantur ad audiendos de Animæ negotijs sacros sermones: quanta claritate necesse sit ipsis explicare, quæ proponuntur, ut ea probè intelligant: quanto studio & arte animos eorum sibi devincire, ac sensim progredi oporteat, ne nauseare occipiant; & post hæc omnia, cùm falcem quis ad maturam messem expedire se posse putat,, videre inquam, omnia in Herba exaruisse. Sacra illa Excursio virorum Apostolico Spiritu plenorum videbatur debere inserere & plantare stabilem timorem Dei in illa Regione, extirpare radicitus detestatos toties in Concionibus abusus ludendi, perpotandi, choreas ducendi, periculosas occasiones frequentandi: Et tamen in plerorumque animis virtus solidas radices non agit: sola in superficie hæserunt omnia: vix enim Sacer Orator dicere cessat, cùm itur in antiquam silvam. Hæc tanta inconstantia inde sæpe est, quod multi non seriò meliorem ad frugem reversi sint, sed quòd, ut S. Augustinus loquitur, interrumpant tantùm peccandi assuetudinem, non abrumpant. Si fluvius, qui stabiles ceteroquin alveo undas vehit, æstate aliquando præter modũ sicca exarescat, non ideo non est fluvius Ita Lex statuit, *Flumen, quod perenne fluebat, si æstate aliqua exaruerit, non ideò minùs perenne est.* Sic igitur vita aliquotũ perennis est fluvius blasphemiarum, perjuriorum, detractionum, libidinum, injuriarum. Si fluvius iste occasione quadam præter spem & morem oblata, Concionatoris alicujus Apostolici, tantillo tempore aquas iniquitatis non vehat, sed exaruisse videatur: non ideò fluvius non est: non ideò lascivus ille hircus, hircus esse desijt; non ideò adultera, illa adultera esse desiit: sunt quales erant. Verùm his omissis, propositũ mihi est sistere in investigandis causis, ob quas tam citò recidunt, tam citò ad vomitum redeunt, etiam qui verè resipuerant in ordinariis, aut illis præter morem haberi solitis Concionibus. l. ff. de Flumin

XVI. Mihi quidem videntur duæ potissimùm magis frequentes, magisque communes ejus rei causæ esse. Prima est, quòd semel audita deinceps non ampliùs in memoriam, mentémque revocentur. Ut cibus corpus nutriat, non satis est illum & salubrem, & succi plenum esse, sed insuper probè mansum ac remansum. Quid in eo utilitatis est, quòd Sacer Orator proponat vobis cibum doctrinæ salutaris ac sanctæ, si integrum & non præmansum devoratis, quin attentè perpendatis aut veritatem, aut pondus rationum, quibus ille vos induxit ad saniora? Seriò hæc ac diligenter cogi-

tan-

tanda sunt, memori mente tenenda, de his domi cum familiaribus differendum, alijs, qui non audierant communicanda; absque his non nascetur, qui speratur fructus, nec in sanctè decretis perseverabitur. Ex dentibus, Medici vitam brevem aut longam haud quaquam temerè præsagiunt. Non minore cum fundamento ego respiscentibus ex iis, quæ dixi, indicijs, vitam brevem, aut longam auguror.

Fernel. lib. 1 de Plantis.

XVII. Altera inconstantiæ in bene cœptis causa est, quòd, qui ad cor redierunt, iisdem se, quibus priùs periculis temerè exponant. Nonnulli ubi dicentem audierunt, videntur obliti, se homines etiamnum esse, tam multa sibi de se promittunt. Deinceps, inquiunt, non est periculum, ne peccem, Omnino ita est, limus igne duratus non tam fragilis est, quàm ille, qui fornacem nondum subiit: si tamen in aliud corpus durum impingas fortiùs, & ille non difficulter in frusta abit. Quare si id agitis, ut stabilis ac diuturnus sit sacrarum Excursionum, & Concionum auditarum fructus, cavete redeatis ad loquendum, ridendum, aspiciendum eâ omnino, quâ priùs libertate; res enim ipsa & experientia demonstrat, securitatem aliam dari nullam, quàm in perpetuo metu ac cautione, nec aliter ferè, quàm fugiendo, hostem superari. Nulla non die videmus, vapores solis calore in aeream regionem elevatos, paulò pòst in pluviam resolutos terram repetere. Sed quâ id causâ? an non præstaret, si sublimem illum locum, & velut dignationis gradum constanter occuparent? Recidunt, quia in media aëris regione, perquam frigida, sistunt, nec altiùs enituntur: in illa autem facilè iterum densantur, cùm radiorum solarium vi tenuissimi antea redditi essent. Si pergerent altiora petere, ad hæc infima redirent nunquam. Quæritis vos ex me, quæ ccusa sit, ob quam non pauci ad saniora conversi, ad ineptias & sordes suas redeant, quod perinde est ac sublimiori è loco deorsum ruere, postquam divinæ Gratiæ vi ex luto ac sordibus sublimia cõscenderant? En causam in promptu. Isti post auditas aut sui Pastoris, aut virorum Apostolicorum hortationes, post elutas seria Confessione animi maculas, post vitæ emendandæ decreta, cæptum iter non prosequuntur; sed subsistunt in media regione, vitæ inquàm ratione inter virtutem ac vitium mediâ, quâ à peccatis quidem, sed non ab ijs, quæ ad peccandum impellunt, abstinere constituunt: unde redeundo ad familiaritatem cum socijs prioribus colloquendo cum iisdem mulierculis, redeundo ad eadem conventicula, refrigescunt denuo, & ut sic dicam jam iterum densi ac frigidi, recidunt, unde sese in altum vibrârant.

XVIII. Hæc est vera ac genuina fructûs non permanentis causa; non verò quòd Dei verbum parùm efficiat, parúmque assequatur, ut nonnulli ineptè ex eo arguunt, quòd videant multos in sanctè decretis non perdurare. Quid, inquiunt, isti tot concionibus, tot Sacris Excursionibus, opus est? Quidquid demum fiat, homines

homines istì à se diversi non evadunt. Si hæc arguendi ratio aliquid conficeret, abstinendum deinceps esset à refectione corporis; quia non diu pòst etiam qui manducaverunt, iterum esurire incipient. An igitur, quidquid Sacris in Excursionibus rectè ac salubriter fit, vestris in stateris nullius est ponderis? Tot confessiones rectiùs peractæ, tot bona aliena Dominis reddita, tantus de admissis dolor, tam multa opera pœnalia, tot lacrymæ fusæ, venia tot inimicis data? Si nullum posthac maneret gestorum vestigium, sufficerent, quæ gesta sunt ad compensandos abunde labores, quicunque exantlati sunt. Sed ultra præterita, multa etiam deinceps rectè ac utiliter fiunt. Illi ipsi, qui peccant iterum, aut peccant rariùs, aut non ita palàm, pudet eos vitæ suæ conscelerate, eâque causâ tegunt solertiùs prava exempla, in quæ tam non obiter Oratorem invectum audierunt. Notavit Galenus, aquam putrem & calefactam, si frigefiat, etsi noxias alias qualitates non amittat, malè tamen porrò non olere. Parúmne lucri est, si impudens illa muliercula nunc latebras quærat infamiæ suæ, & si ille, qui palàm & interdiu alienam, ut latro publicus, pudicitiam rapiebat, nunc in furem mutatus nocturnum, tenebras quærat, & videri metuat? Putris hæc aqua Sacræ Excursionis fervore calefacta, si non aliud, fœtore saltem, & putore alios offendere desiit. Ceterùm væ nobis, si Dei verbo omnino carendum esset! non Innocentiæ tantùm, sed ipsius adeò Fidei jacturam pati contingeret. *Hæc est Gens, quæ non audivit vocem Domini Dei sui*, sic Jeremias Propheta loquitur: quid autem ex hac Dei voce non audita consequetur? id scilicet, ut etiam Fides deficiat *Periit fides*. Tanta, & non major, est Fides, ut sufficiat, ne quis ad Tribunal Sacrorum Quæsitorum rapi debeat? fides est, quâ habitu tantùm creditur, & non actu: fides obscura ac confusa, quin imò nonnunquam humana solùm, quâ fortassis rem ita se habere posse judicatur. In hac autem tam turbida aqua quis explicet, quantum prædarum malus Dæmon capiat? Piscator in unda tranquilla ac pellucida hamo fortassis non frustrà à piscibus insidiabitur; sed retibus prædam includet nunquam, aquâ priùs non turbatâ. Si proinde Prædator stygius alias animas non caperet, quàm illas, quæ videntes ac scientes in prædam illi se offerunt, tam paucas caperet, ut non nisi hamo piscari dici posset. Magnam piscium multitudinem trahit ad se reti in turbido ignorantiæ: *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Mundus omnis in retia Piscatoris Orcini incidit, quia illa non videt; non videt autem quia in iis, quæ ad Deum spectant, institutus non est; *quia non habet scientiam.* Unde cùm Deus gravia supplicia intentat, minatur se ablaturum Concionatores utiles *Mittam famem in terram, non famem panis, sed audiendi verbum Domini.* Ubi constituero in fideles meos animadvertere supplicij genere planè formidando, puniam illos caritate, non panis, sed verbi mei Divini, sic ut nullibi

Ier. 7. 28

Isa. 5. 13

Amos 8. 11.

libi invenire sit ejus fidum interpretem, quantâcunque diligentiâ quæratur. Hinc autem quid consequetur? Audite. *In illa die deficient Virgines pulchræ.* Id consequetur, ut totâ illâ, quàm latè porrigitur, Provinciâ, non invenire sit Virginem, quæ verè Virgo sit, & quæ sub specioso virginitatis pallio non abscondat nequitiam tantò liberiùs, quò magìs extra suspicionem est. Ita in locum illum S. Hieronymus commentatur, qui ex eo colligit, ex non audito Dei verbo, omne genus vitiorum nasci. *Ex quo intelligimus perire pudicitiam, castitatem mori, omnes obire virtutes.* Nec obscura ejus rei est ratio: ut enim Sapiens ille vel inter tenebras suas vidit, vitium in animum tot portis intrat, quot sensus patent: virtus autem non nisi per solam aurium januam ingreditur: ubi proinde non est, qui bene dicat, non invenietur etiam, qui bene vivat. Puniat nos sanè Deus caritate quacunque; sed istâ non punsat: vindicet admissa à nobis peccata, sed vindicet pietate Patris, non furore Inimici. Et verò auferre, qui divina jussa interpretetur, est apertum Peccatoribus bellum indicere. Nondum censentur hostes illi Reges aut Principes, quorum uterque magnis delectibus militem cogit, arma expedit; quin ne tum quidem, cùm ad Provinciarũ limites velitationes committuntur, & mutuis se in juriis hujus ill úsque subditi hostiliter lacessunt. Quodnam est ruptorum fœderum & belli denuntiati argumentum certissimum? an non cùm Legati revocantur? Atque hoc minatur DEUS tanquam pœnam horribilem, hoc quod re ipsa exequitur, quando jam nullo modo pacem cum peccatoribus, sed vindictã vult. *Dominum exercituum auferet ab Jerusalem Prophetam, & Senem.* Tunc denuntiatum bellum est, tunc omne pacis studium ac cagitationem ponit, tunc clades, ac internecionem meditatur, cùm Nuntios suos ac Legatos revocavit. *Is. 3.*

XIX. Ut redeamus ad propositum: en veras ac præcipuas causas, ob quas Conciones Sacræ non efficiunt prodigiosas illas in melius mutationes, quas efficere solent, cùm obex nullus ponitur. Id nunc superest, ut quisque meliore, quo potest, modo tam perniciabilia impedimenta auferat. Id nisi fiat, eò proficient calamitates nostræ, ut præter inutiles lacrymas nihil porrò opis superfit. Narrat Sacer Historicus, cùm Servator noster aliquando observâsset perfidiam Judæorum, quâ cælesti ejus doctrinæ resistebant, non irâ solùm contra eos exarsisse, sed etiam mœrore affectum: *Circumspiciens eos cum ira, contristatus est super cæcitate cordis eorum.* Prô! quàm infelix hoc erat omen! Naturâ propendemus ad iram, cùm quis obicem ponit operi, quod molimur: mœrore tamen nemo affligitur, nisi cùm videt ita sibi obstari ut diffidat, se posse perrumpere. Hoc igitur unum superest Pastori vestro; cùm videt, nullam jam à se dictorum rationem haberi, ut ob tot animarum cæcitatem sanctâ irâ, mœrore contabescat. Spem vos Deo lucrandi porrò habet nullam. *Marc. 3: 5.*

DISCURSUS III.

De Fide.

CHristianorum quilibet in Sanctæ Ecclesiæ Paradiso plantatus est ut arbor, aut herba nobilissima, quæ tamen, non ut aliæ in hortis nostris solent, radices deorsum agat, caput sursum, sed quæ radices in Cælo habeat, ut inde perennem succum trahat, qui vitam tribuat & conservet. *Si* ita res se habet, quam dicemus esse radicem arboris tam beatæ? Non est quòd in ea invest ganda fatigemur: manifestat illam nobis Sapiens, atque esse Fi-
Sap. 15. 3 dem, *Scire Justitiam & Virtutem tuam, radix est Immortalitatis*: sic ille Deum alloquitur. Clara & veraci cognitione attingere ea, quæ ad summam perfectionem, summam potentiam Supremi Legislatoris hujus Universi pertinent, his in terris principium vitæ immortalis est: *radix est Immortalitatis.* Quod cùm ita sit, minimè mihi mirum videtur, quòd tam solicitè ac anxiè nos hortetur Apostolus, ut exploremus, & quoad licet experientiâ ipsâ probemus,
1. Cor. 13, 5. verè ne credamus, an non? *Vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate.* Nimium quantum interest Arboris Animæ nostræ, firmas egisse radices, quæ si quacunque forte sinistra in nobis languerent, omnis mox etiam vitæ
Hebr. 10. 38. spes langueret: *Justus autem meus ex Fide vivit.* Bonâ igitur vestrâ venia, Apostoli secutus sententiam, Fidem hodie nostram comparatione tam necessaria explorabo, & dum ostendam, qualis ipsa in nobis esse debeat, eâdem operâ declarabo, qualis ipsa si in se. *Scire Justitiam & Virtutem tuam radix est Immortalitatis.*

II. Tres dotes sunt radicis nobilis cujusque plantæ. Prima est firmitas, ad illam sustentandam; altera profunditas ad alendam; tertia fæcunditas ad illam fructibus suavissimis locupletandam. Hæ ipsæ etiam propriissimæ Fidei dotes sunt: firmam esse oportet ad Intellectum primæ veritati constantissimè subjiciendum; profundam, ad eum divinorum mysteriorum cognitione alendum; fœcundam, ad eam quàm plurimis rectè factis ditandum. Agamus initio de Dote prima.

II.

III. Firmam igitur oportet esse nostram Fidem: nec enim Fides ista est quæcunque credulitas, aut assensus alteri loquenti præstitus, sed assensus omne dubium excludens, qui volens ac libens nec nutet ullo modo, nec vacillet. Inconcussæ hujus firmitatis causa est Veritas divina, quâ assensus Fidei nostræ nititur. Observate proinde, omnẽ fidem alterius verbis præstitam duobus his fundamentis inniti; primũ est sibi persuadere, quòd loquens, tanquam de re probè edoctus, non fallatur: alterum, quòd pro sua bonitate fallere non velit; atque ita faciliùs credi-

ditur viro docto, quàm indocto; faciliùs viro bono, quàm viro nequam. Hinc apertum est, debere nos Deo fidem infinitam, si talem præstare nostræ esset facultatis, ut eo loquente digna sit, *Credulitas digna Deo*, ut cum S. Augustino loquamur. Cùm enim Deus naturâ suâ Veritas sit, nihil quidquam cognoscere potest aliter quàm sit: & cùm naturâ suâ Bonitas sit, non aliter manifestare quidquam potest, quàm illud cognoscat. Unde ipsi credendo, certissimi sumus, quòd non fallamur. Causa igitur, quæ Christianos inducere debet, ad Fidem suam certissimam habendam, non hæc esse debet, quòd in ejus gremio nati sint; non quòd isto lacte inde à teneris sint aliti; non quòd alii præeant credendi exemplo; non quòd ita à Sacris Oratoribus edocti, non quòd rationibus inducti sint. Una ac sola esse debet hæc, quòd hujus Religionis Mysteria Deus revelaverit Ecclesiæ, per Ecclesiam autẽ etiam nobis. Audite hanc in rem eventum admiratione dignum. Asclepiades Præfectus atrocissimis tormentis divexabat S. Martyrem Romanum; hic cùm adverteret Judicem in excludenda ab anima veritatis cognitione obstinatum, decrevit eum prodigio manifesto aut flectere, aut si contumaciter obluctaretur, omnem illi adimere se excusandi prætextum. Cruciatuum proinde suorum immemor, & ad Asclepiadem conversus, si, ajebat, dictis meis fidem non adhibes, Infantulum hunc omnis doli expertem interroga; & ex ejus ore intelliges veritatem, quam ego annuntio: & cum dicto filiolum tenerum admodum indicat, quem necdum linguam articulatas in voces solvere doctum Christianarum Matrum aliqua brachiis gestabat. Cùm mox Infans exclamavit, & contentâ distinctâque voce, Christus, dixit, verus Deus est; sic ut Præfectus rei novitate attonitus, nec tamen cedere vel sic doctus, quis, torvo vultu responderit, tibi id dixit? reposuit puerulus: *Mihi Mater, & Matri Deus.* Responsum isto aptius nemo Christianorum reddere posset, si quando ex eo quæreretur, undenam Religionis nostræ Mysteria agnoverit? Quis revelavit tibi, Christum Dei esse Filium, eundem humani generis redimendi causâ mortuum, à morte ad vitam triumphabundum rediisse, venturum, ut omne mortalium genus, unum in locum collectum, judicet? Quis revelavit? responderet oporteret: Mihi mater dixit. Ecclesia inquam; Ecclesiæ autem Deus. En igitur totam hujus rei seriem. Christus Servator revelavit Apostolis Fidei nostræ Mysteria, Apostoli docuere Ecclesiam, Ecclesia nos omnes edocet: atque ita tandem à testibus de auditu, venitur, ut Leges jubent, ad testes de visu, dum nos illis assentimur, quæ in intimo Patris sui sinu DEI Filius contuetur: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Joan. 1. 18.

Vinc. Bellovac. spec. Hist. c. 17.

IV. Juvat proin considerare, quàm miserè fallantur cœci illi, qui Fidem nostram tam parvi habent, ut de ea non aliter disputent, quàm de vi apertâ animo nostro illatâ; & quia illa obscura est, vellent illi superaddere claram notitiam & scientiam humanam. Prô temerita-

tem! Somniate, se multis præditum oculis, cæcitatis prognosticon esse censetur. Sic & isti, dum plus longè quàm alii videre sibi videntur, omni se videndi facultate privant. Fides nostra lumen est in nos derivatum à clara notitia & certitudine ipsius Dei: & scilicet illa stolidorum sit, ac seductorum!

3. dist. 23. q. 2. art. 4. *Fides exemplar habet in Deo, quoad cognitionem & certitudinem*, quæ est Angelici doctrina. Hinc qui sinceri Christiani sunt, non credunt tantùm, sed cum magna tranquillitate credunt, cùm satis nôrint, falli se non posse.

Rom. 15. 13. *Repleti omni gaudio, & pace in credendo*: infantuli instar, qui matris è collo pendulus fugit lac, quod non videt, & fugit sine omni metu ac perturbatione, certus se venenum nunquam bibiturum: atque hoc ex capite ne quidem videre desiderant, quod credunt, tam immobiles adhærent vero, quod eos nutare non patitur. Ut ruborem incuteret Hæreticis Albigensibus Christus, spectandum se in Sacra Hostia præbuit vultu pulcherrimi pueruli, & quidem tempore bene longo, ut, cuicunque collubitam esset, usurpare oculis prodigium posset. Invitatus proinde ad spectaculum tam novum S. Ludovicus Galliarum Rex, eat, reposuit, ad videndum in Hostia Christum, qui de Ejus præsentia in illa dubitat: ad me quod pertinet, certius id mihi est Ecclesiæ testimonio, quàm futurum esset, si hisce meis oculis intuerer. Demus igitur, obscuram esse Fidem: hoc autem quid refert, si hæc ipsa obscuritas plus habet certitudinis, quàm ipsa apertissima Scientiarum evidentia? *Nox vobis pro Visione erit, & tenebræ pro divinatione*: nobis quoque ad solatium in sensu haud paulò optabiliore ab ipso Deo dictum existimare possumus. Mich

V. Scientiæ aliæ, & Disciplinæ, ut S. Thomas observavit, & naturâ suâ incertæ sunt, & longi temporis beneficio acquirendæ, câque etiam causâ ratò animum pleno solatio afficiunt. Naturâ incertæ sunt; quia cùm originem trahant à sensibus, quàm facilè in errorem plùs quàm simplicem præcipitant? Ipse oculus, qui minùs quàm ullum aliud sensuum organum in testimonio dicendo fallit, sexcenties tamen & ipse decipit. Affirmat remum aquæ immersum, curvum esse, qui tamen rectus est; affirmat colores Iridis veros esse ac stabiles, nec tamen sunt nisi colorum imitamenta; affirmat solem paulò plus quàm palmari magnitudine esse, cùm hic molis suæ amplitudine totum globum terraqueum centies sexagies sexies comprehendat. Sed neque plus Rationi nostræ tribuere possumus, quod est alterum à natura datum nobis lumen ad veri in vestigationem. Nam hæc quoque ipsa quoties fallitur, maximè postquam peccato propè exoculata est? Id quod plus satis demonstrat illa sententiarum discrepantia, quæ doctos ad perpetuas lites condemnat; sic ut hac una de Veri-

Veritate (summi omnino momenti ad rectam & totius humanæ Reipublicæ, & privati cujusque gubernationem) quis nimirum sit Finis hominis ultimus? Sanctus Augustinus ducentas octoginta inter se pugnantes Antiquorum Philosophorum opiniones enumeret. Quis igitur ambigat, an Scientia nostra naturâ suâ incerta sit? Sed non minore deinceps tempore ad illam acquirendam opus est. Ars longa, vita brevis. Sufficiat dixisse, ex antiquorum Sapientum numero fuisse aliquem, qui quadraginta ipsos annos in id impenderit, ut Apum naturam, ac indolem in operibus suis conficiendis exploraret (quæ vel rustico cuilibet sine interpellantibus intueri concessum est) quin tamen, quod tam studiosè quærebat, tandem assequeretur. Cùm interim Fides momento propè unico Intellectum nostrum locupletet notitiâ sexcentorum arcanorum, sublimium planè ac pulcherrimorum, ut ea ne à longè quidem cuncti Philosophi Antiqui, Fidei lumine destituti, prospicerent: *Quæ nemo Principum hujus seculi cognovit.* S. Hieronymus in illa Christi verba: *Qui dixerit fratri suo, Fatue; reus erit gehennæ ignis*, affirmat hanc utique Christianos inter palmarem esse injuriam: quomodo enim Fatuus ulla ratione dici potest, qui Fidei suæ beneficio erudire cum stupore posset omnes Aristotelis, Xenophontis, Socratis, Platonis Discipulos; *Qui Christum DEI noverit Sapientiam, quâ ratione stultitiæ elogio denotari potest.*

lib 9. de Civit. Dei.

1 Cor. 2. 8.

in Math. 5.

VI. Gravis deinde calumnia est, quâ Fides nostra impetitur, dum cum Ratione pugnare dicitur. Non pugnat cum illa, sed illi imperat. Et sicut Mathematicarum Disciplinarum studiosus permittit, ut circini pes unus in omnem agatur partem, dummodo alter centro immotus adhærescat, ita & Fides non prohibet, quò minùs Ratio pro arbitrio de Fidei arcanis disputet, dummodo parte altera à Dei loquentis authoritate se divelli non patiatur.

VII. Sed hic rei cardo vertitur, dicet nonnemo, cujus animus peccatis plurimis implicitus intritatúsque, haud aliter ac stomachus noxiis humoribus refertus, cerebrum vertigine rotat. Si mihi constaret certò, Religionem hanc, ejúsque dogmata à Deo manifestata fuisse, insanus essem, si porrò ambigerem; cùm Deum mentiri non posse non minùs certum sit, quam DEUM esse. Sed quis me securum reddet, DEUM esse locutum, nec alterius cujusquam commentum esse posse Religionem, in quam nascendi sorte velut incidi? Displicet hæc mihi arguratio ob causam, quæ ad sic arguendum impellere potuit: placet tamen illi respondere, ut hac ratione plus adhuc lucis affundatur iis, quæ hucusque à me in medium allata sunt. Illud ante omnia ponendum, nos dum Fide alicui veritati assentimur, geminum producere actum. Horum unus est actus ipse credendi, qui ad Intellectum præcipuè pertinet: alter est actus, quo credere volumus, qui pertinet ad voluntatem. Jam quod

ad actum ipsum credendi, & assensum Fidei dogmati præstitum spectat, non alio ad eum movemur & impellimur, quàm authoritate primæ veritatis loquentis, ut dicebamus: Voluntas autem illa, quâ credere volumus, pro causis moventibus habet tot illa ac tam multiplicia testimonia, quibus indubitatum redditur, nos ad credendum esse obligatos. Sunt autem hæc Testimonia sanctitas illa ac puritas Religionis Christianæ, quâ omne planè vitiorum genus fugere, virtutes autem omnino omnes sectari docemur. Perpetuitas ipsa Religionis, quam tot persecutionum, tot tempestatum, stragium, schismatum turbines non tantùm non extinxerunt, sed auxerunt etiam, & confirmarunt flammæ instar, quæ quò follibus agitatur vehementiùs, tantò exardescit luculentiùs. Modus ac ratio, quâ hæc eadem Religio per orbem universum propagata est, per homines nimirum rudes & illiteratos, non facundiâ, non viribus, non opibus validos, & verbo, per inopes Piscatores. Conjuncta tam excellenti morum probitati lectissima Doctrina in viris sanctissimis, qui post Fidei nostræ examina semper illam quovis frumento, jam iterum iterúmque cribrato, puriorem sinceriorémque invenerunt. Vaticinia tot ac tanta, quæ in ipso Religionis hujus authore Christo impleta sunt. Miracula, quæ nunquam defuerunt in Ecclesia, nec deerunt, quibúsque velut tot sigillis divina dextera obsignavit Religionis nostræ arcana, cùm nullum unquam mendacium sic possit affirmare. Vis illa ac potestas, quam Religionem hunc sectantes obtinent contra malos Dæmones, quos sibi obtemperare, & se abjicere, & denique obsessis corporibus migrare pro imperio cogunt. Sanguis tot Myriadum Martyrum, qui tum demum in apice felicitatis stare sibi visi sunt, cùm vitam inter mille cruciatus pro Religionis hujus veritate affirmanda ponere illis licuit. Et quæ sunt alia illustrissima signa ac testimonia, quibus Religio Christiana abundat; Sectæ autem aliæ omnes vel iis penitùs destituuntur, vel longè inferiore in gradu effulgent. His autem Religio nostra tam credibilis redditur, ut Regio Psalti etiam mensuram non tenuisse viderentur: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Si Intellectus, nullo pravarum inclinationum, aut perturbationum fumo offuscatus, hæc rationum momenta, hîc velut ab aliud agente enumerata, seriò attentéque perpenderit, fieri non poterit, ut non submittat caput, & lubens volénsque in obsequium Fidei, tam suavi violentiæ, qualis ista est manus det; *Captivans intellectus in obsequium fidei.* Insanire dicendus est, qui secus fecerit, *Magna insania est Evangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolicæ resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, Dæmones confitentur.* Si pronuntiavit Picus Mirandulanus illud ingenii prodigium. Et tamen est in nonnullis Cordis depravati duritiem, ut veritatem tam manifestam cognoscere eos non sinat. Cera signum impressum facilè recipit; in lapide ope-

Ps. 92.

2. Cor. 10. 5.

Sap. 14.

opera luditur : non utique annuli malè sculpti vitio, sed lapidis, ad figuram recipiendam contumaciâ suâ inepti.

VIII. Ut ad propositum revertamur, quid vobis videtur, Dilectissimi, de Fide quæ primò statim intuentibus apparet rationi summè consentanea; in ultimo recessu, uno & solo Deo tandem nititur ac fundatur? Tam firma, tam fundata est Fides nostra, ut hac parte nullius incrementi sit capax: claritate quidem ac splendore sic crescere potest, ut tandem ex dubia crepusculi luce ad claritatis meridiem pertingat; id quod accidet, cùm in Cælo Deum in se videbimus: plus tamen obtinere certitudinis nunquam potest. Alterius omnino generis est aliarum Sectarum fides; quæ se ultra fidem humanam non attollit, quæ quantumcunque sit pervicax, limites tamen opinionis vacillantis nunquam excedit, atque idcirco etiam nunquam dubitationem omnem excludit. E diverso nostra Fides lumen est, quod omnes naturæ vires superat, divini sanguinis pretio nobis impetratum, & animæ nostræ, sorte ter felici collatum in Sacro Lavacro, sicut futurum prævidit Sapiens, cùm dixit, *Dabitur illi fidei donum electum, & fors in templo Dei acceptissima.* Sap. 3. 14. Superat idcirco, ut dicebam, fides nostra certitudine omnium quibuscunque principiis innixorum actuum evidentissimorum certitudinem, idque tripliçi ex capite: primò quòd de rebus sit, quas existere magis sit necessarium, deinde quòd deducatur ex principiis minùs subjectis falsitati, & denique quia modos, quo ad illam progredimur, minùs est obnoxius errori, cùm exploratoribus tam infidis non utatur.

II.

IX. Ut autem radix ista sit *radix Immortalitatis*, satis non est illam esse firmam in animo; oportet insuper profundam esse: & verè ipsa profunditas plurimum etiam ad firmitatem confert. Quid his verbis indico? istud omnino; fidem nostram non debere hærere in superficie, non debere esse caligine plenam, expertem ordinis ac distinctionis, assentiendo Religionis nostræ arcanis generatim tantùm, quin in id incumbamus, ut singula pernoscamus intimiùs. *Accepta est Regi minister intelligens: ira. cundiam ejus inutilis sustinebit.* Prov. 14. 35. Non amat ignorantes ac rudes ministros Deus: ac propterea qui suâ ignaviâ discere neglexit ea, quibus aptiùs ei serviret, suo tempore certò luet. Perpendat proin quisque, duos inter scopulos navigandum. Parte una non decet nos esse æquo curiosiores cum Deo, sic ut quidquid ille dixerit, ejus confestim cum Pharisæis, omnem modestiam & observantiam erga divinum Magistrum dedoctos, rationem superbè poscamus; *Quare? Quomodo?* Hic enim agendi modus in urbanitatis leges peccare censetur, etiam dum nostris cum Principibus loquimur: credo, quod inde, quia hoc est illos ad respondendum quodammodo compellere, & sic se ipsis velut supe-

superiorem monstrare. *Non omnium*, Legum hoc effatum est, *quæ statuerunt Patres nostri, potest reddi ratio.* Si Sancto Augustino assentimur: *Non est fides superborum, sed humilium.* Si enim hæc est pœna primæ perfidiæ, quâ homo in Paradyso terrestri non credidit verbis Dei, & tamen credidit verbis nequissimi serpentis, nemo non videt eam subeundam esse cum demissione, & animi subjectione, ne dum abolere quærimus noxam admissam, eandem potiùs fastu & elatione augeamus. Parte tamen alterâ fides Christiana non est fides rudium & imperitorum: tenebras illa amat, sed non alias, quàm quæ ad acutiùs videndum conducant; fermè sicut oculi nostri tunc longiùs prospiciunt, cùm intima pellicula nigricat. Quid agemus cum certis quibusdam è Christianorum numero, qui ut fidelibus accenseri possint, præter Baptismum habent nihil? Christiani nativitatis & educationis sorte, sed non propriâ optione; qui & fidei Mysteria diligenter didicerint, & titulos ac dotes, quibus illa longè supra Sectarum aliarum vulgus eminet, pernoverint. Vix dixerit quis, credentibus, an non credentibus accensendi sint: videntur potiùs nec hanc, nec illam ad classem pertinere, iis persimiles, qui hemiplexiâ tacti nec vivi ex toto, nec ex toto mortui dici possunt.

l. non omnium ff. de senat. consult. Serm 96. de Verb. Dei.

X. Statuendum igitur ante omnia, quòd, etsi non omnes Christiani nôsse teneantur cuncta Religionis nostræ Dogmata ac Mysteria, cuncti tamen teneantur obligatione, sciendi aliqua, illáque distinctè & explicitè credendi, qualia sunt, quæ Apostolorum symbolo continentur; quæ inter, duo sunt tam necessariò explicitè credenda, ut majoris partis Theologorum sententiâ, fides eorum sit medium, quo sine de salute adultorum certò sit actum. Atque hæc sunt Mysterium sanctissimæ Triados, trium nimirum in una natura Divina impartibili Personarum: & Mysterium Verbi Incarnati, secundæ inquam ex his tribus personis, Filii Dei, in mortali nostra carne assumpta mortem acerbissimam nostræ salutis restaurandæ passi. Quantus jam eorum est Christianorum numerus, qui misero planè ac deplorando in statu vivunt, cùm dicere & ipsi possint: *sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus?* Norunt, unum esse Deum: nesciunt tamen, naturam Divinam unam eandémque tribus in Personis esse, sic ut cum tribus idem esse nihil penitus simplicissimæ officiat unitati. Nôrunt mortuum pro ipsis esse Deum, nec tamen intelligunt, quænam illa Persona sit, quæ mortali se carne vestierit, ut mori posset. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Si autem ita se res habet, fateri oportebit, jacere in regione umbræ mortis eos è Christianorum grege, qui Christi assecliæ cùm sint, plus tamen de illo non sciunt, quàm tantillum illud, quod satis est, ut ludibrio illum vulgo exponant, cùm aut pejerant, aut bile effervescunt. In hac tam densa nocte, quomodo miseri servient Redemptori suo? quænam illi deferent obsequia? quomodo

Is. 1. 3.

Act. 1

l. Scire leges ff. Reg. Ju

Joan. 17

Col. l 3. v. 32.

S. Th. 2. 2. q. 2. a. 6

S. Th. 2. 2. q 2 a 7. & 8.

modo opem ejus implorabunt, gratias pro acceptis referent? quomodo affectu intimo diligent, si de illo tam exiguam notitiam habent? Canis herum in conferta multitudine agnoscit, quibus potest modis, blanditur, & suum ex ejus præsentia sensum ac lætitiam prodit; Christianus autem, ne hac quidem Christi JESU Servatoris sui notitiâ præditus est! *cognovit bos possessorem* Is. 1. 3. *suum, & Asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* Quid tandem emolumenti est in scientia rerum & negotiorum hujus mundi, si hæc conjuncta sit cum ignorantia, quâ tandem viâ ad veritatem & vitam perveniri possit? Satis est infelicibus istis, quòd memoriâ teneant, etsi non nisi mutilas & deformatas, aliquas precandi formulas, & inter has etiam Apostolorum Symbolum: sed hoc quid juvat? ejusmodi scientia, ignorantiæ soror est. *Scire* l. Scire. *leges, non est earum verba tenere, sed* legesff. de *vim ac potestatē.* Reg. Iur. Quid utilitatis habet, Symbolum verbatim reddere, Mysteria eo contenta non intelligere? Non est hoc aliud, quàm in summa annonæ difficultate horreum habere frumento plenum, sed non habere clavem, quâ aditus ad illud aperiri possit. Pittacus aliquis Romæ Litanevticas Virginis Matris preces didicerat, & non sine audientium stupore identidem recitabat. Fateri oportet, non paucos è Christiana plebe volucri huic notitiâ cedere, qui tam multa memoriter reddere non possent: ad vocum autem, quas proferunt, sensum quod attinet, nihil intet illos & Psittacum intereſt. Judicet jam qui volet, an non promptum ac facilè sit malo Dæmoni in turbido hoc ignorantiæ stagno pro arbitrio piscari! *Non est scientia DEI in terra*: ait Os. 5. 1. Propheta: ex hoc autem quid consequitur? *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Invaluerunt in Mundo hæc tam horrenda flagitia, quia nulla DEI in eo notitia est, & nulla ejus acquirendæ industria; perinde ac si vel hoc ipsum nonnullis molestum sit, credere, quòd aliquis Deus sit.

XI. Hinc discetis, quantopere à vobis officij ratio postulet, ut liberos vestros, ut famulos famulásque mittatis ad Templum, ubi catechesi instituantur; quin ut & vos accedatis, ad ipsa adeò Religionis nostræ prima elementa pernoscenda; cùm non desint ex adultis, quamlibet prolixè barbatis, quibus adhuc lacte sit opus. Quot rerum ad salutem necessariarum inscitiâ vos ipsi laboratis, etsi non omnino nullâ Mysteriorum, quæ dixi, scientiâ esseris imbuti? Nescitis non rarò, ad verum & utilem de admissis dolorem ac pœnitudinem non sufficere voluntatis vestræ facultates, sed Gratiæ etiam efficacis auxilio opus esse, quæ neque omnibus Peccatoribus, neque quovis tempore, maximè qui noxas noxis cumulando eâ se indignos reddidere, conferatur. Hinc est, quòd, etsi quotidie peccando à cælo receditis longiùs, tam nihilominus de ejus felicitate obtinenda vivatis securi, quàm securi

illi vivunt, qui vincendo bravium re ipsa jam sunt consecuti. Nescitis, peccatũ esse malum malorum maximum, & à Deo eo odio haberi, quod neque mensuram habeat, neque unquam placari possit; unde ineptè vobis persuaderis, parùm interesse, quomodo quis vivat, dummodo deinde se reum pro Sacro Tribunali peragat; nec interesse, semel quis, an centies, aut iterum iterúmque priores in sordes recidat. Nescitis, ad veniam admissorum impetrandam sacræ Confessionis ope, necessarium esse dolorem, qui peccatum præ omni alio malo execretur, sicut re ipsa animum ab eo avellat, & inducat ad verum illud unicúmque medium usurpandum, fugam inquam occasionum proximarum, quæ toties vos in casum impulerunt. Ex eo, quòd hæc, hisque plura similia ignorentur, irreparabilia in animam damna redundant, & Deus ipse asserit; *Ubi non est scientia: non est bonum.* Anima rerum divinarum rudis, instar accipitris, cui venator oculos velârit, non obtemperat sibilo, ad prædas non se movet, nec ullũ discrimen vitat: & si infelices sunt tot inanium Deorum cultores, quia non vident; arguere hinc potestis, quanto fortassis miserabiliores sint Christiani illi, qui cùm media in luce habitent, videre tamen pensi non habeant. Dicunt, negotiorum sibi abunde esse, sibi familiæ, mercium, pecorum, & commerciorum intricatissimorum curam incumbere. Sed quid? anne & animam non habent? & tamen hujus rationem habent nullam. Duobus modis, Theophrasto teste, Planta aliqua aliis propinquis nocet; aut umbræ densitate, aut omni circum humore ad se attracto. Nec alia Fidei conditio est: hujus Mundi negotia, diverticula, oblectamenta, radici huic obsunt; primò umbrâ; implicant enim mentem & offuscant propensionibus malè ordinatis: deinde omnem succum, omne alimentum ad se trahendo, sic ut tempus vendendi, emendi, permutandi, imò tempus in omnibus nocturnis cõventiculis ridendi, tripudiandi, garriendi, amoribus indulgendi, nullo non vitiorum genere se conspurcandi, momenta autem nulla ad salutis viam perdiscendam supersint, nulla ad Deum primum principium & finem ultimum cognoscendum.

Prov. 19. 2.

III.

XII Quis jam miretur, Fidem ejusmodi, quæ tam non altè in animæ solum descendat, sed in superficie duntaxat hæreat, fructus nullos ferre? Sunt ex arborum genere, quæ cacumen sublime ad nubes porrigunt, etsi radices in terram parùm profundè agant; & tales sunt Cypressi: sed hæ omnes infœcundæ sunt. Tertia proinde Fidei suis absolutæ numeris Dos est, ut fruges multas bonorum operum afferat. Est enim Fides, cælestis quædam lux, quæ animum ad cognoscendum illustrat, & voluntatem ad agendum roborat: Virtus est, quæ non contemplatione sola est contenta, sed ad agendum se porrigit: *Fides, quæ per caritatem operatur*: & verò hunc in finem confert nobis Deus donum tam singulare; *Donum Fidei electum*, ut anima apta reddatur ad bona plurima Gal.

rima efficienda : eâ etiam causâ Fides Sponsalibus comparatur, quibus Deus & anima mutuò jungantur,
Os. 2. 10. *Sponsabo te mihi in fide* : ut intelligamus, horum quoq; Sponsalium fructum præcipuum esse fœcunditatem. Atque hæc ipsa fœcunditas incredibile dictu est, quantum Fidem ipsam augeat, ad ipsum usque DEI solium illam deducendo, quin unquam suis in eo quærendo votis frustretur: *De-*
Ps. 6. 73. *um exquisivi manibus meis, & non sum deceptus.* At è diverso, nisi Fides operibus ex Charitate profectis nutriatur, vitalis non est. *Fides sine operi-*
Iac. 2. 2. *bus mortua est*: & talis cùm est, Virtutis nomine d gna non est, perinde ac cadaveri perperam hominis nomen tribuitur. Quia autem res hæc momenti sanè quàm magni est, ut intelligamus necessitatem, quâ & DEI gratiam tueri, & ejus virtute opera digna vitâ æternâ producere debemus, placet clariùs proponere de ea, quid sentiam.

XIII. Duplex mortis genus in cadavere considerare possumus : unum est, quo corpus ab Anima, vitâ suâ, separatur: alterum, quo ipsum putrescit, sic ut tandem in pugillum pulveris ac putredinis redigatur. Eadem fors est Fidei. Moritur illa inprimis per separationem à Charitate, dum peccato anima assentitur. Moritur deinde, cùm sensim Fides ipsa corrumpitur, sic ut denique in nihilum redigatur. Negari non potest; magnam in eo DEI miserationem esse, quòd Peccatores amissâ gratiâ non simul etiam Fidei jacturam faciant, Placuit DEO, eâ erga nos, proportione quâdam, uti benignitate, quâ erga artifices, aut alieno ære obstrictos, aut etiam decoctores, Leges utuntur. Vetant hæ, miseris illis auferri artis suæ instrumenta, ut horum ministerio & vitam tueri, & fortassis aliquando etiam contracta nomina delere possint. Sic & DEUS, ut Peccatores spei aliquid retineant, è miserrima sua sorte aliquando emergendi, & exvendi nomina cum Justitiâ divinâ contracta, reliquit eorum in manibus omnium virtutum instrumentum Fidem, quæ etiam earundem, quatenus quidem in cognoscendo versantur, forma est. Istud tamen Fidei mortuæ cadaver, quod in anima peccatrice velut tumulo sepultum relinquitur, paulatim ipsam etiam, quam cum vivo corpore habebat, similitudinem deperdit; & illud virtutum recuperandarum instrumentum, diu otiosum, tandem ita rubigine exeditur, ut sensim penitùs inutile reddatur. Nec id mirum; cùm ea sit Otij ac situs natura; omnia tandem corrumpere; Aqua diu immota, verminat: ædes diu non habitatæ, sensim in acervum informem subsidunt: Equus, diu è stabuli sui pœdore non eductus, vigorem omnem perdit. Hac igitur ratione Fides, etsi vitâ destituta non esset, magnum tamen subiret exitij sui discrimen, eo solùm, quòd otio torperet, & nulla virtutum opera efficeret. Quanto igitur magìs, vel vestro judicio, parùm ab extrema pernitie, mortua aberit?

Cùm in animo Peccatoris subsistere cogitur, conditione est sibi nimium quantum durâ ac violentâ: hæret ibi tanquam compedibus vincta, ut Apo-
Rom. 1. 18. stolus verbis illis innuit: *Qui veritatem Dei in injustitia detinent.* Atque ita facillimum est istud quoque violentum minimè esse diuturnum.

XIV. Hæc autem illi maximè sibi dicta existiment, qui fœdas libidines sectantur, & passim corpori suo ac carni permittunt, quidquid illam, quantumvis turpiter, delectare potest: de ijs enim accipiendæ potissimùm sunt terribiles illæ DEI voces:
1. Cor 2. 14. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* Id quod S. Hieronymum induxit, ut citra dubitationem assereret: *Difficile est Hæreticum reperire, qui diligat Castitatem.* Ut verò nil aliud magìs spectat Orcus lasciviâ, quàm ut tandem perstingat ad ipsam Fi-
Ps. 136. 7. dem extirpandam. *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Hæc sunt Luciferi imperia, quæ illi ejus ministri accipiunt, quorum operâ ad evertenda per cuniculos munimenta utitur: ac proinde sicut Archistrategus, ad urbem aliquam expugnandam, principio muros solo æquat, mox in ruinis pedem figit, ac tandem actis cuniculis propugnacula funditus subruit; ita Dæmon initio tum alijs, tum maximè fœdarum libidinum peccatis, velut tormentorum ictibus, ruinas humanis in animis edit: his enim maximè franguntur: deinde longâ assuetudine stabilem in ijs locum occupat; tandémque, nisi validis eruptionibus pedem referre cogatur, ipsa adeò Fidei fundamenta suorum illorum fossorum operâ subruit. *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Quodsi cuniculi ignem non conceperint, & Fides stare pergat, non stabit tamen nisi infirma, multúmque diminuta: juxta illud: *Diminutæ sunt veritates à filijs hominum.* Creditur Deus, creditur DEO, sed non creditur in Deum, quam in rem ita S. Laurentius Justinianus loquitur. *Credere Deum, est credere eum esse: Credere Deo, est credere eum vera dicere: at credere in Deum, est credendo amare: credendo in eum ire.*

XV. Quid autem vobis videtur, Auditores Dilectissimi, an tales Fidei ope speratis salutem consequi æternam? Non aliud hoc foret, quàm stultè credere, se remotâ aliqua è provinciâ Romam equo gypseo, aut ligneo perventurum. Non permittunt Leges, ut ille Medicus immunitate gaudeat, qui alijs curandis operam non dat: sed domesticos intra parietes Medicæ artis peritiam discit, & semper in umbra, nunquam in arenam progreditur, morborum phalangas oppugnaturus.

Similis ignominia eos manebit Christianos, qui extremo mundi judicandi die sperabunt propitium habere Judicem, propterea quòd vix quidquam præter pigrum Fidelis Christiani nomen, palàm professi sint. *Nescio vos*, audient ex DEO; *discedite à me omnes operarij Iniquitatis.* Facessite procul, vos qui ad pra-

va

va vestra desideria explenda eratis centimani; ad illa autem edomanda ne unimani quidem. Si quem nostrûm ferale hoc tenuitu audire contingeret, quo quæso is animo esset futurus? quæ calamitas, nostræ illi comparari posset, descendere nos in inferni barathrum nostris accinctos armis? *Descenderunt ad Infernum cum armis suis*: cum illo inquam hominis Christiani charactere, cum illo Fidei scuto, quo nullum non hostem vincere, & de eo triumphare potuissemus? *Hæc est victoria, quæ vincit Mundum, Fides nostra.* Nihil ita victorum triumphum exornat, quàm arma, ab hoste in acie abjecta. Sic etiam Fides, telum tam validum ad stygium hostem profligandum, protrophæo Dæmonibus serviet, gloriosè jactantibus cladem Peccatoribus, in immane illud barathrum à se pertractis, illatam. Pro quàm petulanter & arroganter insultabunt characteri, quem à sacro Lavacro impressum, solúmque superstitem, nulla æternitas delebit? Quo primùm furore, mox etiam fastu, illum tanquam rem unicam sacram, in locum illum omnis calamitatis delatam, concu'cabunt; læti, quòd fœdissimis suis quodammodo pedibus proterere valeant eum, qui ut Dei filius, & æterni Regni hæres, ipsa etiam sidera pedibus substrata cernere potuisset.

Luc 15. 27. Psal. 11. Ezech. 32. 27. Iac. 1 4.

XVI. Auditores Amantissimi, ne conditione unquam reddamur tam infelici ac deplorandâ, sequamur consulentem Apostolum, quia ita nos alloquitur: *Vosmetipsos tentate, si estis in Fide, ipsi vos probate.* Non satis est Fidem nos habere, tanquam inanem & sterilem credulitatem: necesse est nos haberi à Fide, sic ut quidquid uspiam operamur, per ejus veluti manus transeat; cuncta ab ipsâ suos ad fines dirigantur, ad normam axiomatum ab ea præscriptorum exigantur.

2. Cor. 13. 5.

XVII. *Vosmetipsos tentate, si estis in Fide.* Quæ futura esset vestra calamitas, si eos inter nati educatique, quibus veræ Fidei lumen illuxit, infeliciores essetis illismet, qui in Idolomaniæ tenebris hæserunt; sic ut dum ipsi nihil vident, quia densam circa se noctem habent, vos cæcitate hoc minùs miserandâ, quo magis sponte adamatâ, nihil cerneretis, quia oculos aperire piget? Quid futurum esset, si Fides vestra non haberet firmitatis satis, & si scientes volentésque admitteretis illas dubitationes, quæ nonnunquam animum vestrum solicitant, sic ut fœdarum vestrarum libidinum cloaca, ac putrida palus, non tantùm cœlestis hujus solis radios vaporibus suis eclipsaret, sed etiam penitùs illum extingueret? & tamen eò nonnunquàm pertingit, etiam inter Christianos, etiam inter Catholicos: quibus plus de hac gloriosa nomenclatione non relinquit, quàm ne ad fidei Quæsitorum Tribunal raptari debeant. Ceterùm *Dubius in Fide: est Hæreticus*, ut omnes norunt: Quisquis vel unum aliquod Fidei dogma dubium & incertum existimat, inter rectè credentes jam locum non habet, quantumvis eorum è numero haberi velit, & talem se externis ritibus profiteatur.

XVIII. *Vosmetipsos tentate, si estis in Fide.* Discutite diligenter, an quæ credunt alij, vos fide humanâ tantùm teneatis, an verò Divinâ, illis assentiendo, quia Deus illa revelavit Ecclesiæ, Ecclesia autem vobis proposuit. *Habete Fidem Dei.* Id vobis incumbit; ut Fidem habeatis, quæ sit à Deo, ut principio & causâ efficiente; & quæ in Deum ut finem tendat: hanc si habere vos deprehenderitis, ulteriùs discutite, an sit profunda, sic ut nolitis contenti esse notitiâ quadam planè superficiariâ & credulitate rudi ac imperfectâ, absque eo quòd explicitè teneatis ullum eorum Dogmatum, ad quæ sigillatim credenda nemo Christianus non obligatur; quamvis eadem cognitione perfecta, & comprehensiva credere & capere non teneamur. *Vosmetipsos probate si estis in Fide.* Scrutamini tandem, an Fides vestra sit fœcunda, quæ Charitatis virtute producat fructus vitæ æternæ. *Verbum DEI operatur in vobis, qui credidistis.* An non pudet vos, Terram aspicere, quæ ob exigui luminis beneficium, quod extimam ejus superficiē irradiat, nunquam non aliquid agit, sed tot identidem plantas, tot flores, tot poma, tot metalla gignit; cùm interim Anima nostra tam multiplici luce, quàm Fides undique diffundit, illustrata, jaceat otiosa? Earum sit virium fides humana, ut inducere homines possit ad tam multa gerenda negotia, ad ea aliorum arbitrio administranda: & Divina Fides, tanquam minorum virium, agat nihil, & omni difficultati cedat? Ante omnia tamen, nunquam animis vestris hic error inhæreat; etsi vita Christianum nihil spiret, solo tamen nomine vos Redemptoris vestri gratiam promerituros. Quin imò non alia hujus erit nominis utilitas, quàm ut vos illi magis execrabiles ac detestabiles reddat. Qui fœtet instar hirci, si unguenta odorifera corpori illinat, fœtebit turpiùs. Nec aliter se res nostra habet. Suave illud Balsamum Sacrificiorum, Sacramentorum, ipsæ tam odoriferæ Baptismi undæ, ad nihil servient, Christianis his Nominalibus, quàm ut odore magis ingrato offendant Judicem, qui severiùs in illos, quàm in ipsos ethnicos animadvertet. *Dico vobis: Tyro & Sidoni remissiùs erit in die judicij quàm vobis.* Non aliter ac Leges Civiles pœnâ ordinariâ mulctant adultos, impuberes autem mitiore; cùm hos nondum eâ, quâ illos, Legum violatarum notitiâ præditos supponant.

Marc. 11. 22.

1. Thess. 2. 13.

XX. *Vosmetipsos tentate, si estis in Fide.* Non sufficiat vobis hoc in negotio obiter in animum vestrum introspexisse, *Tentate, & probate.* Res prosperæ vobis serviant, ut vos *Tentare*, adversæ verò ut *probare* possitis; ut quavis in tempestate DEO perinde Fideles radici Fidei firmæ, profundæ, fœcundæ, inserere firmiter possitis arborem vitæ nunquam desituræ.

DIS-

DISCURSUS IV.

De Spe.

NOn alio Signo rectiùs discernitur Balsamum genuinum ab adulterato, quàm si observetur, an maculam relinquat loco, quo illitum est, an non? si enim nullam relinquat, sincerum est; at si aliquam, adulteratum. Spes, omnis calamitatis Balsamum est: quo igitur signo ac indicio nos rectiùs spem veram à falsa discernemus, quàm si exploremus diligenter, quænam humanum animum labe aliquâ aspergat, quæ à labe purum præstet? Accedant igitur huc omnes Peccatorum Spes: mihi enim fixum, ratúmque est, ad eas publicâ infamiâ notãdas, detrahere mendacẽ larvam, quâ vultũ & suam impietatem obtegunt; id quod fiet, si veræ ac sinceræ Justorum Spei conferantur. Propositum, inquam, mihi est, Dilectissimi, utilissima comparatione spectandam vobis objcere parte unâ Spem Christianam Justorum, labis omnis expertem, parte autem alterâ fallacem Spem Peccatorum, planè deformem ac sordidam. Vestrum erit discrimine utriúsq; perspecto, scire quàm deceat amplecti, & à qua sibi cavere.

I.

Epist. 10. II. *Spes*, opinione Senecæ, *est nomen boni incerti.* Sed huic Philosopho sermo fuit de illa Spe, quam solam suis in tenebris dignoscere potuit. Hæc nititur fabulo facilè mobili boni alicujus caduci & humani: mirum proinde non est, si nutet ac vacillet. Non hoc ex genere est Justorum Spes. Hæc siquidem tam est certa, ut sola expectatione Boni promissi reddere nos felices possit: *Gloriamur in Spe gloriæ filiorum Dei.* Ad hoc igitur animum advertite, quòd originaria culpa, sicut homini eripuit oculos, cúmque excæcavit, ita & abstulerit vires, infirmum relinquendo ac debilem. Eâ causâ sicut Deus, ut tenebras nostras dispellat, in animo nostro Fidei lumen, de quo Dissertatione proxima actum est, accendit; sicut virium juvet & sanet imbecillitatem, voluntatem Spe implet; de qua præsenti hac in Dissertatione agendum. Virtus hæc, stabilis quædam ac permanens facultas est, quæ voluntatem erigit ad desiderandũ Deum, cúmque tanquam summum suum & unicum Bonum expectandum: idq; med â Gratiâ permanente, quæ aptam efficiat voluntatem; & mediâ Gratiâ transeunte, quæ vires conferat; mediis denique operibus atq; actionibus bonis, quibus illudmet consequi promereatur: Spes proinde nostra, cùm hæc ita se habeant, gemina basi nititur; auxilio nimirum Divino, & nostræ voluntatis cum eodem auxilio operatione. Quâ igitur parte Deo nititur, quid illâ firmius, quid magis inconcussum esse potest, etiamsi parte alterâ nutet? Satis sit dicere, quòd Propheta illam vocet non jam Spem, sed, ut ita lo-

Rom. 6, 2.

loquamur, Super spem: *In verbum* Ps. 81. *tuum superspera vi*: perinde ac si illa esset anticipata Boni desiderati possessio. Sed non oportet de materia tam suavi & jucunda obiter tantùm & paucis agere. Parte autem alterâ quomodo tantillo temporis spatio pro dignitate, cùm tam latè pateat, de illa disputare possumus?

III. Omnes Perfectiones atque Attributa, quibus immensa illa Abyssus Divinæ Bonitatis nostrâ concipiendi ratione constituitur, gravissimam nobis vim faciunt, ut in DEO speremus, non unius alicujus generis, quocunque nobis opus fuerit, Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ. Nihilominus ut per hoc nullis clausum limitibus Pelagus, sine spe portum intrandi, non evagemur, ex dictis Dei Attributis, quæ ad Spem de DEO concipiendam movere possunt, non nisi tria cum S. Thoma scrutabimur, Magni inquam Dei nostri Pro- in Ps. 30. videntiam, Miserationem, Potentiam? Providentiam Dei, ut nostri opificis & Conditoris; Miserationem, Servatoris, & Potentiam, Domini, qui supra se alium habeat neminem. Conjiciamus primò obtutum in Providentiam Con- Is. 46. 4. ditoris. *Ego*, inquit Prophetæ ore, *feci, & ego feram*. Ego vos condidi, quando eratis nihil: facilè proinde inducere in animum potestis, me in cunctis vestris indigentijs sublevandis non defatigandum, postquam esse cœpistis. *Greg. l. 24. Moral. c 17.* *Qui necdum facta curavit, ut essent, quæ facta sunt, non deserit.* Et verò quis unquam opifex tam parvi fecit manuum suarum artificum opera, ut postquam ijs perficiendis ingenium impendit & industriam, casui deinde illa, & fortuitis eventibus relinquat? *Quis deserit, quod condendum putavit?* S. Ambr. Tantóque id magis facturus est, quia non opifex tantùm noster, sed & Pater est: an enim, qui ferocissimarum Tigrium cordi sobolis suæ & fœtuum amorem ingenuit, cor suum Divinum ejusce amoris expers esse voluerit? Negari non potest, non pauca interim nobis mala ferenda esse. Sed quomodo aliter fieri possit? Natura non producit fœtus monstrosos certo ac destinato consilio; producit eos tamen, materiæ, ex qua formantur, reniten- tiâ & ineptitudine ad id compulsa. De cetero facit illa, quantum intra legum suarum fines potest, ne nascantur abortus isti. & cùm jam nati sunt, quantum potest, impedit, ne generatione propagentur; & eâ causâ steriles illos gignit, ut cùm facere non possit, ne omnino sint, efficiat saltem, ut soli sint. Pari ratione Opifex noster Deus non vult malum nostrum, non solùm Culpæ, quod omnino velle non potest, sed ne pœnæ quidem: *Non lætatur in* Sap. 1. *perditione vivorum*. Nostrâ tantùm miseriâ cogitur, ut illud velit, vel ut nos corrigat, vel ut puniat, vel ut probet. Per se autem id ipse agit unicè, ut mala nostra diuturna non sint, néve infelici fœcunditate nocentiores post se effectus trahant: unde sicut mater, cùm ignis calore filiolum suum fovet, manum inter ipsum & ignem interponit, ne vehementior ignis vis ei noceat: sic DEUS summâ curâ ac providentiâ mala, quæ debet infligere, temperat, & cùm illa adverterit nos vehe-

vehementiùs urere, quamprimùm ab igne nos removet; quâ comparatione ipsemet Sponsæ carissimæ Gertrudi suam in nostris malis permittendis providentiam explicavit.

IV. Majôrem tamen fiduciam debemus reponere in Miseratione DEI Servatoris ac Redemptoris, etsi tantam debeamus ipsi Conditori. *Noli timere, ego redemi te*: sic Animam ille quamlibet per Isaiam alloquitur. Cave unquam mihi diffidas, postquam redemi te toto Sanguinis mei divini thesauro. Et verò si fateri volumus, quod res est, ex quo Verbum nostrâ causâ humanam carnem induit, eò nostra est aucta dignitas, ut si ipse, S. Gregorii Nazianzeni phrasi, est oculus Patris, nos ejus oculi pupilla facti simus. Illud saltem certùm, sic nos ab eo compellari, nostri, ut talis, curam haberi, ut talem nos ab aliis quoque agnosci & observari velle: *qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Unde non est mirum, si tantum ille præfert sensum injuriarum, quibus lacessimur; sic ut eas non semel atrociùs vindicet, quàm illas, quibus ipse est læsus; propterea nimirum, quòd sint vulnera pupillæ, quæ etiam nostratibus in Tribunalibus, quæ tamen minùs accuratè rerum gravitatem discernunt, atrocissima censentur, juxta illud: *Locus vulneris atrocem facit injuriam, veluti si quis in oculo percussus fuerit.*

V. Id tandem, quod firmitatem Spei nostræ perficit & absolvit, est, quòd Deus non tantùm ut noster Conditor Providentiam habeat, quâ sciat nostræ egestati succurrere, ut Servator verò nostri miseratione moveatur, & opem ferre velit; sed quòd eam etiam, tanquam Dominus universorum, cujus nutui cuncta pareant, ferre non possit minùs, quàm velit. Si quid uspiam est, quod potestatem ejus excedat, & quòd ipse effectum, etsi velit, facere nō possit, permittam omnino libens, ait Mellifluus, ut pleno jure & arbitrio Spē in alio, quàm in Deo reponatis, & ut solum quæratis firmius ac stabilius, cui jactæ Spei vestræ anchoræ adhærescant. *Si quid illi impossibile, si quid vel difficile sit, quære alium, in quo speres.* At si nihil tale uspiam est, cur non in eum omnem nostram fiduciam projicimus? cur inter ejus Providentiæ brachia securi non acquiescimus? Hâc sanè causâ aptissimè dici voluit *Deus Spei*; quantum enim & scit, & potest, tantum nostrâ causâ & nobis juvandis vult impendere.

VI. Diligenter igitur animo perpendite, AA. Amantissimi, quàm firma & inconcussa sit Spes Christianorum, cùm Deo ipso innitatur. *Speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.* Negari quidem non potest, quin Deus velit, ut etiam de nostro aliquid conferamus, & cum ipso operante operemur; & quamvis Medicus iste cælestis paratus sit afferre malis nostris medicinam, non vult tamen sanare invitos ac renitentes. S. Augustini verba sunt *Sanat omnem languidum sed non sanat invitum: opus est, ut sanari velis.* Cùm autem nostra voluntas tam sit in bene cœptis instabilis ac varia, hinc est, quòd non omni

Is. 43.

Zach. 2. 8.

Inst. l. 4. tit. 4. de Injur.

Rom. 15. 13.

Is. 30. 10.

In Psal. 102.

firmitate, quâ Fides, hâc & Spes nostra gaudeat; cùm illa tota quanta est, unicè solâ loquentis DEI authoritate se fulciat. Hinc est, quòd Spei nostræ mira quadam ratione Timor conjungi possit, cúmque ea efficere harmoniam & melos suaviſſimum, in quo sublime & profundum, seu, Musicorum idiomate, Altum & Bassum, mirè concinant, dum ipsa nostra imbecillitas ad id confert, ut evadamus robustiores. In bellis, quæ hominibus homines committunt, nihil tantum animi militibus addit, quàm si maxima quæque de suis viribus ac robore sentiant. Dispar est ratio pugnarum, quas Anima cum hostibus tam aspectabilibus, quàm non aspectabilibus pugnat. In his, ut ipsa superior evadat, oportet timere quàm maximè de suis viribus; imò his penitus diffidere, sic ut in velle suo ac posse Spei reponat nihil, totum verò in uno Deo & ejus ope reponat. Talis cùm fuerit, nubi simillima redditur, hòc fœcundæ magis, quò minùs lucidæ ac transparenti; atque ita aptissima ut divini Solis radiis mutata in prodigiosam Magnanimitatis Iridem nil nisi triumphos præsagiat. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Ubi dein animam tam benignis ac heneficis oculis DEUS dignatus fuerit, quis explicet, quàm altos illa spiritus animósque concipiat? Tum enimverò Spes ad fiduciam usque proficit, fitque id, cùm se homo in Deo contemplatur, sic ut jam non solo in Deo confidat, sed etiam in se; sed in se illis valido viribus, quas accepit à Deo. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Ut aliquid de Anima sic constituta pronuntiem, dicam solùm, illam mutare fortitudinem. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Positâ enim fortitudine, quæ humanæ sit indolis, induit fortitudinem indolis quasi divinæ; ídque ad duos præcipuè maximi momenti effectus, ad impetrandum nimirum, quidquid petit, & ad ferendum ut leve, quidquid ipsi incumbit,

Il. 66.

S. Tho. 2. 2. q 128. ar. 1. ad 2.

Phil. 13.

2. Co 4.

VII. Primo igitur loco genuina, Deo nixa Spes vi prædita est admirabili ad omne genus Bonorum impetrandum: *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit.* Sic Populo suo Israelitico Deus promisit. Quis autem iste est? quærit S. Bernardus. Pes iste, Spes nostra est, quæ quocunque se, & quamcunque ad rem porrexerit, suam illam efficiet, sic ut sperare tantùm, sit gratiam speratam promereri. *Erit tibi Anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam.*

Exu

Ier. 39. 18.

VIII. Verùm quia sæpe decet, & expedit non audiri nostras preces; imò tes ipsa postulat, ut variis sæpe adversis, variis ærumnis nostri experimentum Dens capiat; id quoque proprium habet Spes Deo fulta, ut omne amarum dulce reddat, & in nectar cælicum mutet. Unde Philo sapienter Spem nominavit *Gaudium ante gaudium*? Et Justi sæpe ob solam suam Spem Beati in SS. Literis appellantur, *Qui sperat in Domino, beatus est.* Propterea, quòd liquidiore lætitiæ sensu perfundantur in hac vita ex iis, quæ sperant in altera, quàm perfundantur

Prin. 20.

tur Peccatores ex ijs, quæ reipsa jam sunt consecuti: haud aliter ac hæres Regius magìs delectatur Regno, cujus possessionem nondum adiit, quàm miserus Rusticus tugurio, in quo jam nũc habitat. *Sic dicebat Apostolus: Superabundo gaudio in omni tribulatione mea.* 2. Cor 7. 4. S. Franciscus autem totas noctes oberrabat, illud cantillans.

E tanto il Ben che me aspetto;
Ch' ogni pena m' è diletto. i. e.

Quia tanta sunt Bona, quæ me expectant,
Me mala hîc, dolor, & cruces oblectant.

Quis igitur ferat eorum è Christianis diffidentiam, qui ut magnitudinem calamitatis, quâ premuntur, & conditionis, in qua versantur, ærumnas explicent, dicere consueverunt: *Præter Deum, qui promeretur, in Mundo habeo neminem.* Itane infirmum vobis videtur, quo res vestræ nitantur, fulcrum, cùm fulciantur ipso Deo, ejus Providentiâ, Miseratione, Potentiâ, & promissis? Quid igitur hæc sibi verba volunt, nisi, Deum à vobis haud quaquam haberi pro eo, qui est, sed pro Deo impotente, pro Deo decoctore, &, ut sic dicam, subhastato? *Otiosum, inexpertum & ut ita dicam, neminem*, ut cum Tertulliano loquamur. Urbes illæ, quæ lapideis pontibus junxerũt flumina, etsi videant fluvios præter morẽ exundantes, maximo in illos vi ac impetu ferri, non timent tamen, ne pons aquarum mòli cedat; metuunt autem urbes aliæ, quarum pontes ligneis tantùm tibicinibus fulciuntur? atque idcirco, cùm ingens aquarum vis in illos recto alveo defertur, vix est è civium numero tam audax, qui alteram per eos ad ripam tendat. Si pro vobis stat Deus, quæ timendi causa? Neminem uspiam erit invenire, quem sua in Deum spes fefellerit. *Nullus speravit in Deo, & confusus est.* Eccli. 2. 11.

II.

IX. Ut igitur ad id, quod propositum est, revertamur, quid vobis, Dilectissimi de Spe Christiana videtur? An non illam existimatis Balsamum nobilissimum, non solùm ob salutem, quam in malis affert omnibus, sed eo etiam nomine, quòd labis post se in animo nostro relinquat nihil? Quin imò indies eum efficiat puriorem, dum arctiùs Deo devincit, qui pro incredibili sua Bonitate honori sibi ducit, cùm advertit nos ad eum constanter, tanquam ad supremum nostrum Bonum, anhelare, & ab ejus unius manibus expectare, quidquid infra ipsum bonorum est. Comparate nunc vero & sincero huic Balsamo adulteratum Balsamum Spei Impiorum: tam istam sordibus plenam invenietis, ut in Dei oculis aliud non sit, quàm mera abominatio. *Spes illorum abominatio anima.* Præ ceteris tamen fœdæ in ea sunt duæ maculæ. Prima est, sperare nimiùm in iis, quæ ad animam spectant: altera, sperare nimis parùm in iis, quæ ad corpus spectant. Iob. 11. 20.

X. Primò igitur abominabilis est Spes impiorum, quia nimis multũ sperat in iis, quæ ad Animam spectant, sic ut in Præsidentiam & Præsumptionem

degeneret. Sperant temerarij isti, Deum donaturum ipsis Salutem æternam beneficentiâ tam gratuitâ, ut nullo modo habitura sit rationem mercedis; quam tamen dare ille non vult nisi ut jure debitam; sic, ut nihil operando boni, imò plurimum operando mali, confidant tamen eò se perventuros, quò Beati Cælites tot laboribus, conatibus, curis, tanto sui afflictandi studio pervenerunt. Gignitur pessima hæc præsumptio partim ex æstimatione sui immodica, partim ex ignorantia. Juvenes, si S. Thomæ credimus, ad Spem proni sunt, quia & animi vigore abundant, & experientiâ destituuntur. Simile quid de Peccatoribus affirmare licet: hi enim inprimis magnâ sui æstimatione tument, & quia sibi quisque persuadet, se esse *aliquem magnum*, in animum inducit, Deum non posse non magnam ipsius habere rationem, adeò ut ne beato illius consortio in cælo carere debeat, & gloriæ suæ incrementa, & Sanctissimarum legum suarum observantiam pensi habere non debeat. O *præsumptio nequissima, unde creata es!* Auditores Amantissimi, si Deus nos æterno rogo addixerit, tam nullam inde patietur jacturam, ut potius ex ipso nostro exitio sempiterno Beati illum Cælites per omne deinceps ævum sint glorificaturi. *Salus & Gloria, & Virtus DEO nostro, quia vera & justa judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna.* Præterea Peccatoribus, haud aliter ac Juvenibus parùm expertis, deest notitia rerum spectantium ad DEUM; unde stultissimè sperant consequi finem, etsi illi consequendo medijs non utantur: quin id agunt, ut recto ad Infernum itinere profecti, non dubitent tamen se beatam patriam intraturos; haud aliter ac si tum, cùm in extremâ, quâ rectâ deorsum in stygem ruitur, crepidine steterint, capto repentè impetu, evolaturi sint ad cælum, sorte non dissimili felicissimæ illius lusciniæ, quæ subito volatu fauces Draconis jamjam deglutientis elusit.

1. 2. q 10. a. 6.

Act. 8. 9

Eccli. 37 3.

Apoc. 19. 3.

XI. Nullo igitur non tempore miris laudibus Dei miserationes extollunt; nec tamen intelligunt miseri, quid dicant. Si Naufragus quispiam procul à litore ita secum ratiocinaretur. Vastum est mare: Abyssus est, cujus fundum attingere non possum: tam latè se porrigit, ut littus nulla ex parte prospiciam: non est proinde, cur ego natando, & brachiorum scilicet operâ, evadere laborem: etiam otiosum & inertem me maris unde portabunt, sicut vastissimas onerarias naves sustinent; atque ita in portum me deducent. Qui sic argumentaretur: an non suam mox ipse stultitiam lueret, maris undis absque remedij spe absorptus? Nec tamen aliter Peccatores disputant: & eâ causâ delira illorum insania spei tam malè fundatæ causa est. Miserationes Dei multæ, & magnæ sunt, imò Maximæ, quis nescit? Abyssus sunt, ad cujus fundum non modò hactenus pertigerit nemo, sed ne pertingere quidem possit, cùm omni careat: Mare est nullo circumscriptum litore, immensum, quaquaversum porrectum; verissima sunt hæc omnia: sed quid hinc consequens est?

S. Thom. 2. q. 4. ar. 3.

est? si manuum pedúmque nisu non contenderitis, ut enatetis; si Deo excitanti vocantíque non responderitis, adjuvanti ejus Gratiæ operam vestram conjungendo, actum est de vobis, mergemini sine ulla evadendi spe; adjuvare vult Deus, sicut Mare natantes adjuvat, solus agere omnia non vult: *Dei quippe est adjuvare.* Vult nos experiri benignitatis suæ effecta, non arbitrio vestro & cæcâ voluntate, sed juxta Sapientiæ suæ decreta; Solis instar, qui etsi & pellere tenebras, & vigorem vitámque largiri unicè optet, non tamen idcirco radios suos rectissimos unquam vobis solis collustrandis vult obliquare, aut latum unguem ab Eclipsium lineâ & semitâ arctissimâ exerrare. Vos amoris proprij fascino excæcati, magis semper in animum inducitis, quòd Deus, etsi peccandi finem faciatis nullum, non parùm tamen difficultatis in eo experturus sit, si æternis vos addicere rogis vellet: cùm tamen ne illam quidem experiatur, quam chirurgus, dum gangrænam, contra omnia ad eam diem suaviora remedia contumacem igni persanare studet. Si Sacer Orator vociferatur: Vitam emendate, ô Peccatores, si æternùm perire non vultis; vos tacitè vobiscum mussitatis: prô hominem exoticum! Itane exoticum? an exoticum est dicere, cadaver non diu pòst tumulo esse inferendum? peccatũ mors est, Infernus sepulchrum Animarum, peccati assuetudine cadaveri similiũ, & idcirco haud paulò admirabilius est, aliquem mox atque noxam gravem contraxerit, non statim in orcum præcipitem agi, quàm cadaver, quod fœtore suo terras aurámque inficit, non confestim ad tumulum abripi.

XII. Perpendite igitur, verène cœci in Spe sua sint Impij? Pollicentur sibi tempus, pollicentur sibi Gratiam, pollicentur arbitrij sui cum Gratia operationem; tribus his vitreis basibus salutis suæ machinam in ædificando, quæ tamen nemini non magnæ omnino molis est opus. Primò enim perquam facilè accidere potest, ut tempus resipiscendi aliàs non suppetat, cùm Peccator eo abusus tempore, quod benignè concessum fuerat, dignus non sit, ut aliud accipiat: sicut artifex, qui instrumentis suis ad monetam adulterandam abusus, legum decreto ijs ipsis privandus est: *Juravit per viventem in secula seculorum, quia tempus non erit amplius.* Et en primam basin solo æquatam. Etsi autem tempus nos deesset, facile est, ut cum tempore non adsit gratia, itáque eis contingat, quod Arci, quæ cùm diutius, quàm belli leges ferant, obsidentium vim elusit, militum subinde avaritiæ & furori permittitur. *Non relinquent in te lapidem, eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Sic nec altera jam basis subsistit. Quin etsi Gratia non negetur, pronum est eos excitanti non respondere, nec operam suam jungere, illâ vi præpeditos, quam animo inferunt assuetudines pravæ, & animus erga ipsam gratiam ingratissimus totles opere comprobatus: neque enim novum est, campos steriles roris decidui beneficio tam non emollescere, ut etiam indurescant magis, perinde ac si con-

Apoc. 10. 6.

Luc. 19. 44.

tendere cum cælo vellent, plúsne istud possit ad expugnandam, an vero illi ad retinendam obstinatam duritiem. *Induraverunt cervices suas, quasi per contentionem.* Cunctis his discriminibus exposita est Impiorum Spes; ipsa interim tam est cœca, ut ne unum quidem videat. Repeto igitur, *O præsumptio nequissima, unde creata es!* O Monstrosa præfidentia, quanam tu ex palude emersa mortalium te cõsortio miscuisti? cujus maleficio aspexisti lucem? quis excepit? quis aluit? En partûs tam monstrosi causas: Cordis superbia mater ejus fuit; nutrix Ignorantia.

Ps. 9. 16

XIII. Hoc mirum profectò non est, Peccatores, ubi de Anima agitur, sine ullo metu agere. Et tamen vel unum hoc satis foret ad Spem illorum damnandam in oculis Dei, tanquam abominabilem, *Spes illorum abominatio Animæ.* Sed quia res ista momenti est longè maximi, non ita curtim prætereunda est. Tres igitur Timores distinguere oportet. Primus eorum est, qui præter culpam timent nihil: hic autem Timor filialis dicitur: & est Timor ille, qui Sanctissimorum quorumque animos occupavit, & ne in cælo quidē amittitur. Observant Astronomi, Stellas fixas certo quodam motu agitari, quem ipsi trepidationis indigitavere. Beati igitur Cælites, etsi metu illo non trepident, qui ex periculo amittendi iterum summi Boni nascitur, cùm Stellarum instar fixarum ex suo Beatitatis Firmamento dimoveri aut divelli nulla jam ratione possint; non tamen carent, S. Thomæ sententiâ, timore quodam reverentiali erga Supremam illam Majestatem. *Columnæ Cæli contremiscunt, & pavent ad nutum:* Cùm Caritas tam non expellat animo istum Timorem, ut potiùs illum secum intrò ferat. Alter Timor Peccatorum omnino proprius est: & est ille, quo non timetur, nisi sola pœna, vocatúrque Timor servilis. Hic autem, si S. Augustino credimus, bonum habentem non probat: *Quid enim est pœnam timere? nam & latro timet malum, & ubi non potest, non facit, & tamen latro est.* Etiam fur, qui Circitorum noctu globum obvium repentè habet, terretur, pedem refert, & rem alienam, quam jamjam prehenderat, excidere sibi patitur. Nec tamen fur esse desinit, quamvis tum non furetur: nec enim furari, sed laqueum timet, qui deprehensum manet. Tertius Timor ex utroque isto mistus est; quo nimirum & culpa timetur, & pœna, unde *initialis* dictus est, propterea quòd perfecti timoris principium sit. Hic igitur proprius Spei timor est, quæ cùm nihil desideret vehementius, quàm Deum, finem suum, possidere, metuit tamen, ne tanti boni possessione non beetur, memor divini tam in judicando, quàm puniendo rigoris: *Terribilis in consiliis super filios hominum.* Hinc non aliud priùs in schola, in qua divinam Sapientiam Spiritus Sanctus docet, discitur, quàm timere. *Initium Sapientiæ timor Domini*: Animam autem sic timentem tot locis Deus ipse Beatam appellat: *Beatus homo, qui semper est pavidus. Beatus*

Job. 26. 11.

S. Thom. 2. 2. q. 19. ar. 2.

Ps. 65. 5.

Prov. 14.

Psal. 111. 1. *tus vir, qui timet Dominum. Beati omnes, qui timent Dominum.* Psal. 127. 1. *Beatus, cui donatum est habere timorem Domini.* Eccl. 25. 25. Ut enim, cùm Regij corporis custodes adventant, argumento non dubio est, ipsum paulò post Regem adfuturum, sic ubi sanctus hic timor locum in alicujus animo occupat, argumento id est, adesse Spem; nec diu post ipsam quoque Caritatem, regio suo curru invectam, adfuturam. *Aug. tr. 9. in Ep. Io.* *intrat timor primò, per quem venit Caritas.*

XIV. Quid igitur attinet, Impios Spes suas inconsultas & ineptas jactare? eo ipso quòd peccatum porrò non metuant, non jam Spes hæc, sed insana temeritas est. *Insolentis est naturæ sine timore gaudere*: ut S. Hilarius affirmat. Et verò temeritas ista non tantùm pugnat cum Gratia præsente, sed venturæ etiam obicem ponit. *Eccli. 1. 28. Qui sine timore est, non poterit justificari.* Qui post peccatum animo fovet Spem, timoris omnis expertem, tam non est Justus, ut ne Justitiam quidem consequi possit, eo res suas loco constituendo, quò summè arduum sit, vitam in melius mutare; *non poterit justificari.* Hæc autem ejus rei ratio est; quisquis assuescit peccatum non timere, illúdque nulla religione animo circumferre, vulneris instar, quod una pectoris tunsione sub Paschales ferias ita persanetur, ut ne cicatricem quidem post se relinquat: quisquis inquam ad hoc se assuefacit, paulatim ita occalescit, ut sensum doloris de offensa DEI, tanquam malo malorum maximo, omnem amittat: unde nec illo momento, quo hinc migrandum est, aliter timet, quàm Lupus, qui non furtum, sed laqueum tantùm ovili prætensum metuit. Si quo autem casu Peccator tam præfidens ope Confessionis rite peractæ noxarum veniam obtineret, certissimum vobis sit, diu in eo gratiæ statu non perseveraturum, nisi timere occipiat. Non alio indicio certiùs dignoscitur, an Olivæ recèns transplantatæ nova in statione radices agant, quàm si ramos illæ demittant, foliorum ornatu abjecto: id enim argumento est, totam vim in radicibus esse occupatam. Novæ istæ Peccatorum, è peccati deserto avulsæ, & in amænissima ac felicissima Gratiæ viridaria translatæ plantæ, si nimiâ foliorum pompâ virescant atque luxurient, spe inquam superbâ magis, quàm solidâ, haudquaquam fidendum iis esset; nec enim diu felici illa in terra adolescerēt, sed silvestrem mox suam naturam & indolem denuo induerent. *Signum reviviscendi, si folia amisere, alioquin, quæ putes prævaluisse, emoriuntur.* *Plin. l. 17. c. 24.*

XV. Non tamen oportet Timorem eousque invalescere, ut Spem ipsam opprimat, atque suffocet: Quem enim metus tam atrox teneret, is animam tanquam Inferni depositum circumferret. *Desperare, in Infernum descendere est*: ut S. Isidorus loquitur. Ejusce sortis Peccator dici posset, si in fornacem immissus nondum est, palæ tamen jam esse impositus, & propediē immittendus: neque verò hunc ego expertem Spei timorem inculco audientibus; sed suadeo, ut timeant sperando; ut sic Spes Salutis eos in semitam denuo reducat. Sic tamen, ut differebam, differendum est; quia vulgo Peccatoribus plus affert detrimenti, quòd nimis mul-

lib. 2. de Summo Bono. c. 14.

multum, quàm quòd nimis parum sperent: idémque ipsis in Animæ plagis accidit, quod in plagis corporis; quas etsi intumescere malum est, haud paulo tamen periculosius est, non intumescere. *Nimis intumescere vulnus, periculosum; nihil intumescere, periculosissimum.* Optarem igitur, medium vos callem tenere, ubi de Anima agitur, *in medio semitarum judicij*, & neque ad desperationem, neque ad temeritatem declinate; sic, ut spei longè plurimum reponatis in Deo, salutémque ab eo consequi non dubitetis, nullo tamen non actionum & operum piorum genere idem salutis negotium promovendo; quæ quidem velut aliqua Spei vestis sunt, quæ ut vitali corporum nostrorum calore incalescit; ita vicissim ipsa calorem eundem fovet & auget. Bona, quæ agitis, augebunt Spem, & Spes, quam concipitis, novas identidem vires ad rectè agendum subministrabit; & quia sat scio, non ideo vos sic stabiliendos in gratia, ut eâ porrò excidere non possitis, illud observate, quod Sanctus Gregorius sapienter docet: Sperate in Dei miserationibus peccato jam admisso; priùs autem, quàm illud admittatis, Justitiam formidate. Ut enim vinum Antidotum Cicutæ est, si istâ jam sumptâ bibatur, venenum autem, si cum ipsa potetur; sic Spes Miserationum medebitur culpæ jam admissæ, ne quis ruat in exitium; exitii autem causa erit, si ipsam comitetur culpam, persuadendo sibi, nullâ illam pœnâ vindicandam.

Celsi. l. 1. c. 6. n. 26.

Prov. 8. 29.

XVI. Atque hæc prima labes est, quâ Animam inficit Spes cæca, malè consulta, superba Peccatorum, quando eò inducit, ut tam perversè speretur in negotijs Animæ. Pergamus modò ad alteram labem considerandam, quâ inficit Animam, cùm facit, ut non satis confidatur Deo, in iis, quæ ad Corpus pertinent. Haud pauci Christianorum è numero videntur cum Assyriis illis existimare, DEUM nostrum, Montium duntaxat, non autem Deum vallium esse. *Dixerunt Syri: Deus montium est Dominus; & non est Deus vallium.* Videntur & ipsi, Deum tantùm agnoscere Dominum & Dispensatorem bonorum Gratiæ, quæ sunt illa sublimia; non autem bonorum Naturæ quæ sunt humilia: unde hæc nec ejus à manibus obtinere curant, nec cum fiducia consequi expectant. Sed non ita res se habet: *Tuum Domine Regnum, tua divitiæ, tua est gloria, tua sunt omnia.* Ex quo Deus condidit universa, ne unius quidem alicujus dominio se vel dieculæ spatio exuit: cuncta planè ipsi subjecta sunt. Illud negari non potest; nunc illum in Gratiæ, quam vivimus, lege, differtè promittere bona alterius vitæ mansura, nec brevium istorum ac caducorum meminisse, nisi tanquam auctarii: sicut è diverso in Lege veteri humana tantùm ista, & temporis bona differtè promittebantur; nullâ æternorum factâ mentione. Sed nihil refert: omnia tamen ejus manibus dispensantur, nec quidquam alio largiente accipimus; id, quod probè noverat sancta illa Anima, illud suaviter ingeminans: *Leva ejus sub capite meo, & dextera illius amplec-*

4. Reg. 20. 28.

1. Par. 29. 11.

Abul. Deut. fol. 56.

Ps. 6.

In Ps. 144.

plexabitur me. Sic enim, S. Augustino teste, Deus nos dextrâ amplectitur, mercedem bonorum æternorum promittendo, ut simul sinistrâ nos attollat, ea subministrando, quæ corpori servando sunt necessaria. Et quamquam deserti nonnunquam ab eo videmur & derelicti, dum gravis sub ærumnæ onere gemere sinimur, id ipsum tamen singulari quadam arte fit. Qui apes curat, aufert quidem ipsis mel redundans, ne otio torpescant: illud tamen, quo indigent, non tollit, ne miserè fame emori cogantur. *Non vidi justum derelictum*, sic David artificium id observans, cecinit: *nec semen ejus quærens panem.*

In Ps. 144.

Ps. 6. 25.

XVII. Hac jam parte, parum abest, quin dicam, multos Christianos non plus in DEO suo Spei ac fiduciæ reponere, quàm reponant Idololatræ; tam, cùm rerum istarum premuntur penuriâ, ratò ad eum confugiunt, tam parùm sperant. Spes suas terræ committunt, à qua expectant messem; committunt mari, à quo expectant merces; committunt mercaturæ socijs, à quibus lucri partem repetunt; DEO autem non committunt, illud causati, quòd is non velit causâ ipsorum mira operari. Quæ mira? quæ, quæso, mira ac prodigia? Prodigia speraret, qui parte suâ iis nollet uti mediis, quæ suavis DEI imperat Providentia, ut vitam servet, sed totam curam uni DEO relinqueret. Sed qui nihil à se desiderari passus est eorum, quæ officij ratio ab eo postulabat, non potest dici expectare prodigia. Prodigium insolens non est, tunc Deum opportunè succurrere, sed hoc ex iis est, quæ lege ordinariâ fiunt, confirmatâ certissimis Sacrarum Literarum pollicitationibus, & multiplici omnium seculorum experientiâ comprobatâ. Alteriúsne, quàm Christi, illa verba sunt? *Nolite solliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Sed quid hæc ille verbis prohibere voluit? an illam curam & solicitudinem, quæ abesse non potest in studio curandi necessaria ad victum vestitúmque? minimè id quidem, si rectè S. Thomas docuit: prohibuit solicitudinem de successu. Si enim Pater ille cælestis ne Lilia quidem, quæ nihil operæ impendunt, ut suis in pratis vestiantur, & nutriantur, amabilissimæ suæ Providentiæ effectis carere patitur, quanto minùs illam deesse patietur iis, qui tamen de suo conferunt modicum illud, quod in eorum est potestate, nec inerti otio torpent? Hâc causâ non dixit Christus: *Nolite laborare*: dixit *Nolite solliciti esse*, & de quo? *de eventu laboris*: neque enim Deus partibus suis unquam deest, si nos nostris non desumus. An autem mali originem perspectam habetis? ea est, quòd nos prospectum nobis cuperemus non mensurâ veræ necessitatis & indigentiæ, sed mensurâ, respondente aviditati nostræ & cupiditati nunquam explebili: hinc nihil est, quod sufficiat Frigus illud, quod aliunde & solitis à causis ingruit, non multis vestibus facilè arcemus: at frigori febrili pellendo ne totus quidem vestiarij locupletissimi apparatus sufficiet.

Matth. 6. 31.

XVIII. De illis postea quid dicemus, qui in iis, quæ vitæ & corpori tuendo necessaria sunt, tam non fidunt Deo, ut in ipso potiùs peccato spes suas reponant? Palmaris hic error mundo coævus est. Mendacissima illa pollicitatio, quâ malè cautis primis Progenitoribus nostris malus Dæmon imposuit, quòd futuri essent sicut Dij, re ipsa aliud addicebat nihil, quàm quòd suis ipsi viribus beati reddi possent, quin Deus aliquid ad rem conferret, & quin eorum, quæ ipse jusserat, vel vetuerat, ulla ratio haberetur. Atque hoc, quod mendacii illo promisso delusus Adamus tum sibi tribuit, hodie quoque major Peccatorum, ab eo prognatorum, pars sibi vindicare studet. Arrogant isti sibi, quòd pinguiorem ad fortunam evehi, & meliore omnia loco reponere possint non solùm sine Deo, sed etiam Deo invito ac repugnante. Hac execrabili è fæce plus quàm certò illi Mercatores sunt, qui mendaciis, dolis, & iteratis non semel perjurijs lucra sua rectissimè se promovere arbitrantur. Ex hac sunt Litigantes illi, qui alios ad pejerandum suâ causâ inducunt. Ex hoc Notarij illi, qui muneribus corrupti syngraphas aut celant, aut perfidè immutant. Ex hoc Sicarij, qui modici argenti gratiâ cædes nefandas perpetrant. Ex hac illi Proxenetæ, quos avaritia ad promovendos contractus omni jure vetitos impellit. Ex hac illi tam sordidi heri, qui diebus etiam feriatis & divino cultui dicatis labores domesticis servis imperant, ne panem non lucrentur. Ex hac stulti illi Parentes, qui ut familiam pingui aliquo Ecclesiæ Beneficio locupletent, filios suos indignos, aut ineptos, Clerici habitu induunt, qui in sago rectiùs militarent. Ex hac Matres illæ, quæ ut filiabus maritos inveniant, manifestis eas periculis exponunt, in pudicitiæ prædones incidendi, dum ejus custodes quærunt. Ex hoc Puellæ illæ, quæ etsi non ignorent, quàm non probentur Deo familiaritates, quas contraxerunt, eas tamen excusant ut necessarias, propterea quòd, si amantes inhumanæ fastidiant, pudicæ quidem, sed sine consorte victuræ sint. Omnes isti, & plurimi alij quos enumerare longum foret, Spem suam in peccato ponunt, nec advertunt miseri, quod eo ipso, quòd in peccato eam reponant, reponant hoc ipso in mendacio. *Posuimus mendacium spem nostram.* Et prô, quo in mendacio! mendaciũ hoc est, quod non in errorẽ tantùm inducat, sed plurimum etiam afferat detrimenti, unde est mendaciũ longè pernitiosissimum. Luna nostris oculis nunquam se fulgentiorem offert, quàm cùm Soli è diametro opponitur. Peccatores, ut Lunam in stultitia perpetuæ suæ instabilitatis imitantur, sic eam quoque referre sibi debere videntur in ratione lucrorum suorũ procurandorum; sic ut nunquã commoda sua promoveant utiliùs, quàm quandò à Deo recedunt longiùs, & quando ab hoc divino Sole, eum contemptim negligendo, absunt remotiùs. Sed ô quàm hi tales sibi ipsis imponunt! experiuntur subinde, quod Propheta indicavit: *Expectavimus lucem, & ecce tenebræ.* Pro stultè sperato lucis

lucis incremento, domus eorum manent plenæ tenebris, ærumnis, & perturbationibus. Negotia non procedunt; lucra inverruntur: causis caditur, fraudes reteguntur, filia maritum non invenit: verbo, sic contra spem geruntur & cedunt omnia, ut aureum impiæ, quam somniaverant, felicitatis caput impedes denique luteos desinat. Aut non obtinentur lucra, quibus inhiabatur perfidè; aut si obtinentur, mox alio migrant ex familia. *Tabernaculum impiorum non subsistet.* Natam subinde prolem mole carnea sine ossibus, non nescio; nullam tamen scio, quæ sine ossibus diu, postquam nata erat, supervixerit. Sic etiam in cunis suffocatur eorum fastus, qui DEI leges pessundare conantur. Fœtus sunt sine ossibus, non tam partus, quàm abortus. *Elevati sunt ad modicum, & non subsistent.*

Iob. 24. 8.

Iob. 24. 24.

XIX. Sed ista veritas tanti momenti est, ut operæ pretium sit de ea agere Dissertatione integra, illíque unidicata; quam jam nunc deliberatum habeo suo tempore instituere, cùm palàm omnibus faciam; Peccato tam neminem unquam felicem reddi, ut etiam hujus vitæ calamitatibus subjiciatur ac miseriis. Interea quid vobis dicam? ut scilicet in rem intenti memineritis, quòd spem in peccato reponere earum injuriarum è numero sit, quâ vix graviore lacessi Deus possit. *Nolite sperare in iniquitate.* Et tamen, quod fidem superat; non desunt, qui eò usque eam reponant, ut non dubitent mutuis sepactis obligare cum Peccatore, ut primo, sic omnium deterrimo. Sed hi scilicet è Christi cultoribus non erunt. Sunt enim verò hoc ipso è numero. Saltem Catholico nomine non censebuntur. Censentur & isto. Ita tamen, fateor, Christiani sunt ac Catholici, ut hæc tam honorifica nomenclatura ad id unum ipsis deserviat, ut vel Ethnicis deteriores haberi mereantur. Sunt autem hujus furfuris, qui vel ut ludo vincant, vel ut quem optant Sponsum, Sponsámve sortiantur, ut arcanum aliquod reciant, ut cunctorum suorum hostium tela eludant, quocunque in congressu & pugna, aut alium in finem sibi lucrosum, non verentur stygiis illis artibus uti, quas Superstitiones dicimus. Schedismata peregrinis characteribus exarata, precandi formulæ mendacissimis promissis refertæ, ceræ tribus consuetis sacratæ, cruces, chrismata, Sanctorum Lipsana, res aliæ sacræ profanis permistæ, cuncta hæc ab iis re ipsa confertim usurpantur. Verum quidem est, quòd dum verbis profanis, & alijs adjunctis magis etiam ridiculis, adjungunt ritus ac cæremonias quasdam pias, videantur Deum religioso cultu velle venerari. Sed quando unquam irreverentiùs eam habent, quàm quando illum tam religiosè se colere fingunt? Cùm enim utantur medijs, quæ vim planè nullam habent ad producenda opera, quæ ipsi moliuntur, qualia sunt, vincere, sui amore accendere, divinare, armis omnibus ac telis impenetrabilem reddi, superest, ut adhibeantur non ut talium operum causæ,

Sanchez in sum. l. 2. c. 40.

Ps. 6. 11.

sed ut signa, quibus positis ex pacto mali Dæmones virtute sibi propria effecta illa producat; quâ ratione Impij nefarijs his Spiritibus divinum aliquem honorem tribuunt, dum ab illis expectant auxilium, quod præterquam à solo Deo peti & expectari nulla ratione deberet. Nec jam quidquam ad elevandum hoc scelus facit, quod ajunt; his schediasmatis ac formulis pia quædam ac religiosa admixta esse; ut enim omnia hæc in mala ac sacrilega degenerent, satis est, impium quiddam iis esse admixtum. Ne viperæ quidem partes omnes veneno turgent: sufficit tamen, quod in faucibus illa gerit venenum ad certam necem inferendam. Pollicitationes illæ, in ludo perpetuò vincendi, animum amatæ puellæ amore mutuo accendendi, authorem furti inveniendi, omne telorum genus sine ullo vulnere certò eludendi, vires omnes naturæ superant; quin & illas, quas à Deo præter naturæ ordinē operante sperare liceat; cùm Deus nunquā bonum ullum caducū & breve, sanctè & citra ullā exceptionem adpromiserit: ac proinde, ut antè dicebam, cuncta hæc effecta sperari non possunt, nisi à mali Dæmonis manibus, cui non ratò id potestatis Deus permittit; etsi nonnisi eorum malo ac pœnâ, qui suam in illo spem reponunt. Et non sufficiat unum hoc ad terrorem miseris his incutiendum, nôsse, quòd ipsi cum juratogeneris humani totius hoste pace fruantur? Sed quid pacem dixi? quòd ipsi mutuis conventionibus, & commercio jungantur; dum pactis si non disertis explicitisque, tacitis saltem, cum hoste hoc stygio ipsis tam bellè convenit in graviſſimis quibusque negotiis, contra præceptum non dispensabile ab Apostolo promulgatum: *Nolo vos socios fieri Dæmoniorū.* 1. Cor. 10. 20. Dubium non est, quin istud sufficiat ad eos juratos Dei hostes constituendos. *Inimicus meus, qui versatur cum inimicis meis:* Ita Leges supponunt. Sed juvat raro quodam eventu narrando vobis ob oculos ponere, quid demum sperare jure possint, qui opem à malo Dæmone efflagitant.

S. Th. 2, 2, q. 92. a. 1. & q. 97. ar. 4.

XX. Non multis abhinc annis degebat Romæ Juvenis eorum è numero, quibus Anima pro sale quodammodo est, ne antequam tumulo infe rantur, marcescāt; ceterâ inutilis ac neglecta. Decoxerat hic jam totum, & opimum quidem patrimonium; unde cùm jam nulla esset illius metalli copia, quo efferenes suas libidines ad eam diem aluerat, statuerat illud non in terræ tantùm visceribus, sed intimis ejus & orcinis recessibus quæ ere. Cùm proinde ex ejusdem secum farinæ sociis intellexisset, in ijs, quas ipse incolebat ædibus magnas longo jam à tempore opes, & auri vim ingentem defossam latere; doceri voluit verba quædā & formulas magicas, quibus malum Dæmonem Orco evocaret, & ad thesaurum illum sibi tradendum adigeret. Verè miser, ut qui nesciret, Dæmonem carminibus illis excitum alium thesaurum non habere, quàm quem dare ipse paratus erat, dum Animam stygio illi prædoni offerebat! Adhibitis igitur, quæ didi-

Ioan. Nicius Ex 14

didicerat, carminibus evocare Dæmonem cœpit, sed quia nondum scelerum suorum mensuram Juvenis impleverat, non permisit Deus, ut confestim aspectabilem se illi hostis sisteret. Cùm tamen insanus à cœptis execrandis non desisteret, Orcus tandem pulsatas toties fores aperuit. Concubiâ enim nocte, dum his maximè cogitationibus animum suum Juvenis in strato suo occupat, strepitum quendam ac fragorē ad cubiculi sui fores audit: &, quis inquit, tam intempestivè mihi obstrepit? Ille est, respondit quærenti Dæmon, quem vocâsti toties: pande fores, & sequere me, adsum enim tandem vota tua expleturus. Coherruit initio Juvenis; subinde tamen Spe timorem subigens è strato se proripit, & ensem manu una complexus, alterâ Deiparæ iconem è collo suspendens, ut eam, quod non pauci alij etiam sibi promittunt, non peccatorum solùm haberet Advocatam, sed in scelere ipso sociam & Patronam, ad cubiculi fores progreditur, aperit, & umbram videt aspectu horrifico, quæ ad subterraneam ædium cellam tendebat: instituit præeuntis vestigijs Juvenis, & ad locum pervenit: hîc non magno inquærendo labore cumulus auri, argenti, margaritarum, pyroporum, adamantum, & gemmarum omnis generis inventus est. Quid autem existimatis tam secundo eventu fecisse Juvenem? exiliisse præ gaudio, & tripudiâsse? omnes mox sinus optatâ prædâ cœpisse implere? Nihil minùs. Tam funestus enim horror per omnes venas iit, stupor invasit tam insolitus, ut ne voluntas quidem incesseret porrectâ dexterâ vel teruntium tollendi: sic ut tenui illo anhelitu, qui supererat, collecto vix ad lectum rediret; in quo non nisi triduo superstes, cùm à consternatione colligere animum non posset, funus fuit: sic ipsâ suâ experientiâ magistrâ doctus, non alias sub terra fodinas spiritu tam pestilente inficere, quàm Tartareas.

XXI. At vos reponetis: etsi superstitiosi ejusmodi ritus ac carmina nihil conferant ad latentes ejusmodi thesauros retegēdos, non inutiles tamē esse ad thesaurum thesauris omnibus cārioremē, corporis nimirum sanitatem servandam, & mille ab eo mala non ignota avertuncanda. Heu Sanitatem omni peste nocentiorem! Ego quidem millies cum Deo præmori mallem, quàm cum Dæmone supervivere. Ita est; finit subinde Deus, ut juvare aliquem dæmon possit ad bonum aliquod caducum obtinendum, qui ejus opem implorat: sed hoc ipsum profectò ingens supplicij genus est, permittere ut serpentem varia ac maculosa pelle sinu quis foveas, qui subinde securè & suaviter dormientes morsu enecet: & verò ipse malus Dæmon, ut animam alicujus sibi vindicet, sicut nullū aliud ministeriorum etiam abjectissimorum genus refugit, fabri, famuli, agasonis, quin & jumenti, sic nec Medici officio, tam honorato, fungi recusabit. Sed an tam malè providi estis, ut non advertatis, inimici munera, proditionis esse instrumenta? Ita versutus ille capi se finit, sicut Torpedo, ut capiat capientem se; & tantillū illud boni confert, ut æternùm

nùm deindè vobis faciat malè. *Porrigit pomum, & surripit Paradisum*: quæ sunt ejus jam inde à Mundi exordio artes. Plaudit ipse sibi, quòd non nemo, ut sanitatem non jam ipse, non filius, sed equus recuperet, illi se tradat mancipium, qui tamen ritu tam solenni in sacro lavacro ipsum ejurârat, quique Fidei beneficio acceperat à Deo potestatem stygium hunc Draconem cum omni sua detestabili appendice conculcandi. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & supra omnem virtutem Inimici.* Accedit & illud, quòd ita sanitatem reddat Dæmon ut illud Medicorum genus solet, quos Empyricos dicunt, qui pharmacis suis extimis à membris ima in viscera, tanquam centrum, mali vim cogunt; unde subinde nocentiùs pestem in membra omnia diffundat. Nunc equi, aut alterius jumenti vestri non difficilem morbum sanat; paulò pòst illud ipsum in fossam aliquam præceps aget. Filiolum modò incolumen præstat; mox ad dignam propope ab eo postulata mercedem reddendam, faciet ut ardentem in focum pronus ruat. Si peccatum omnis mali in Mundum hunc illati causa fuit, Dæmon verò ejus occasio, quæ tandem prudentia est, cupere deinde, ut junctum Dæmoni peccatum boni quidpiam in ædes vestras inferat? Fieri ista non possunt. Audite igitur Ecclesiasticum monentem: *Fili, in infirmitate tua ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te.* Memento, fili, te & cùm condereris è nihilo, multóque magis, cùm in sacro fonte renascereris, Deum Ipsum Patrem fortitum esse. Quomodo igitur eò usque te abjicis, ut dignitatis hujus tuæ oblitus, tuis ab hostibus opem exposcas, tergum Deo Patri tuo obvertas? non quod collo gestas schediasma, non quæ pronuntias verba, sanitatem tibi reddunt; reddit illam Dæmon: Medicus tuus Dæmon est. Et eò tu te demittes, ut commercij cum illo te non pudeat, cujus hæc nunc præcipua dignatio, quòd sit æternus Reproborum Torror ac Carnifex? Hoc est non te tantùm, sed Patrem adeò tuum Cælestem, tanquam invalidum, & nullarum jam virium, contemnere. *Ora Dominum, & ipse curabit te.* Quare si *maledictus homo, qui confidit in homine, & à Domino recedit cor ejus*; judicet, qui vult, an non magis eidem se maledictioni obnoxium reddat, qui DEO deserto, omni sua Spe Orco innititur?

Luc. 10. 20.

Eccli. 38. 8.

Ier. 17. 5.

XXII. Nunc ut tandem, quod res postulat, ad hujus Dissertationis finem accedamus, quid vobis de gemina hac labe videtur, quâ animum Spes Peccatorum inficit, dum facit, ut tam temerè præfidant de DEI ope in ijs, quæ ad Animam spectant; tam nihil illi fidant in iis, quæ ad corpus pertinent, perinde, ac si plus commodi reportaturi sint, si in ipso peccato, quàm si in Deo spem suam collocent? An aliud evidentius signum desideratis, quo illam planè adulterinam agnoscatis? *Spes illorum abominatio est Animæ.* Deinceps incumbet vobis, Dilectissimi, eò enixè, ut Spes vestræ meliorem ad normam accommodentur: hanc Propheta indicat illis verbis: *Spera in*

Iob. 11. 20.

Ps. 36. 3.

Do-

Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris in divitijs ejus. Quot verba, tot arcana. *Spera in Domino.* Cùm Spes vestras collocatis in DEO, illud inprimis altè in animum demittite, niti vos Domino tam potente, ut vobis ille penitus opus non habeat: ac proinde nolite cum insanis illis, vobis persuadere, Montes cælorũ fulcra esse. Quantumcunque magna vestri opinione inflati sitis, quamdiu peccato vitijs obnoxij, non estis nisi purum putum nihil: ac proinde, si carere vobis DEUS potest, etsi Atlantem, aut Abylam altitudine excederetis, quanto minùs illi eritis necessarij, cùm ejus in oculis non sitis plus, quàm arenæ tenuissimum granulum? Quare sperare simul & timere vos velim; sperare in Deo, vosmetipsos timere, & de vobis diffidere: timere inquam pravam vestram voluntatem, ob periculum illud, cui obnoxia est, quantalibet tandẽ Dei gratiâ non rectiùs utendi, quàm Napellus, aliæque herbæ ac plantæ venenatæ utantur rore cælesti. Timete diuturnas assuetudines, & contractas inde propensiones pessimas; timete lapsus toties & tam facilè iteratos, memores, primo peccato unum Dæmonem hospitem admitti, altero autem septenos. Verbo, timete, etiam cùm nulla videtur esse timendi causa. An non videmus, quàm timuerint sanctissimi quique? *Homo sapiens in omnibus metuet*: ut Ecclesiasticus loquitur. Sancti cælesti illâ Sapientiâ quâ pleni sunt, magistrâ, discunt ubique timere, ut sint quàm cautissimi. Quare si Leones ipsi in nemoribus, apertis oculis dormiunt, quomodo miseri Lepusculi, Peccatores, clausis oculis securi & in utramque aurem dormient?

Ier. 17. 5.

Eccli. 18. 27.

XXIII. *Spera in Domino & fac bonitatem.* In magno illo Deo Spem reponite, qui scit, qui vult, & potest omnia, quæ vobis sunt profutura: sed jungite huic Spei rectè factæ, ne sicut Dæmon omnes Hæreticos falsa fide decipit, ita vobis imponat falsâ fiduciâ. *Fac bonitatem.* Et observate non satis esse ad spem bonam ac genuinam bona facere, sed necesse esse ejusmodi efficere opera, quæ ipsos efficientes bonos faciant. Vos acceditis ad rem divinam, adestis ad aram, etiam solenni ritu, facienti; vespertinis precibus cum cantu peragi solitis adstatis, stipe juvatis egenos, à carnibus vos abstinetis, sed interim estis DEI ob admissum peccatum inimici. Hoc est facere bona, sed non est facere, quæ vos faciant bonos. Opus est ante omnia redire cum Deo in gratiam elutis sincera confessione noxis, quæ operibus his omnibus præmittatur, ut non sint instar cadaveris, externa quidem specie operibus bonis similia, sed animâ propriæ bonitatis non animatâ.

Psal. 36. 3.

XXIV. *Spera in Domino & fac bonitatem, & inhabita terram.* Terra hæc Dei Ecclesia est, in qua habitare oportet ut verum Christi asseclam, semper perseverando in Dei gratia & amicitia, non autem per aliquot tantùm proximos Paschæ dies. Id enim nî fiat, non satis scio, an non divino coram Tribunali locum habiturum sit id, quod Lex humana decrevit. *Qui possedit majore*

l. unica ff. utrobique,

jore parte anni, præfertur alteri. Metuo, ne, si Dæmon undecim anni mensibus vobis imperat, Deus autem non nisi unico, Dæmon tandem lucretur causam, & vestræ illi animæ latâ sententiâ adjudicentur.

XXV. *Inhabita terram, & pasceris in divitus ejus.* Discite aliquantum fidem servare Deo, & tum non ambigite, quin vestræ sint omnes cælestis hæreditatis opes atque divitiæ. Si ipsi placuerit, vos hîc inter mortales luctari cum rerum inopia, non est quod lugeatis: erit tempus, cùm fruemini omnibus, quæ ejus sunt, & ille, tanquam filiis morigeris, olim dicet: *Omnia mea tua sunt.* Omnes mei thesauri, omnes opes tuæ sunt, & tuæ erunt per omne deinceps ævum; sine ullo illis excidendi metu. O quæ quantáque est felicitas, res tantas sperare: *Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris in divitiis ejus.* Luc 12.

DISCURSUS V.

De numero Electorum & Reproborum.

Somniant nonnunquam ægri, se linguâ mel lambere; & hoc non infelix omen existimant; sed aliter peritiores Medici pronuntiant, qui cùm non ignorent, gustatam illam in somno dulcedinem inde nasci, quòd corpus phlegmate redundans illud è stomacho & ventre ad palatum usque diffundat, timent, ne naturalis calor frigidi illius humoris abundantiâ penitùs tandem suffocetur & extinguatur. Non dispari ratione Peccatores profundissimo suo lethargo sopiti mel semper dulcissimũ somniant, sic ut eorum lingua nihil celebret & extollat frequentiùs, quàm Dei Miserationes, Spem facilem, salutis negotium in tuto: nec mali id ominis esse existimãt. At rerum & statûs animæ magis gnari, cùm non nesciant præfidentiam ejusmodi, timoris omnis expertem nasci in ægris istis ex animo sceleribus ad labia usque, ut sic dicam, pleno, malè sic somniantibus metuunt, & lethargum quibus possunt artibus excutere laborant, excitando maximè timorem salutarem, qui ipsas adeò ossium medullas penetret: *Sunt impij, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant; sed & hoc vanissimum judico.* Amplector & ego hanc Medicorum Sacrorum sententiam, & curandi methodum: eâque causâ conabor, quoad potero, tam suaviter dormientes ad sanitatem reducere. Proponam quæstionem, momenti tam gravis, ut nulla unquam momenti majoris in ullius Reipublicæ senatu intimo fuerit ventilata; ad lumen Authoritatis & Rationis discutiendo: Majorne sit eorum Christianorum numerus, qui salutem consequuntur, an qui eâ excí- Eccl. 8. 14.

cidunt? Nec dubito, quin si auribus animisque præsentes fueritis, posituri sitis illam præfidentiam, quâ tam multi hodie, minimè utique cauti, laborant; & concepturi sanctum illum Dei Timorem, quem in tam paucis est invenire.

II. Ut gravissima hac in quæstione clarè progrediamur, progrediendum est ordine. Statuendæ igitur initio assertiones duæ, quæ extra controversiam sunt. Prima est, si generatim loquamur, plures omnino è Mortalium numero Reprobos fore quàm Electos, juxta illud apertissimum Christi effatum: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Cùm enim ad salutem necessaria sit vera Fides, consequens omnino est, majorem mortalium numerum perire, ut qui veram Fidem vel non cognoscat, vel cognitam non amplectatur. Altera assertio est, quòd numerum ineundo omnium, qui ad veram Ecclesiam pertinent, tam eorum qui antè, quàm qui post rationis usum moriuntur, plures citra controversiam sint, qui beatitate æterna potiantur, quàm qui ab eâ excludantur. Sæpius enim observatum est, totidem ferè mori sacro fonte ablutos ante discretionis annos, quot majorem ad ætatem supervivunt: unde si illis addantur reliqui omnes Catholici, qui adulti salutem consequuntur, obscurum non est, majorem horum, quàm rel quorum numerum esse: plures proinde necesse est esse Catholicos salvos, quàm damnaros: maximè cùm ad felicem hanc turbam pertineant omnes, Hæreticorum licèt Parentum filii, qui sacris expiati undis, antequam acceptam Gratiam peccando possint amittere, mortui, æternæ & ipsi vitæ ac gloriæ hæredes erunt, pretioso JEsu Christi Sanguine ac meritis comparatæ. Unum igitur hoc discutiendum supereſt: An ex adultis, qui recto arbitrii sui usu salutem operari suam possunt, plures Cælo, an Inferno sint transcribendi, plures Electi, an Reprobi futuri?

I.

III. Si ex illorum genere Medicorum essem, qui quos curandos suscepere ægros, mortuos, quàm mœrore affectos videre malunt, jam nunc digitum ori imponerem: adeò nonnullis in decursu molesta erunt verba mea. Verùm quid tandem ex contumaci hoc silentio sperarem emolumenti? aliud certè nihil, quàm ut sociam Dæmoni operam jungerem, qui, Eusebii sententiâ, certiore ad Animarum perniciem viâ non grassatur quàm si eos sui securas reddat. *Immittit securitatem, ut immittat perditionem.* Illud igitur meminisse vos velim, sanctos Doctores eâ causâ Ecclesiæ datos, ut viam ad Cælum nos doceant. S. Helena Constantini Mater, ut ij, qui Constantinopoli Solymas peregrè ibant, à via non aberrarent, certis per viam intervallis turres satis altas extrui curavit, in quarum culmine accensi nocturnis tenebris ignes, iter agentibus, qua pergendum esset, monstrarent. Idem in Ecclesia sua Deus præstitit, per temporum intervalla grandes quasdam animas, turrium æmulas, constituendo, quæ multa,

Matth. 20. 16. & 22. 14.

quam in iis liberaliter accenderat, luce, ut ardentes faces, aut lampades, cæleſtem ad Solymam contendentibus viam monſtrarent. Hinc conſequens eſt, ea quæ Doctores iſti magno conſenſu tradunt, accipienda eſſe ut veritatem ac doctrinam certiſſimam, quâ ducente pergatur in itinere tam periculoſo, quàm eſt illud, quo ex uno mundo in alterum tranſitur. Jam verò concors eſt Sanctorum iſtorum Patrum ac Doctorum ſententia, plures è Chriſtianis æternùm perire, quàm ſalvi fiant: juxta hanc igitur eorum doctrinam iter noſtrum inſtituendum eſt, ſi prudenter in ſemita pergere, & nobis ipſis imponere non volumus.

IV. Ut à Patribus Græcis ducamus initium, hanc in ſententiam plerique illorum ivere, id quod S. Nilus Abbas apud Baronium teſtatus eſt, pro ea allegans præter S. Simeonem Stylitam, qui divinitus ea de re edoctus creditur, S. Theodorum, S. Baſilium, S. Ephrem, S. Joannem Chryſoſtomum. Atque hic maximè hanc doctrinam tam conſtanter ut veritati conſentaneam tenuit, ut non dubitârit ſuperiore è loco, & ſacro ſuggeſto pronuntiare, ex tota refertiſſima inquilinis Civitate Conſtantinopoli, non credere ſe, centenos ſalvos fore. Et tamen tunc temporis, poſt Romam, Mundi Synopſin, non alia urbs plures quàm Conſtantinopolis, incolas numerabat. Quamquam autem tum Religioſi omnes non urbes & oppida, ſed deſerta ac ſolitudines incolerent, ampliſſimâ tamen illâ & Imperatoriâ in urbe, à fide al ei nulli, ſed Chriſtiani tantùm cenſebantur. Et tamen Paſtor ejus Zelo ardens non ſuo in conclavi ſcribendo, ſed palàm ad concionem tam frequentem declamando, protulit effatum tanto horrore plenum, quale eſt; ex multitudine tam propè innumera vix centum non æternùm damnandos. *Non poſſunt tot millibus inveniri centum, qui ſalventur: quin & de his dubito.* Hom. 24. in act. Apoſt.

V. Græcis Patribus Latini adſtipulantur. S. Gregorius de ſolis Chriſtianis loquens ita pronuntiat. *Ad fidem plures veniunt, ad Regnum cæleſte pauci perducuntur.* En, multi ad fidem, pauci ad ſalutem. Nec aliter ſenſit S. Anſelmus, minimè obſcurum ratus, paucos eſſe, qui ſalutem conſequantur. *Ut videtur, pauci ſunt, qui ſalvantur.* Idem locis pluribus etiam S. Auguſtinus tradidit: ſed eo maximè, quo Parabolam illam Chriſti Servatoris de paleis & tritico exponit: aream enim Eccleſiam eſſe ait; paleas, majorem Chriſtianorum numerum, qui ſalute excidunt: triticum, minorem eorum, qui cælo potiuntur, atque hoc ipſo denique velut epiphonemate diſſertationem claudit: *Pauci ergo qui ſalvantur, in comparatione multorum perirorum.* Sanctus tandem Hieronymus, cùm vivens ſuam de ſalvandorum paucitate ſententiam explicâſſet, tandem ad extrema deductus, quo tempore verum ut meliùs cognoſcitur, ita & liberiùs profertur, Diſcipulis ſuis affirmare non dubitavit: *Vix de centum millibus, quorum mala fuit ſemper vita, meretur à DEO indulgentiam habere unus.* Hom. 19. in Evang. In Elucid. l. 3. cont. Creſcon. c. 66. & l. 4. c. 53. Apud. Euſ. ad Dam.

to 10. an. 976.

VI.

VI. Et ne quis suspicioni superstit locus, ne fortè Doctores isti hyperbolicè locuti sint, notandum illud inprimis, ejusmodi suspicionem omnino fore injustam: si enim pro Concione ea affirmâssent, quæ ipsi non credebant, non tam amplificâsse, quàm mentiri esse censeri deberent. Deinde ut hæc suspicio falsa, & nullo nixa esse fundamento cognoscatur, Patrum doctrinam multiplici Theologorum authoritate affirmabo; horum enim proprium est, verum ad amussim examinare, & omnem in sententia explicanda auxesin vitare. Ex his autem duo non Purpura magis, quàm doctrinâ & pietate in DEUM eminentes, Cajetanus nimirum & Bellarminus, tenent apertè eam sententiam, quæ majorem Reproborum, quàm Electorum multitudinem esse asseverat. Abulensis Episcopus, sui temporis Salomon dictus (tantâ erat & amplitudine & profunditate Sapientiæ) hanc de paucitate Electorum præ Reprobis ait esse *positionem communem, & satis verisimilem.* Id quod nec Suarezius diffiretur, Eximii nomen inter Theologos promeritus: *Communior sententia tenet ex Christianis plures esse Reprobos, quàm Prædestinatos.*

Cajet. in parab. de 10 Virg. Bellarm. de Gemit. Col. l. 1. c. 6.

in c. 22. Matth. q. 69.

de Deo. 6. c. 3. n. 5.

VII. Quamquam autem Authoritas eorum, quos adduximus, summi sit ponderis, non tamen est, nisi humani. Sumamus igitur in manus Sanctuarii libram, & illo nostræ assertionis veritatem libremus. Videamus, inquam, quid de illa Deus in Sacris Literis pronuntiet. Sacrarum igitur Paginarum idjomate idem sonat *Prædestinati* quod *pauci. Domine à paucis de terra divide illos.* Et idem sonat *Reprobi*, quod *multi. Inter multos erant mecum.* Si autem lubet ad figuras mentem reflectere, tempus Legis naturæ, & tempus Legis scriptæ tanquam præludia fuerunt, & umbræ Legis Gratiæ: unde habeat observare, quâ ratione Deus nobis repræsentârit in utrâque Lege hanc maximi momenti veritatem. Naturæ in Lege, omni mortalium genere undis ultricibus suffocato, non nisi octo Animæ exitio ereptæ sunt, & Noëtica in arca servatæ. Si autem S. Petro, id sua in epistola affirmanti credimus, Arca Ecclesiæ symbolum fuit, in qua sacri lavacri ope non multi servantur, quia pauci sunt illi, ut Sanctus Augustinus asserit, qui re ipsa nuntium omnibus remittant, quæ, dum tingerentur, abjurârunt. *Qui seculo solis verbis, non factis renuntiant, non pertinent ad hujus Arcæ mysterium, in quibus non est conscientiæ bonæ interrogatio.* Altera, in lege scripta, legis Gratiæ figura, aut umbra fuit, illa Hebræorum ex Ægypto emigratio: etsi enim bis millena hominum millia Ægypti ollas deseruerint, non nisi duo tamen terram promissam attigerunt. *Hæc autem*, ut Apostolus monet, *in figura facta sunt nostri.* Quem in locum S. Augustinus planè attonitus ita commentatur: *Non transitoriè*, inquit, *non negligenter, sed cum ingenti timore considerandum est. Hoc ergo*, pergit idē S. Doctor, *audiant, qui ita Dominum misericordem volunt, ut justum esse non credant.*

Maldon. in 22. Matth. Fasol. tom 2. in 1 p q. 23. art. 7. Ruiz de Prædest. disp. 54. sect. 1. A paucis Chaldæus legit ab Eliu.

Inter multos. v. Aug. gust. in Ps. 54.

Recep. de Signis. tr. 2. c. 3.

Serm. 101. de Tempor.

VIII. Sed non est necesse recurrere ad sensum allegoricum, ubi literalis tam apertè rem ob oculos ponit: Sanctus Paulus Prædestinatos cum iis comparat, qui olim in ludis, quibus cursu, luctâ, pugnâ certabatur, coronam, victoriæ lignum, reportabant: *Hi qui in* 1. Cor. 1. 10. *stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* Quibus verbis tria indicatur, ut S. Thomas observavit, *In primo* (verba sunt Angelici) in 1. Cor. 10. lect. 5. *notatur conditio Viatorum; in secundo multitudo vocatorum; in tertio paucitas Electorum.* Quamquam hanc momenti tam gravis sententiam non decebat ab alio proferri manifestiùs, quàm à Christo Mundi Luce: *Ego sum lux Mundi.* In hujus autem divino ore ac lingua non aliud ferè effatum versabatur frequentiùs, quàm illud: *Multi sunt vocati, pauci verò electi:* quod est epiphonema, quo ipse geminas plus quàm cælestes suas parabolas clausit. Est autem effatum, Sancti Augustini sententiâ, non tam verborum, quàm tonitruorum; quæ tamen ipsa non satis sonora sunt ad somnum nobis & torporem excutiendum. Præterea idem Servator noster Matthæi Matth. 7. 14. septimo; *lata est*, inquit, *porta, & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam: Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Non alibi tamen disertiùs hanc gravissimi ponderis doctrinam explicuit quàm apud S. Lucam, ubi cùm ex eo quæsisset nonnemo, veténe pauci salutem consequerentur, quid tandem putatis eum respondisse? an tacuit? an hæsit dubius & nutans? an dissimulavit, ne quid terroris justo majoris alicui incuteret? aut saltem verbis ambiguis non tam explicavit, quàm implicavit veritatem? Nihil horũ: respondit verbis disertissimis, non respondit tamen soli illi, qui interrogârat; sed ad omnes, qui aderant, conversus (agebatur enim de negotio, quod non ad unũ magìs, quàm alium quemlibet pertinebat) *Contendite*, inquit, *intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt:* cùm enim ad intrandum opus esset conatu magno, & voluntate firma, ipsi mediocri aliquâ diligentiâ contenti erunt. Quis jam vester sensus est, qui fortassis me tacitè reprehenditis, ut qui semitam ad Cælum nimium coarctem? quæ recitavi ex Sacra historiâ verba non alterius tandem sunt, quàm Servatoris nostri Christi JEsu, & sunt dicta ad Christianos omnes ac singulos, ut satis ostendit & verborum contextus, & Interpretum consensus: unde non video, quî fieri possit, ut & verbis his fidem quis adhibeat, & tamen totus non cohorrescat.

Luc. 13. 24.

Chrys. adv. vit. Mon.

Nazianz. Orat. 34. S. Aug. in Ps. 39.

II.

IX. Enimvero pluribus non esset opus ad affirmanda, quæ statui. Ut tamen magìs & plus quàm satis sit, vos convincam, præter allatam jam Authoritatem rationum etiam momenta adducã, nequâ vobis exitus pateat. Quî fieri potest, sic vos arguitis, ut minor, etiam Christianorum, numerus æterna salute potiatur? an non tandem nostrâ causâ cælum conditum est? quomodo igitur tam pauci illud intrabunt? En rationem

nem ipsissimam. Duabus viis perveniri ad Cælum potest, Innocentiæ nimirum, & Pœnitentiæ. Quare si palàm vobis facio, paucos admodum Pœnitentiæ callem tenere, pauciſſimos Innocentiæ semitâ progredi, qui tandem negare porrò poteritis, minorem rectè credentium numerum pervenire ad beatitatem.

X. Initium ducamus ab Innocentia: Si de solis Adultis sermo est, quàm pauci denique sunt illi, qui candidam illam, quâ in Baptismo induti sunt, stolam nullius gravioris noxæ sordibus inquinârint; nunquam Gratiâ, quâ tum donati sunt, exciderint? Id plerumque nobis accidit, quod corvis, qui cùm candidi nati sint, magìs magisque indies nigrescunt, donec tandem evadant planè nigerrimi. Vix ad annos pervenitur, quibus bonum à malo discernitur, cùm aut pravis aliorum exemplis, quæ usurpantur oculis, aut verbis, quibus ad flagitiũ pellicimur, aut internis Concupiscentiæ stimulis, quos sentimus, discimus confestim nequitiam; sic ut non pauci cum illo fateri possent, non meminisse se illius temporis, quo puri à labe fuerint. Quare si rectè inibimus numerũ, inveniemus pauciſſimas esse Mustelas illas alpestres candore gratissimo, quæ diu non aspergantur cœno & sordibus hujus vitæ. Ratio autẽ ejus rei est; quia ætas tenella in homine Veris instar est, Sol tum virium habet tantum, ut vapores è terra ad se trahat; sed tantas non habet, ut eos absumat. Sic in adolescentulis, Ratio, quæ microcosmi Sol est, tantũ cognitionis habet, ut mali cupiditate possit accendere; sed tantum non habet, ut excitatum ignem possit compescere: sufficit, inquam, tenuis illa notitia ad peccatũ concupiscendũ, non sufficit ad illius horrorem excitandum.

XI. Quare si multos Cælo potiri asserimus, oportet asseramus, id eos Pœnitentiâ consequi, cùm admisso semel peccato non alia sit eò pertingendi semita; ita enim disertè Servator Christus. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Sed hæc quoque vera Pœnitentia tam rara est, ut Sanctus Ambrosius censuerit, illam non faciliùs inter homines inveniri, quàm ipsam Innocentiam. *Faciliùs*, inquit, *inveni, qui innocentiam servaverit, quàm qui congruè pœnitentiam egerit.* Consideremus illam eâ ratione, quâ faciliùs exercetur, in Sacramento inquam, singillatim discutiẽdo omnes tres partes, quibus constituitur; ut tanto manifestiùs veritas nobis innotescat. *Tria in unoquoque veraciter pœnitente consideranda* (ita S. Gregorius docet) *Confessio oris, Conversio mentis, & Vindicta peccati.* Luc. 13. 5. de Pœn. l. 2, c. 10.

XII. Dico autem inprimis, plurimos Christiano è populo in prima Pœnitentiæ parte deficere, *oris* inquam *Confessione*, cùm inter accusandum se varias omittant noxas, aut damnabilis pudoris malitiâ, aut animi latebras, quo par esset studio, perscrutandi negligentiâ: Hominum genus, ut Sanctus Augustinus asserit, quod dum suas investigat culpas, invenire timet; cùm noverit ab inventis longè esse abeundum: *Timent* (verba S. Doctoris sunt) *iniquitatem suam invenire, quia si inveniant, dicitur illis, recedite ab ea.* Non id ago, ut animos vestros nimis anxia religione per- In Psal. 35. in illud Doloſe egit,

perturbem, sed tantùm ut aliquid lucis affundam. Atque hâc causâ isto loco illud solùm culparum genus attingam, de cujus agnitione vulgò mortales penitùs non anguntur, cùm angi vel maximè deberent: Sunt autem hæc omissionis peccata, quæ in eo consistũt, quòd quis notabili negligentiâ non satisfaciat officio Dei voluntate sibi impositio.

XIII. Omnia inter delicta fortassis ne unum quidem est, quod magis timendum sit, quàm officium non facere, seu Omissiones. Commissionis peccata, denuntiatus, suâque noscendus fronte Inimicus sunt, & Dæmonium illud, quod Psaltes regius Meridianum appellat. *A negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & Dæmonio meridiano.* Ps. 90. 6. Observate sacrarum literarum loquendi rationem: Omissiones appellant negotium; & negotium quidem in tenebris geri solitum, ut geminas, quæ illas comitantur, conditiones explicent. Prima harum conditionum est, quòd Omissiones negotiatio Dæmonis sint, dum illarum operâ plures lucratur Animas, quàm aliâ quacunque ratione lucretur: imò quas aliis artibus suas facere non potest, istâ occultâ suas facit. Unde, ut rem exemplis declarem, si nequam hic Spiritus Sacerdotem videt virtutis, & salutis suæ studiosum, moribus integris, exempli pravitate nemini noxium, id agit, ut is aspiret ad Ecclesiæ alicujus Parochialis administrationem: ut subinde partibus Pastoris boni non respondens, dum alienas servare vult animas, suam perdat: quâ ratione per ambages lucratur vesutissimus Dæmon, quod rectâ se obtenturũ diffidebat. Altera Omissionum proprietas est, quòd sint negotium altis concubiæ noctis tenebris gestum, parùm nimirum cognitum homini, parùm ab eo consideratum; propterea quòd non consistant in actione quapiam, cæteroquin debita, sed in mera talis actionis negatione, seu non positione. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* S. Th. 2. 9. 7. a. 2. Jac. 4. 17. Hinc fit, ut qui à Dæmone, hoc in genere in fraudem se induci sinit, malũ non ante agnoscat, quàm ejus emendandi tempus porrò non sit: & hinc ipsi illi, qui cum annis blasphemandi, perpotandi, se vindicandi, aut fœdis libidinibus indulgendi assuetudinẽ corrigunt, Omissiones tamen suas corrigunt nunquam; sed eas secum tumulo infetunt. Artis beneficio pulvis pyrius ita confici potest, ut accensus in fistula noceat quidem, sed fragorem non edat. Avertat Deus, ne secreta hæc ars in vulgus emanet: quanto enim tum difficilius foret ab ictu sibi cavere, cùm ne aures quidẽ perciperent, unde pernicies immineat!

XIV. Hæc porrò tam noxia Omissionum peccata maximæ Christiani populi parti communia sunt, & respiciunt neglecta Justitiæ & Charitatis officia. Si Justitiæ officia spectemus, quot sunt in Ecclesia Pastores Animarum, qui majorem Animarum, à Christo sibi creditarum, curam non habent, quàm si ad ipsos penitùs non pertinerent! Rudes & parvulos fidei elementa non docent; adultiores aut nunquam, aut rarò admodum pro Concione adhortantur, atque instituunt; etsi crassissimâ Mysteriorum fidei ignorantiâ laborent. Non Confessionis, non Evchariſtiæ Sacramenta ministrant, nisi cùm extrema id necessitas exigit. Quantus eorum est numerus, qui cùm confitentibus dent operam, eos tamen de erratis suis seriò non monent; mediam contra relaben-

labendi pericula præscribunt nulla; eos quoque à noxis absolvere non verentur, qui nec seriæ pœnitudinis, nec emendandæ vitæ propositi argumentum ullum edunt? Quot Judices, Advocati, Prætores, Tabularum publicarum Scribæ, Medici, Principum & Reipublicæ Administri, qui muneris sui partibus desunt? Quot Parentes, qui liberorum educationem per pudendam ignaviam cordi non habent, de eo uno fortassis soliciti, quàm divites, sed non quàm virtutis & honestatis studiosos post se relinquant? Verùm nimis prolixa evaderet Oratio, si sigillatim meminisse vellem omnium erratorum, quibus potissimùm suam Mundus perniciem & exitium debet. Transeo igitur ab officiis Justitiæ, ad officia Caritatis: circa quæ plurima etiam passim negligúntur. Neque enim quisquam satis expresserit, quàm neminem ferè hodie inopum gravissimis cum calamitatibus luctantium, miseratio subeat; cùm tam multos invenire sit, qui pro eo quòd his opem ferant stipẽ largiendo, eos omni genere violentarum extorsionum, injuriarum, vexationum, contemptuũ exacerbent: interim constat Christi testimonio, eâdem nos mensurâ recepturos, quâ aliis fuerimus admensi. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Hæ & ejusdem sortis omissiones aliæ, & neglecti officii caritatis peccata, tam familiaria multis evaserunt, ut eorum sensu & religione jam nullâ tangantur. Et quamquam multi excusare se possint, quòd ad illa, dum se accusant, animum non advertant; at certè de peccatis ipsis quis se vel ad speciem purgabit, cùm tam disertè Servator noster professus sit, se de his rationem coram sua Tribunali exactissimam repetiturum, haud aliter ac si delicta alia horum comparatione severâ ad trutinam non sint examinanda? *Ite maledicti; esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Hoc fulmen torquebit in Reprobos. *Venite benedicti esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Hanc ex eo Electi sententiã audiẽt: Hoc cùm animo volveret sanctus Bernardinus Senensis, putavit affirmare se posse: Tres potissimùm esse notatu dignas supremi illius Judicis sententias: primã quam sub Mundi exordiũ pronuntiavit contra superbiam, dũ omnes Angelos perduelles æternis addixit Inferorũ suppliciis: alterã, quã post aliquot elapsa secula tulit contra Luxuriã, quando omniũ sordes cataclismi undis eluit: tertiã, quæ in fine seculorum fulminabitur contra Avaritiam; cùm omnes illos damnabit, quicunq; miserorum inopiam porrectâ stipe non sublevârunt: perinde ac si postremus ille dies non aliud sit discussurus, quàm neglecta officia Caritatis; quæ quidem minùs etiam, quàm neglecta justitiæ officia vulgò à mortalibus advertuntur.

XV. Nec tamen his solùm in obeundo Pœnitentiæ Sacramento peccatur: magis plerumque in altera ejus parte deficitur, in *Cordis* inquam *conversione*. Plurimi ne sciunt quidem ad utiliter pœnitendum hac conversione opus esse, sed satis se fecisse existimãt, si admissas noxas cum fide enarrent: hoc autem cùm ita sit, quomodo se isti parabunt ad cõcipiendũ serium illum sincerúmq; dolorem, quo potissimùm Conversio ista constituitur? Accedit, quòd sæpe dolor omnis cõceptus intra naturæ limites sistat *ex læsione naturæ*, ut S. Bonaventura asserit? concipiatur inquam non alia ex causa impellẽte, quã quia peccatũ cum rectæ rationis, quam solus homo habet propriã normâ pugnat, & sic naturâ suâ cer-

Matth. 7. 2.

S. Th. 2. q. 7. a. 2. Jac. 4. 17.

De Christ. Relig. ser. 11.

certam tristitiam, certum cruciatum generat, ob quos necesse est peccatum, talium causam, displicere. Insuper in illis, qui longâ peccandi assuetudine depravati sunt penitùs, quàm pronum est, non aliud ipsis displicere, quàm supplicium, quod vident imminere, non culpam, quam contraxerunt? Id quod Sanctus Fulgentius in Saulis confessione observavit, qui non abhorruit à noxa, quam admiserat; sed solùm mœrore torquebatur, ex jactura Regni, quam illi animus præsagiebat. *Non odit, quod fecerat, sed timuit, quod nolebat.* Et tamen re ipsa oportet non pœnam tantùm, sed peccatum odisse; & odisse plus quàm ullum aliud malum decernendo, nunquam deinceps locum illi in animo dare. Auget difficultatem, quòd cum peccato oporteat abhorrere simul ab omnibus occasionibus quæ proximè ad peccatum pertrahunt, juxta illud: *Omnem viam iniquitatis odio habui.* Non inquam solam odi iniquitatem, sed viam quoque, quâ ad iniquitatem itur: hæc autem quænam est alia, quàm occasio? Hinc jam illud cogitate diligenter, quàm parvo numero sint illi Christiani, qui hæc reipsa exequantur; qui deserant sodales pravos, qui fugiant commoda & oblectamenta, quibus in peccati laqueos se implicuerunt: atque inde porrò colligite, quàm ingens eorum sit multitudo, qui etsi saltem quot annis de noxis se accusent, sincero tamen corde non doleant, nec seriò convertantur.

l. 2. de Remin. pecc. c. 15.

Ps. 118.

XVI. Et quamquam tam multorum dolor, his ex capitibus deficiat, duæ tamen aliæ causæ cogunt me de plurium adhuc Peccatorum pœnitudine dubitare: Signa nimirum, quæ sui accusationem præcedunt, & signa, quæ illam consequuntur. Quæ consequuntur, palàm faciunt, multos vix à noxis expiatos, mox redire ad inveterata vitia, quin ullum conatum, studium & solicitudinem adhibeant ad illa emendanda. Saucius, qui vulnus neque alligat, neque unguento illinit, plus satis ostendit, vulnus illi non dolere. Simillima est plurimorum Christianorum conditio, quorum animi fœdis undique plagis sunt obsiti: *à planta pedis, usque ad verticem capitis, non est in eo sanitas.* Nec tamen iis persanandit quidquam diligentiæ adhibetur. *Non est circumligata; nec curata medicamine, neque fota oleo.* Sanctus Paulus tanquam signum, quo verus dolor discerni possit, videtur requirere constantiam quandam, quâ in Pœnitentia subinde securâ perseveretur: *Tristitia*, inquit, *quæ secundùm DEUM est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*: & verò ratio ipsa videtur convincere, hac fine stabilitate & constantiâ dolorem non esse genuinum. Vidua, quæ vix persolutis defuncto marito justis nubit alteri, non censetur defuncti mortem sinceris lacrymis deplorâsse. Sic & Anima, quæ vix deplorato peccato admisso induci se sinit, ut illud denuo admittat, quo tandem vero dolore illud detestata fuisse censeri potest?

Is. c. 1.

XVII. Quod attinet ad signa, quæ antecedunt, illa longior mora, quâ non

non pauci in malo suo hærent, facit, ut metuam, ne dolor suis numeris non sit absolutus: mora enim verò pernicioſissima, ut quæ non poteſt non edere ingentem in animo cladem & ſtragem. Omnis illa ſtrages atque pernicies, quâ humanam naturam noxa originaria afflixit, intelligendi facultatem excæcando, voluntatem faſcinando, frenum animi perturbationibus omnibus, obedire jam detrectantibus permittendo, omnis in quam iſta pernicies à culpis actu admiſſis quotidie inſtauratur: hæ ſiquidem eadem, proportione ſuâ, effecta in anima producunt, quæ illa, ſi rectè S. Thomas ſenſit. Cogitate proinde, quàm malo loco res eorum ſint, qui vitam ferè omnem inter flagitia tranſegére: & tamen hos quoque converti neceſſe eſt! Nonnulliſi, ut dicebamus, idem eſt principium ratione utendi, & peccandi, & hi ferè, quo cæperunt paſſu, in flagitiorum ſemitâ ad mortem uſque progrediuntur, nullâ, quæ ſe offerat, Numinis offendendi occaſione prætermiſsâ, &, quod opere exequi non poſſunt, deliberatâ ſaltem delectatione & deſiderijs concupiſcendo; lupum imitati, qui ubi ovile diligenter cuſtoditum reperit, illud undique luſtrando obit, & quam dentibus non poteſt, ſupinâ illâ ſaltem rabie ſuâ prædam devorat. Peccatum igitur ejuſmodi continuatum & repetitum toties, quàm tandem opinione noſtrâ perniciem in animabus eorum, & ſingulis eorum facultatibus edet? quàm addenſabit Intellectûs tenebras, augebit perverſitatem voluntatis, acuet concupiſcentiæ vim, vulnus identidem vulneri addendo; ſic ut Anima eorum, ſi ſenſum haberet aliquem peccatorum iſtorum continuorum, triſte illud occinere poſſet: *Effudit in terrâ viſcera mea, contidit me vulnere ſuper vulnus, irruit in me quaſi Gygas.* Sed miſera hæc Anima, quo percutitur ſæpius, hoc ſentit minùs. Et hinc parum abeſt, quin dici poſſit, actum eſſe de omnibus ils, qui præmaturè adeò flagitiis aſſueſcunt. *Iob. 16. 15.*

XVIII. Quæ maleficio ſuo mortalium generi nocent ſidera, etſi nunquam ſupra horizontem emergant, quin malignitatis aliquid diffundant, nunquam tamè nocent ampliùs, quàm cùm æſtivis in ſignis oriuntur: cùm enim tunc moram in hemiſpærio noſtro longiorem trahant, temporis etiam plus habent ad peſtem terris ſubjectis afflandam. Non aliter ſe res in peccatis habet; quantumcunque modico tempore animum occupent, nunquam tamen non omnia commovent, atq; pervertunt: tum autem nocentiùs & diriùs, cùm primis ab annis peſtem diffundere in animum orſa, vix unquam, ne in ſenectute quidem, occidunt. Tum enim eò Peccatores noxæ iſtæ redigunt, ut finis ſui ultimi planè immemores agant, &, quod conſequens eſt, in mediorũ delectu errent ſemper, eâque causâ ſalutem nimis quàm difficulter conſequantur. Et tamen hoc Peccatorum genus numero fermè alia ſuperat.

XIX. Sine numero illi ſunt, qui non intelligunt, conditos ſe eâ tantùm causâ, ut Conditoris ſui gloriam procurent:

curent: Sibi enim tantùm se natos existimant: unde in rebus suis agendis Deum spectant nunquam, sed in id omnes animi corporisque facultates intendunt, ut humana hæc atque caduca congerant, opes, voluptates, honores, imperia, quin unquam animi oculos ad Deum attollant; porcorum more, qui ad quercûs alicujus radicem sibi tantùm pascendis intenti, quidquid possunt aliis è suo grege glandium præripiunt; nec tamen unquam sordidum rostrum humo attollunt, ut oculos in pastorem conjiciant, qui providâ curâ è summis arboris ramis cupitam escam excutit.

XX. Nec minore numero illi sunt, qui tenui aliquâ finis notitiâ imbuti, in mediorum tamen delectu errant gravissimè, dum sibi, non alium denique Deo cariorem, majoribúsque ab eo bonis cumulatum esse persuadent, quàm qui plus infelici hac ex terræ glebâ congestum habet. *Beatum dixerunt Populum, cui hæc sunt:* ac proinde rerum æternarum planè incurij, soláque hæc caduca aliquid esse rati, *venite:* inquiunt, *venite, fruamur bonis quæ sunt, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors:* atque ita sentire ac loqui docti, merentur referri eorum in catalogum, quos SS. Litteræ dicunt omnem numerum excedere. *Stultorum infinitus est numerus.* Ite nunc, & persuadete hujus farinæ homulis, Peccatum esse malum malorum omnium maximum, eâque causâ, ut quis de eo admisso doleat sicut oportet, necessarium esse, ut quis ab eo magis, quàm ab alio quocunque possibili malo abhorreat. Horum ipsi nihil assequuntur: notitia rerum, quam habent, tam est tenuis & obscura, voluntas tam dura, ut nullius planè jacturæ sensu afficiantur, nisi quæ est boni cujusdam caduci & materiati: Crocodilo non absimiles, cujus dorsum, quod Cælum spectat, eâ est duritie, ut nullo sit telo penetrabile: venter autem, quo terram respicit, cute obtegitur tam subtili, ut tenuissimæ acûs cuspide perforari possit.

Ps. 143. 15.

Sap. 2 6.

Eccl. 1. 15.

XXI. Hi, cùm de noxis se suis accusant, labes quidem suas vident, sed non aliter, quàm is, qui in speculo eas contemplatur; non vident autem eas, sicut qui in fonte vident, qui vidisse non contenti, eas etiam abluunt. Unde hi, post narrata Sacerdoti peccata, alij à se ipsis non evadunt, & quò eorum scelera multiplicantur ampliùs, hòc lethale animorum frigus in ipsis intenditur vehementiùs, ut iis evenit, qui humili solo degunt; quo enim aura eorum locorum est crassior, eò hiems ibidem est sævior. Ex hoc autem prudens quisque facilè colliget, quàm arduum sit ejusce sortis hominibus, cùm peccata confessione expianda sunt, dolere dolore, qui supra naturam se attollat: idque tantò ampliùs; quòd hunc ad dolorem penitus se non præparent: non animum applicent ad perpendendas rationes, ex quibus dolendum est; non libros evolvant, qui hac de re agunt; sacros Oratores non audiant, eos fugiant, qui de similibus differunt; quin ne animi quidem arbitros præ cæteris idoneos deligant; sed studiosè in eos inquirant, quos nimia

Arist. probl. 25. q. 1.

mia à benignitate fama commendat, ut hoc quoque in negotio nefarium Judam imitentur, cujus confessio, etsi in peccato enarrando diligens esset & accurata, *Peccavi tradens sanguinem justum*, id tamen non egit, ut Sacerdoti se bono probóque sisteret, sed, ut Sanctus Augustinus notavit, *ivit ad Pharisæos reliquit Apostolos*, & idcirco, *nihil invenit auxilii, sed desperationis argumentum.*

Lib. de ver. & falsa Pœnit. cap. 11.

XXII. Nec illi exiguo sunt numero, quorum Pœnitentiæ pars deest ultima, quæ est *satisfactio: Confessio oris, Conversio mentis: & Vindicta peccati*: deest autem tam quæ Deo offenso, quàm quæ proximo læso debetur. Et ad Deum quidem offensum quod spectat, quâtandem ratione illi satisfacit magna populi Christiani pars, quæ cùm rationem habeat nullam oneris gravissimi tot noxarum, quod animo circumfert, onus dein justo gravius sibi impositum queritur, cùm pauculæ preces ad deb tum expungendum imperantur? Hoccine sit facere satis injuriæ Deo illatæ; *Facite fructus dignos pœnitentia*? Hoc est medium illud commune omnibus, quo divina ira evitari possit; quos autem fructus major Pœnitentium pars affert? Tantum abest, ut fructus pœnitentiâ dignos, respondentes inquam delictis admissis, facere dici possint, ut ne ullos quidem ferant: & vos tamen contendetis, nullo negotio salutem hos suam consecuturos?

Arist. probl. 21. q. 1.

XXIII. Nec sibi quisquam persuadeat, in hac dubitandi ratione plus extimæ speciei, quàm soliditatis inesse. Omnino enim tenendum est, exigere à Pœnitentibus Deum, ut prava sua opera, quorum se reos agunt, bonis compensent. Permissio siquidem peccati in Prædestinatis ad gloriam, effectus quodammodo Prædestinationis est, à Deo in bonum ipsorum Prædestinatorum relata. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: ipsa nimirum etiam peccata, ut Glossa in eum locum observat. Quare si peccati permissionem Deus refert in bonum ipsorummet Pœnitentium, id profectò spectare solùm non potest, ne porrò peccent, sed ut meliores reddantur, omnémque suam vitam operibus magis arduis, magisque sanctis ac perfectis exornent: id enim si ita non esset, quis non videt, satiùs futurum ipsis, si nunquam ullum in peccatum labi finerentur, quàm si tantùm in alia peccata non recidant, si non alius futurus esset permissæ noxæ fructus, quàm prioris emendatio? Hæc autem si ita se habent, illi etiam, qui seriò de admissis dolent, si curæ ipsis non est, ut magis ipsi inde proficiant, non solùm id agendo, ut admissas labes eluant, sed ut earum loco præstantioribus se ornamentis excolant, demissionis profundioris, majoris gratitudinis, studij virtutum ardentioris, & operum rectorum illustriorum, profectò illi nondum ostendunt insignitos se tam nobili Electorum charactere ac signo; cùm non eum, quem Deus ex pœnitentia quærit, ad majus ipsorum & pœnitentium emolumentum, fructum referant. Hinc porrò colligite, si in numerum verorum

Rom. 8. 28.

Pœnitentiam referri non merentur, quorum vita virtutibus post peccatum majoribus non exornatur, an eam ad classem spectent, qui vitam ne mutant quidem?

XXIV. Atque hîc velut in transitu, quamquam ad rem nostram, animo perpendite, quanto spes eorum magis vana sit, qui cùm in flagitijs vitam exegerint, ope tamen solius confessionis, extremo illo tempore peractæ, non malam se mortem obituros confidunt? Quomodo tandem verisimile est, cùm tum tempus porrò non suppetat, scelera sua, tanto numero admissa, sanctissimis operibus mutandi, ad Electorum felicem chorum ejusmodi homines pertinere? Necesse tum foret, ut salute illi non excidant, aut Deum Gratiæ suæ prodigium operari, aliquam nobilem admodum præter ordinem legémque conferendo, aut ut ipsi cum gratiâ operando plus longè quàm vulgo soleat, conentur. Hoc autem perinde, ac illud, quàm nullo jure plerumque futurum creditur? Longiùs hi tales à Beatitatis absunt semita, quàm unus Mundi Polus distet ab altero. Quomodo igitur repentè tam illi se vicinos invenient, ope voluntatis promptissimæ ad efficiendum omne illud bonum, quod quisquam unquam Pœnitens sumè de perpetratis facinoribus dolens effecerit? Semper opera, quæ frigidâ à causâ proficiscuntur, lenta ac pigra sunt: quo igitur jure promittet quis sibi à corde glacie constricto operationem tam celerem, tam seriam, promptámque? Parte autem alterâ, vero haudquaquam simile est, Deum toties totiésque præter legem & ordinem præfixum operari velle, maximè eorum causâ, qui pœnis tantùm ac supplicijs digni sunt; ut qui semper Divinæ se pietatis Bonitatísque consiliis oppoſuerint. Quos morbi, longinqui admodum, lecto affigunt, hieme ferè moriuntur: nec alia eorum sors est, qui malè semper vivunt, hieme moriuntur frigidâ, omnis Caritatis expertes: *Quorum finis erit secundùm opera ipsorum*: ut Apostolus loquitur. Mors eorum vitæ erit simillima, frigida nimirum in illa, ut in hac, omnia; ut effectum causa sibi similem producit.

Arist. sect. 1. Probl. 17.

1. Cor. 15.

XXV. Quare si & Innocentia, omnis labis ac sceleris expers tam rara, si Pœnitentia etiam genuina tam non est frequens, necesse idcirco erit (ut ad id, quod præcipuè nobis propositum est, redeamus) necesse inquam erit, nos etiam ratione convictos fateri, pauciores è Christianis adultis cælo potiri, plures æternùm perire. Quis prudens miretur, ait os aureum? Quo jure vultis, plures Cæli atriis recipi, si viam ad illud non nisi pauci admodum tenent? *Non potest quis pervenire ad portam, nisi ambulaverit in viâ.* Enim verò qui videt Christianos vulgò tam rerum divinarum rudes, tam negotium salutis pertœsos, addictos rationi vivendi tam difformi illi, quam Christus Servator tenuit; effata ubique sectari damnata ab Evangelio, Cruci, & Cruci affixi Dei doctrinæ repugnantia, voluptatum tantùm, gloriæ, honorum, opum, studiosos, ita semper affectos, ut appetitum præ-

præferant Rationi : ea, ad quæ propendent, iis, quæ recta sunt; ea, quæ volunt ipsi, his, quæ Deus jubet, qui, inquam, hæc videt omnia, is profectò quæ affirmavimus haudquaquam miratur: illi tantùm mirantur, qui sic omnia se habere volunt, ut ipsi sibi illa pro arbitrio fingunt, nihilque non agunt, ut sibi ipsis imponant, ut sic vivere possint, ut volunt. Lepidi quidam ingenij vir, ut eluderet Astrologorum prognostica, sinistram admodum fortunam è siderum combinatione ipsi vaticinantium, Cœli sibi simulacrum è gypso in cubili suo fieri curavit; in eo sidera suo ipse movebat arbitrio, sic illa sibi jungens, opponénsque, alitérque disponens, ut non nisi benignis illis aspectibus frueretur, quos Astrologi fortunatissimos prædicant. Detur huic venia, imò laudetur etiam, quòd eâ ratione forsan insultare iis voluerit, quos non pudet diu ante illa præsagire, quæ uni Deo nota sunt. Sed quam illi veniam mereantur, qui nullâ Sacrarum Litterarum peritiâ, nullâ rerum beatam & immortalem ad vitam pertinentium notitiâ, à Sanctis Doctoribus, quin & ab ipsa æterna veritate admoniti de periculo, in quo versantur, salutis æternæ amittendæ, tale prorsus sibi Cælum fingunt, quale illud esse optarent? Somniant meras siderum combinationes sibi faventes, persuadéntque sibi, omnia & sidera, & siderum orbes nihil non in se faustitatis esse effusuros, perinde omnino ac si etiamnum beato illo Innocentiæ in statu vitam degerent? An non hoc est vim sibi facere, ne sapiat? Et tamen hactenus illorum non memini, qui nec ipsi numero pauci sunt, quos, cùm inter flagitia omnis generis vitam exegerint, tam non pœnitet admissorum, ut ne pœnitere quidem possit, non provisis obrutos casibus apoplexiæ, necis ferro, igni, veneno, fulmine, repentino terræ motu aut hiatu, lapsu ex alto, & variis aliis modis, hoc magis formidandis, quo minùs expectatis, illatæ. Hi illis juncti, qui sine seriâ pœnitentiâ vel in delicatissimis plumis moriuntur, quisquàmne satis explicet, quantum augeant numerum ad æternos rogos destinatorum, etiam inter Christi assecias, super numerum eorum, qui ex iisdem æternam ad vitam sunt electi?

XXVI. Caveant proin omnes, ne quis mihi unquam, AA. Dilectissimi, cantilenam illam tam ceteroquin Peccatoribus familiarem occinat: *Miserationes Dei multæ sunt. Non est æquum sanguinem à Christo nullo effectu sparsum esse: Deus non condidit Christianos, nec ad hanc eos fidem vocavit, ut æternùm eos abjiceret.* Verissima siquidem ista sunt, sed à miseris his ad sua commoda pessimè detorta. Ne Mahometanos quidem Deus condidit, ut damnaret; damnantur tamen. Nec dispar erit sceleratorum Christianorum conditio. Vivunt ut homines nullâ Dei notitiâ præditi; ut tales proinde etiam habebuntur. *Discedite à me omnes operarii iniquitatis.* Qui statuas è ligno sculpunt, non eâ causâ arbores in silvis cedunt, ut igni eas pabulum objiciant. Si quis tamen truncus artificis

Luc. 13. 27.

manui resistit contumaciter, in rogum denique abjicitur ; non jam ligni naturâ suâ nil tale meriti odio , sed intractabilium illorum nodorùm , quos in illo repertos artifex nequit emendare. Sic nec illa supremi Dei artificis & conditoris Bonitas quemquam è nihili abysso educit , ut infernalis rogi titionem faciat. Nulla tamen non die, propè innumerabiles, tales fiunt , non jam Bonitatis Divinæ culpâ, paratæ ad eos æternum felices reddendos , sed culpâ non expugnabilis illius obstinationis , quâ suavissimis Dei consilijs & finibus sese pertinaciter opponunt , & renuunt uti mediis ad salutem conducentibus ; vitâ inquam ad normam legum divinarum exigendâ , & noxis, ubi admissæ fuerint , seriò delendis: *Perditio tua ex te Israël.*

XXVII. Sic nec Divinum Sanguinem par est frustra sparsum esse. Ita sanè; sed illud nôsse oportet , præcipuum,quem cruciatibus, & morte suâ Servator noster Jesus spectavit , finem hunc demum fuisse, ut satis fieret pro offensâ , quâ homo Justitiam divinam læserat ; ne videlicet in Mundo existeret grande illud monstrum , & rerum ingens perturbatio. ut Deus quidem injuriis innumeris irritaretur , nemo autem esset,qui pro noxis his ad æqualitatem satisfaceret. Hic porrò princeps Mortis Dei hominis finis , reparandi honorem Dei à perfidis suis & rebellibus conculcatum , abunde jam à Servatore obtentus est : unde etsi nemo unus vitæ beatæ hæres fieret , non frustra , sed maximo fructu divinus sanguis sparsus esset. Præterea etsi major Christianorum adultorum numerus æternùm periret , non contemnendus tamen ille numerus parvulorum,statim à sacris undis morientium , illi non parvo numero Animarum bonarum additus , quæ vel Innocentiæ stolam ab omni labe puram conservârunt , vel sordibus aliquando conspersam diligentissimè , & opportunè abluerunt , turbam conflabunt tam magnam , támque numerosam , ut S. Joannes , cùm eam videre contigisset etiam innumerabilem pronuntiârit. *Vidi turbam magnam , quam dinumerare nemo poterat.* Atque adeò non propterea Cælum inquilinis carebit , quòd tam multi in orcum detrudantur , sed potiùs erit Regnum habitatoribus refertissimum , & si miser ille damnatorum grex maris arenas numero æquabit,Beati è diverso non pauciores erunt, quàm Cæli Sidera ; utique nimirum vix cuiquam numerabiles, etsi proportione inter se diversissimâ. Apoc. 7. 5.

XXVIII. Tandem & Dei miserationes nullis limitibus arctabuntur; sed erga eos non se exerent , qui injurias Dei injurijs addunt , quin unquam seriò resipiscant ; sed erga timentes Deum. *Misericordia Domini super timentes eum* , quæ sunt sacri Vatis verba : deinde etsi nemo non Miserationum Dei particeps sit , juxta illud, *Miserationes Dei super omnia opera ejus :* non tamen eâdem cuncti mensurâ illas participant. Tribus modis etiam Peccatorum misereri Deus potest : Potest illos expectare ; potest vocare , & potest admittere ad seriam Ps. 102. v. 17. Ps. 48, 91

& ef-

& efficacem pœnitudiuem. Prioribus duobus modis cunctis ferè Peccatoribus misericordem se Deus ostendit, cùm & expectentur, & non semel tantùm vocentur. Si tertium miserationum genus cunctis non exhiberur, id inde fit, quod prioribus duobus ingrati aburantur. Oliva post siccatas, quibus Mundum Deus totum merserat, undas non columbæ tantùm, sed & corvo virere cæperat: Sed corvus cadaveribus assuetus ramorum ejus rationem nullam habuit. Accedit & illud, quòd Deus dum condemnat impios, vel tum miserationis suæ non obliviscarur, dum omnes ac singulos punit infra condiguum, pœnâ nunquam culpam ex omni parte adæquante, acerbitate saltem, cùm temporis mora brevior æternitate esse non possit. Sic nullo divinarum miserationum in omne mortalium genus beneficarum detrimento stat stabítque, majorem esse pereuntium adultorum Christianorum numerum, quàm in Cælo triumphantium.

XXIX. Mon aliud proinde à veritatis hujus agnitione nos impedit, quàm velum illud, quo oculos mentis nostræ nostrimet amor obnubit, dum nos nostri æstimatione implet, facítque, ne pro dignitate æstimare possimus & Deum, & injurias peccando ipsi allatas. Eâque ipsâ causâ, etsi cunctas inter Dei perfectiones & attributa nulla se effectis tam manifestè prodat, nulla tamen omnium minùs cognoscitur. *Pater juste, Mundus te non cognovit.* Non dixit Christus; Pater Omnipotens, Pater Optime, Pater misericors, sed *Pater juste*, ut palam faceret; non aliud esse Patris æterni attributum, quòd minùs mortales cognoscant, quàm illius Justitiam: *Plin l. 2. c.* vellent enim homines vulgò nescire, quod vellent non experiri. De Elephante narrant, quando femitâ illi angustâ transeundum est, obverso discrimini tergo retrogradum illam emetiri, ne præsentis periculi metu consternetur. Sic & Peccatores gressum promovent. Id agunt, ne obversentur animo pericula, inter quæ perpetuò degunt, ne observata metum incutiant.

XXX. Cæterum suaderi id utique debet, ut Peccatores miserationes Divinas animo objiciant; sed non aliâ ratione, quàm quâ parturientes Ætite lapide utuntur, qui partum promovet; sed certâ tantùm moderatione applicitus: nam si mora in retinendo sit longior, abortire facit. Animæ illæ, plus æquo trepidæ, quæ etsi à peccatis quanto possunt studio abhorreant, nunquam tamen timoris de salute amittendâ expertes vivunt, illæ, inquam miserationum divinarum meminerint, ut harum consideratione adjutæ opera salutaria pariant. Illæ autem protervæ & impudentes, quæ peccata peccatis cumulant, Divinæ maximè Justitiæ memores esse debent, illúdque crebrò animo volvere, non aliud demum collecturos in messe homines, quàm quod seminârint: *Quæ seminaverit homo, hæc & metet*: non verò nitantur vanissimâ illâ spe, quæ re ipsâ non spes, sed Præfidentia est, atque Præsumptio, dum vult, ut solus Deus

Deus totam salutem operetur, non autem ut nobiscum tantùm operantibus operetur. At hoc denique nobis incumbit, non sinere, ut solus omnia Deus faciat, sed nostram jungere operam cum *auxilio opportuno*, illúdque in animum altè demittere, ne secundissimos quidem à puppi ventos sufficere ad navim optatum in portum provehendam, si Nauclerus vela pandere, & anchoras tollere contumaciter abnuat.

XXXI. Claudamus igitur Dissertationem Apostoli verbis, & cunctis illa dicta arbitremur: *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam.* Vita hæc præsens, Pugnæ, illa futura, Triumphi tempus est. Nunc bellum nobis cum cupiditatibus, & pravis propensionibus nostris gerendum; eundum temitâ arctâ legum divinarum, nec cadendum animo, si cadere semel & cladem accipere contigerit. *Certa bonum certamen*: resumamus arma; obvertamus appetitibus nostris vultum & cuspidem, restituamus pugnam. Meminerimus, ut rem paucis, negotium salutis nostræ levi brachio non geri, negotium esse arduum admodum & plenum discriminis, quod naturâ suâ animos & conatum generosum exigat: *apprehende vitam æternam.* Si illa recedere à nobis videtur, insistamus abeuntis vestigiis, prehendamus, stringamus, & nihil non agamus, ut nobis illam vindicemus. Non tam de modico aut nihilo res est, dum sempiternâ de vitâ agitur, ut animus cadere nos deceat propter difficultates, quæ occurrunt, dum vestigiis ejus insistimus: neque tantillæ de rei jacturâ agitur, ut incertissimo *Fortassis* exponi à nobis debeat. De animâ agitur immortali, quam necesse est vivere aut æternùm felicem, aut æternùm miseram, felicitate omne bonum, aut miseriâ omnem miseriam complexâ. *Apprehende vitam æternam.* Pauci simus, an multi, qui æternùm Beati erimus, quid perdimus si quàm securissimi esse studeamus? si lata est ad Cælum via, rectè, & ex virtute vivendo salutem magno promeritorum cumulo graves consequemur. Si arcta, rectè vivendo salute cum paucis potiemur, illud securi consilium, quod Sanctus Joannes Chrysostomus suggessit: *Vive cum paucis, si vis regnare cum paucis.* Non propterea, quòd pontem quis sibi fingat minùs latum, quem in itinere superare oporteat, periculo se se exponet in subterlabentem decidendi; expositus tamen est discrimini, qui latiorem sibi imaginatur, quàm re ipsâ sit. *Repromissio nequissima multos perdidit.* Superba hæc & audax Præsidentia prô! quos quantósque perdidit! Securitas enim ejusmodi maxer est negligentiæ, si rectè S. Thomas sensit, cùm æstimationem minuat difficultatis, quæ superanda est. *Apprehende vitam æternam. Apprehendere*, & non *prehendere* tantùm juber, cùm absque labore & nisu magno non possit obtineri.

1. Tim. 6. 12.

Eccl. 29. 24.

1. 2. q. 40. a. 5.

DISCURSUS VI.

De modo Salutem Animæ certò consequendi.

Astrologorum nonnemo, vaticinandi arte clarus, in ipso Urbis Athenarum foro cùm occultum sibi cum sideribus commercium jactitaret, non malus, nec falsus sibi ipsi augur erat: curiosâ enim undique multitudine cinctus ab his plausus & gratulationes, ab illis munera, mercedem ab alijs editorum oraculorum referebat. Cùm nonnemo, ut fidem hominis elevaret, passerculum manu complexus ad eum accedit propiùs, &, divina inquit, vivusne sit an mortuus, quem manu stringo, passerculus: versutè interim cogitans, si vivum dixerit, suffocabo: si mortuum, diductâ manu avolare sinam, & sic quidquid vates sic dixerit, mendacij coarguâ. Sed ars hæc arte majori elusa est. Astrologus enim subodoratus fraudem, nihilq; moratus, talis, respondit, est passer, qualem vis, vivus si vivum, mortuus si mortuum. Quo dicto plausus retulit geminatos, dum tam bellè illusit illusori. Liceat mihi, AA. Amantissimi, per vos hâc, quæcunque tandem est, narratione uti ad edocendos vos veritatem Fidei, siquæ alia est, moment ac ponderis haud sanè levis. Vos, postquam me generatim de parvo Electorum numero differentem audistis, quæretis ex me, quid tandem de vobis speciatim sigillatimque intus mecum ipse sentiam? vivámne in Dei oculis Animam vestram, an mortuam judicem. Electam, an Reprobam? Non ita demens sum, ut id mihi tribuam, quod quæstioni huic, momenti tam gravis certum indubitatúmque reddere responsum sciam: nihilominus, ne omnino nihil habere videar, quod reponam; dicam: Talem esse Animam vestram, qualem vultis; in vivarum numero, si vivam; in mortuarum censu, si mortuam cupitis. *Anima vestra in manibus vestris.* Nihil est, quòd dubitem, quin omnes vivam optetis; eâ causâ vos hodie artem docebo, quâ ejus Salutem certò procuretis. Agitur de re tantâ hac Dissertatione, Salute nimirum Animæ, ut quisquis hîc agit oscitanter, eum animâ carere pronuntiare non verear.

I.

II. Sed quis tandem ego sum, qui dux velim esse in itinere tam periculoso? Prophetam ergo Regium ad rem tantam deligo, qui cælesti luce intimè collustratus sine aberrandi periculo nos ducat. Sanctissimus hic Vates, cùm desiderio arderet inveniendi sedem stabilem ac perpetuam, omni felicitate cumulatam, in DEI

Domo, Cælo inquam, Psalmo sexto ac vicesimo rationem nobis indicat, quod desiderabat, consequendi certissimam, verbis illis pauciſſimis: *Unam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Primum igitur, quod exemplo nos ille suo docet, est, ad Animam servandam, necessarium esse, quàm creberrimè Salutem illius DEO commendare, & hanc ab eo flagitare: *Unam petij.* Quod perinde erat, ac dicere: non hoc duntaxat momento gratiam istam peto; nec illam tum demum petam, cùm jam accincta ad iter æternitatis stabit anima: jam diu est, quòd hæc usitata mea est exercitatio: *Unam petij.*

Ps. 26. 4.

III. Nôsse igitur oportet, inter præcipua, quæ in Christi disciplinâ disci debeant, dogmata esse, necessitatem Orationis. Hanc Sacræ Litteræ non obscurè proponit. *Non impediaris orare semper.* Ecclesiastici verba sunt. Paulus verò Apostolus sic discipulos suos instituit: *Sine intermissione orate*: ne interrumpendum quidem tam sanctum studium asserens. Alibi autem idem sic loquitur: *Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes &c.* quasi diceret: non rogo vos tantùm, sed adjuro, ut præ rebus & negotiis planè omnibus vobis cordi sit salutem vestram summa contentione Deo commendare. Sed clariùs omnibus Servator ipse Christus necessitatem hanc inculcat: *Oportet semper orare, & non deficere.* Vocula hæc *oportet*, si Sanctus Joannes Chrysostomus rectè sensit, necessitatem infert omnimodam; *inducit necessitatem*, sic, ut quisquis nunquam preces ad Deum funderet, suæque illi Salutis negotium commendaret, modus illi non superesset Salutem consequendi. Hac causâ Doctores Theologi agnoscunt orationem necessariam non illâ solùm *necessitate*, quàm *præcepti* appellant, sed illâ quam vocant *Medij*: quo ipso affirmant, non peccaturum tantùm eum, qui omitteret omne orandi studium, violato, quod orare jubet, præcepto; sed ne perventurum quidē ullâ ratione ad paratæ sibi felicitatis finem, destiturum medio ad illam obtinendam lege non dispensabili requisito. Quæ sterili solo sunt Provinciæ, discere aliter non possunt, quàm commercio cum Regionibus fertilibus. Tellus hæc nostra aliter suæ inopiæ & indigentiæ succurrere non potest, quàm si commercio cum Cælo jungatur; quod fit frequenti & non interrupto petendi auxilij studio ac conatu.

Eccli 18. 22.

1 *Thess.* 5 17.

Luc. 8. 1.

V. Suar. rez 2. de Relig. lib.

IV. Ad dogma tam non contemnendi momenti meliùs pernoscendum duo ad rem ista præscienda sunt. Primum est, quòd ad recuperandam gratiam peccato amissam, eámque conservandam, opus sit auxilio Dei singulari: *sine me nihil potestis facere*, ut Servator ait: non ait autem; parum sine me, sed, nihil potestis facere. *Sive parùm, sive multum*, repetit Sanctus Augustinus, *sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.* Et ea propter, si Divinæ Gratiæ auxilium necessarium planè est ad perficiendum opus, quodcunque minimum, quod ad salutem æternam quoquo modo conducat,

Io. 15.

tract. 81.

cat, multò magis necessarium illud erit ad opus omnium maximum atque gravissimum, quod est Perseverantia finalis, & victoria de postremis tentationibus obtenta, quæ decumanorum instar fluctuum majori impetu momentis illis ultimis nos solent adoriri.

V. Secundo loco prænoscendum est, quòd hoc gratiæ divinæ auxilium tam necessarium ordinariâ & communi DEI lege, nobis non detur, nisi precibus ad eum fusis petatur. Prima gratia, ut Sanctus Augustinus docet, etiam non petenti confertur; at non secunda: hanc oblato libello supplicii oportet impetrare. Hinc ut Olitor sulcis fodiendis aquam ad plantas suas derivat, sic Anima orando canalem præparat Divinæ miserationi, per quem in eam dimanet, nec suo se fonte contineat. Atque hoc ut primo à Deo constitutum est, ita servatur ad amussim; ut ne illa quidem bona largiri Deus velit, quæ cæteroquin nulli non promisit, aliâ, quàm Orationis viâ. Unde, S. Thomæ Sententiâ, Oratio princeps est Providentiæ Divinæ instrumentum ac medium, quæ vult, ut S. Gregorius observavit, ut ipsi supplices, mereamur accipere in tempore, quod ab omni retro æternitate decrevit in nos conferre: *Quatenus postulando mereamur accipere, quæ Deus ante sæcula disposuit dare.* Atq; hæc divinæ Providentiæ lex omnino est sapientissima. Fuit enim convenientissima, si ipsum attendamus DEUM, ut ipsum tam demissè instantérque rogando, palàm faceremus, nos eum agnoscere, qui est, omnis omnino boni fontem. Conveniens deinde fuit lex, si nos ipsos spectemus: multarum enim orando virtutum actiones exercemus, fidei, fiduciæ, religionis; atque ita diteścimus, dum inopes nos & omnium egenos profitemur; conveniens denique fuit, si ipsa etiam, quæ à DEO petuntur, dona consideremus; hæc enim istâ ratione magni nos facere demonstramus, & pretium earum nostris desideriis commendamus, non aliter, quàm earum mercium pretium augetur, quæ ab emptoribus avidè expetuntur.

1. 2. 5. 183. art. 2.

l. 3. Dial. c. 8.

VI. Sicut autem Deus Orationem voluit esse summè necessariam, ita vim illi tribuit potentissimam: non eam solùm, quam naturâ suâ preces supplices habent; sed majorem multò, dum fidem suam disertis verbis obligavit, & auditurum se nos, si ritè oraremus, sanctè pollicitus est. Unde jam liberum illi & arbitrarium porrò non est, audire, aut non audire; suâ ipse promissione devinctus est: *Promittendo Debitorem se Deus fecit*; ut loquitur S. Augustinus. Magnus ille Monarcha, cùm omnium Dominus sit, Debitorem se fidelium suorum votis ac precibus constituit.

Serm. 31 de Verb. Dom.

VII. Accedamus nunc ad rem nostram, & complectamur paucis, quod pluribus quidem, sed non ultra, quàm res postulet, dictum est. Si Oratio necessaria est ad salutem, & si tantarum illa ad eam impetrandam est virium, consequens hinc manifestè est, non aliam certiorem consequendæ salutis

lutis viam ac rationem esse, quàm illam nunquam non petere. *Unam petii à Domino*, dixi *nunquam non*, cùm idem Servator dicat, *Oportet semper orare*. Etsi enim necesse non est, flexis semper poplitibus negotium animæ nostræ Deo commendare; necessarium tamen est, ut sui commendatio, quæ est ipsa Orationis intima proprietas, præcipua sit animæ exercitatio, quæ eam & suo tempore minimè prætermittat, & extra stata tempora tantum illi det, quantum potest: ne quis sibi persuadeat, ad beatitatem æternam consequendam satis esse, si quis per intervalla globulos precatorios raptim adnumeret, vix ipse satis sciens quid agat. Orationes ejusmodi S. Hilarius *Orationes despicabiles* dixit; cùm despicatui ab illis ipsis habeantur, qui Deo illas tam luridè & nullâ curâ offerunt. Pluribus omnino opus est ad salutis nostræ ingens illud negotium conficiendum. Si Aquila nunc hoc, nunc illo tantùm per intervalla die ovis suis incubaret, pullos suos nunquam excluderet: refrigescerent illa, & modicum illud vitæ, quod maternus calor dare jam occœperat, denuò intermoreretur. Non alia illorum sors erit, qui in salutis consequendæ gratiâ à DEO petendâ negligentes sunt. Illa gratiæ auxilia, quæ jam obtinuerant, eâ proportione langueſcent, quâ eorum orandi studium langueſcet ac deficiet.

VIII. Non desunt, qui satis sibi in salutis negotio diligêtes videntur, si aliorũ illud precibus studiosè commendẽt: nec ego hanc sedulitatem vitupero, dummodo sanctum hoc precum alienarum desiderium vestrasmet preces comites habeat. In his plus situm est: Deus enim, si S. Thomæ asserenti credimus, nunquam certâ pollicitatione addixit, auditurum se cunctos, qui preces pro alijs fuderint: promisit tamen sine ambagibus, auditurum se cunctos, qui pro se ipsis oraverint. *Voce meâ ad Dominum clamavi*; ajebat S. Rex David. Mea, inquit, voce, ut multorum reprehenderet negligentiam, qui alienâ tantùm voce causas suas agunt. Semper plus emolumenti & sperant & consequuntur, qui ipsi ad Principem admittuntur, ut pro se loquantur, quam qui aliorum tantùm linguâ pro se perorant. En igitur, quid hodie vos vobiscũ statuere oporteat, si vitæ æternæ vos tenet desiderium: certum quotidie constituendũ est tempus, hora certa, quâ à Deo salutem petatis vestram, eámque, quàm calidissimis illi precibus ac suspirijs commenderis, quæ respondeant periculo maximo, cui obnoxii sumus, sine oratione pereundi: Sancti illius Regis Josaphati exemplo, de quo Sacræ narrans Litteræ, quòd *timore perterritus totum se contulit ad rogandum Dominum*. Quin etiam cùm illam tantisper interrumpetis, non aliâ causâ ab illâ desistendum vobis, quàm ut alacritate tantò majore & viribus illam restauretis, ut illæ solent hirundines, quæ cùm uno volatu trajicere mare totum non possunt, identidem alarum alteram undis acclinant, ut quiescant; non quiescunt tamen, nisi ut volent.

Ps. 36.

2. Paralip. 20.3.

II.

IX. Non dixerim tamen, satis esse re-

recurrere orando ad Deum, & opem ab eo postulare: opus est iis, quas interim ipse concessit, viribus agere quantum valemus: illorum Gubernatorum more, qui satis non habent auxilia obsessis quibus præsunt, Urbibus aut arcibus postulasse; sed nôrunt, suarum esse partium, nihil interim eorum omittere, quæ præstare possint cum modico illo, quod ad manum habent, militari præsidio, in muris propugnandis, in munimentis reficiendis, in receptibus construendis, in hoste procul à mœnibus crebrarum eruptionum operâ arcendo. Antiqui Hæretici Massiliani errorem istum imbiberant, solâ oratione totum negotium confici, quin ullum aliud adhibeatur præsidium: sed procul ab ejusmodi delirio Sanctissimus Rex David abfuit: eáque causâ, cùm dixisset, se ad stabilem in DEI Domo sedem habitationémque impetrandam à tanto jam tempore preces congeminasse, *Unam petii à Domino*, addidit, se eandem etiam operibus semper procurâsse: *hanc requiram*: *petii oratione*, *requiram opere*: ut Interpretes eum in locum commentantur. Sed hac quoque in re multum mihi negotii cum nonnullis erit, qui eâ in opinione esse videntur, Regnum Cælorum hæreditate, non labore proprio & factis fortibus obvenire. Nec tamen ita se res habet: *Fructum adinventionum suarum comedent*: Ita Justorum quemlibet Vates Isaias alloquitur. Et verò advertite, quàm insigni titulo labores hos Propheta condecoret appellando eos *Inventiones*: ut inde colligamus, quod negotium Salutis ingenio peragi debeat, cogitando inquam, perpendendo, animum ad rem præsentem applicando, non solâ assuetudine usúque sinendo se agi, Barbarorum illorum stolidorum exemplo, qui illud die totâ Numen adorabant, quòd domo prodeuntibus primum se obtulerat. Absit AA. Dilectissimi, absit, ut putetis ad salutem consequendam sufficere nudum hominis Christiani nomen. Id enim perinde foret, ac si Nauclerus sibi persuaderet, nihil discriminis suæ navi imminere, propterea, quòd *Victoriæ* nomine sit insignita. Prô! quàm multæ naves, gloriosis inclitæ nominibus, actæ sunt in lyttes, hæserunt in sabulo, aut pyratis in prædam cesserunt! Necesse est, nihil eorum omitti, quæ præstari possunt; tabulis nauticis vigili oculo observandis incumbere; clavum arte moderari; vela, malum, armamenta cetera loco ac tempori adhibere; certare magnis animis cum ventis, qui oppugnare ausi fuerint, si ad portũ aspiratis; in quo nomen inclitũ ornat quidem navim, promeritis tamen divitem non facit. *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Opera, & rectè facta, nominis Christiani corona sunt, nisi malimus hoc ipsum nomen oneri nobis potiùs, quàm ornamento esse & adjumento.

Hugo in Ps. 26.

Is. 3. 10.

1. Pet. 1. 10.

X. Digna enim vero lacrymis res est, videre quàm parùm aliqui faciant, ut beatitate æternâ potiantur. Omnis oratio ipsis nauseam, omnis devotio, & Religiosa Deum ac superos colendi ratio fastidium parit: & illi ipsi,

qui lucris suis caducis dies noctésque impendunt, semper alacres, semper indefessi, si antequàm cubitum concedant, Deiparæ coronam de genibus texere jubeantur, virium habent nihil: si insuper mane facienti ad aram Sacerdoti adesse jusseris, animo linquuntur. Si quem Medici observent fessum exhaustúmque, etsi Laboris antea nihil exantlârit, id magni mali ipsis prognosticon est. *Gravitas totius corporis, manuum, atque pedum, pestifera.* Ego igitur quid augurer de tam multis, qui æternùm felices esse volũt, quin ullo cruciatu affligi velint, ullam subire molestiam; quique dura quæque, quodvis opus pœnale aversentur, cum dicto: non vires, non vitam ad talia sibi supperere? Illud solùm pronuntiabo, quos nunc Sanctos veneramur, non ita se gessisse. Hi non solùm non existimâruut, ad salutem obtinendam quemlibet laborem, quemlibet conatum sufficere; sed è diverso affirmârunt semper, negotium hoc esse, quod totum hominem postulet: his autem, AA. Amantissimi, habenda est fides, non iis, quæ malus Dæmon suggerit, ut in ruinam impellat. Qui vado flumen transiit, scit quantum eo alveo aquarum sit: qui verò ne extremo quidem pedis calce undas attigit, id profectò nescit. Sancti isti non aliud volvebant animo, non aliis desideriis æstuabant, non aliud precibus suis anhelabant ardentiùs, quàm Animæ salutem in tuto reponere, perinde ac si semper aliquem insusurrantem sibi audirent monitum illud formidabile: *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.* Vobis è diverso nihil minùs curæ cordique est, quàm Anima; omnia alia negotia agitis diligentiùs: sic ut ad illam stultorum Philosophorum Sectam pertinere videamini, qui animam corpoream esse affirmabant. Quin ne tantum quidem sapere videmini; cùm minorem illius, quàm vestri Corporis habeatis rationem, cui fovendo, servando, defendendo tanto plus studii impenditis. Et vos magìs miramini mendacibus illis spebus, quas in nigro ignorantiæ vestræ fundo vobis depingit vestra pigritia & inertia, quàm Sapientium effatis, doctrinâ Sanctorum, & ipsius Christi Servatoris Oraculis? Avertat bonus Deus, Dilectissimi, sic vos per Animam vestram obtestor, non sic agite; non sic pergite, sed sapientem Davidem ducem assectamini, & in tuto collocate negotium, quo de rei summa agitur. *Unam petii à Domino, hanc requiram.* Animæ salutem precibus petii semper ac constanter: nec aliter eam operibus requiram.

Hippoc. lib. 3. Choac. c. 1.

Luc. 21. 36.

Plut. l. 4. de plac. Philoſoph.

XI. Vox illa *Requiram* arcanorum sensuum ferax est. Advertite Sacrum Vatem non dicere, *quæram* sed *requiram*, id est, iterum iterúmque quæram, ut & multitudinem rectè factorum ad salutem necessariorum indicaret, & perseverantiam. An in eâ vos estis opinione, ut existimetis, unâ aliquâ per hebdomadam à cibis abstinentiâ, quâ palatum aliquando fraudetis; modicâ, quam inopi largiamini, si-

stipe, Cælum vobis certò pandi, etsi hæc agatis lethali peccato obnoxij? O vos delusos, si ita cogitatis! Ante omnia opus est, recuperare gratiam, si cupitis, ut operibus vestris æternæ vitæ merces debeatur: cùm debeatur nemini, nisi Dei filio, qualem quidem sola Gratia constituit. DEO solenne est, donantem primò, deinde donum respicere: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus:* non autem eorum more, qui sua præ omnibus spectant commoda; ad munera primò, deinde ad mittentem obtutum vertere. Gen 4. 4.

XII. Nec satis est hæc opera bonâ à radice progigni; multa etiam esse debent. Ad navim adverso alveo deducendam, remus unus non sufficit; multis eam ad rem opus est. Et vos speretis totum impetum pravarum cupiditatum, vitiorum inolitorum, propensionum usu firmatarum, tentationum maximè molestarum, uno aliquo contrario opere, posse vincere ac superare?

XIII. Istud denique *requirere* & non tantùm quærere salutem (*hanc requiram*) invictam in bono constantiam indicat. Quid expectatis ab arbore, quæ ejusdem anni spatio nunc huc, nunc illuc transplantata est? frugum sanè parum. Et tamen his non dissimiles sunt, qui identidem inchoant, & mox à cœptis desistunt; & vix peccato doloris ac pœnitentiæ ope expiato dolorem ipsum suum dolere videntur, & deteriùs, quàm unquam ante hac peccatis se obstringunt. Equidem nescio de his quid pronuntiem. Dubium interim non est, Spiritum Sanctum sinistra de his præsagire, dum ait, inconstantiâ istos suâ victimas destinari Divinæ Justitiæ gladio. *Qui transgreditur à justitia ad peccatum, Deus paravit illum ad romphæam.* Eccli. 27. 6. Quærenda igitur & requirenda est nostra salus bonorum operum fœcundâ perseverantiâ, si assequi tandem illam volumus. *Unam petij à Domino, hanc requiram.*

III.

XIV. Tandem non satis est Cælum à DEO petere orando, quærere & requirere Sanctorum ac piorum operum studio; necesse præterea est, illud quærere & requirere unicè. *Unam petij à Domino, hanc requiram*, perinde ac si diceret, *de hac unare solicitus sum*, ut Bellarminus explicat, *ut inhabitem in Domo Domini.* Hinc illos rideo, aut, ut dicam rectiùs, valde illis indignor, qui ogganiunt, tot se alijs negotiis & occupationibus distineri, ut tempus non suppetat, DEO aliquid, & animæ dandi. Itane tot negotijs, tot occupationibus? Si, quod res est, dicere volumus, non est nisi negotium unicum; quod est, res Animæ in tuto collocare. *Porro unum est necessarium.* Hoc solum negotium momenti alicujus est: hoc solo non de nihilo agitur: alia omnia aranearũ telæ sunt, hoc vanæ magis, quò textæ artificiosiùs, quæcunque tandem illa sint: ut sunt, Exercitus ducere, arces & monumenta propugnare, Provincias regere, Populos sub jugum mittere: nihil sunt omnia. Unius illius negotij causâ à Deo conditi sumus, unius illius causâ conditi servamur. Unde quisquis id non

non agit, ut hoc unico ac summo negotio rectè defungatur, huic frustra lucent sidera, frustra moventur astra, frustra mutuis se pugnis atterunt & tuentur elementa, & quod ad ipsum spectat, cuncta in nihilum redire debent DEI opera, tanquam jam suum ad finem inutilia.

XV. Sed ne progredi quidem in hac Dissertatione per vos mihi licet, tam me in animo vestro ut nullius prudentiæ hominem damnatis. Quid, dicitis, prudentiæ habet, velle, ut nihil agatur in Mundo, quàm negotium unicum, ut nullius rei, præterquam animæ cura habeatur? Si ita est, necesse erit cunctos excedere officinis, agros incultos destituere, familiæ gubernandæ porrò non intendere, & omnium aliorum opetum ac laborum loco, deserta ac solitudines petere, Non hoc ego inculco: hoc petere, hoc quærere, ac requirere salutem Animæ, & unicè requirere, duo dicit. Primò, dicit, quærere ac requirere illam ante alia omnia; quæ est dignatio & honor, qui debetur rebus, quæ suo in genere sunt unicæ. Avicenna scribit, Apes nihil antè suo in alveari extruere, quàm receptaculum, quo Rex earum habere sedem debeat. Has imitari vos convenit. Semper exordium à DEO & ejus cultu ducite. Manè dum è stratо vos proripleis, diem ab ejus ope implorandâ auspicemini. Si mutuis cum aliquo pactis obstringere vos cogitatis, investigate diligenter, ullâne illa DEI Lege sint vetita: si negotio alicui admovetis manus, ad illud feliciter gerendum DEI ante omnia opem exposcite. Matres, quæ uterum ferunt, ubi primùm prole à DEO se donatas advertunt, hanc illi offerant consecrèntque; ubi autem eam pepererint, illam CHRISTO Servatori dedicent, seriò professæ, quòd omnem ad illam divino obsequio educandam, industriam adhibere velint. Hoc est, Deum & Animam rebus aliis omnibus antehabere: & hoc erit non unicam tantùm, sed & unicè propriam salutem quærere. Erit, qui porrò objiciat; tantum temporis precibus dare; tam solicitè ejus honori res singulas consecrare, eorum esse, qui deserto Mundo non habent, quod cogitent, præter Deum; non hominum, qui in Mundo millenas inter turbas & strepitus degunt. Sed fallitur, qui hæc opponit: hâc enim ipsâ causâ, quia qui de Mundo sunt, tot inter turbas, quæ salutem exponunt discrimini, vitam degunt, majori illam curâ procurare deberent, quàm qui Divino cultui mancipati, id instituto & totâ vitæ ratione agunt. Militum proprium est, armis accinctos esse: nec tamen ideò, qui miles non est, cùm scit esse, qui vitæ ipsius insidientur, armis cingi renuit: sed potiùs undique obarmatus incedit, magis etiam, quàm si miles esset.

XVI. Alterum, quod illo *querere & requirere* unicè significatur, est; quærere & requirere salutem Animæ ut finem, omnia alia negotia, tanquam media, ad illam referendo: cùm enim multa sunt, tanquam plures lineæ, ad idem omnes centrum ductæ, non aliter, quàm res una sola considerantur,

tur; juxta illud vulgatum inter Sapientes axioma: *Ubi est unum propter aliud, ibi est tantùm unum.* Belli Ducem illum observate, qui urbi alicui aut arci obsidionem admovit: dormit is, cibum sumit, ambulat, meditatur, cum aliis deliberat: nec tamen ille facit nisi rem & negotium unicum, quòd est, urbem videre suam in ditionem redactam: dum enim aut somno, aut cibo vires restaurat, ideo restaurat, ut cæptis insistat: si ambulat, stationes obit; si meditatur, aggressionem disponit; si aliis loquitur, hanc imperat: verbo, omnes ipsius actiones, dicta cogitatáque omnia unum spectant de ceptâ urbe victoriam. *Ubi est unum propter aliud, ibi est tantùm unum.* Vos quoque hanc ad normam pergere porrò poteritis rem familiarem ad ministrare, artes, quas didicistis, exercere, emere, vendere, permutare, dum modo omnia hæc ad Animam servandam referantur; sic ut non avaritia & habendi cupido ad opus, ad commercia, ad pacta conventa impellat; sed studium servandi vitam, quàm à Deo accepistis, & lucrandi panem in sudore vultûs vestri; quoniam ita visum est Deo, ut vitam portûs pauperem, & multis indigentem, quàm rerum omnium copiâ circumfluentem viveretis. Non dissimili ratione si amatis liberos vestros, si ad vitam tuendam necessaria iis procuratis, non naturali & sensili amore qualem etiam aviculis natura ingeneravit, ad id vos agi decet: alàs eo vos in conatu & studio vincit hirundo aliqua, quæ majori semper solicitudine & diligentiâ pullos suos, quàm vestram vos sobolem, educat & nutrit. Altiùs attollant oculos oportet Christiani in familiæ curâ: id spectandum ipsis est, ut obtemperent Deo, & ad ejus leges vitam componant in conditione vitæ, in qua ab eo collocati sunt, & ad illam naviculam in veræ beatitatis portum deducendam, cujus ipse Navarchos eos esse jussit.

Arist. lib. Topic.

XVII. En rationem, quæ tenenda est in animæ salute, tot inter negotia & occupationes, quas inter mortalia hæc vita ducitur, unicè procuranda. Hanc qui tenuerit, certum eum reddo, certitudine quantâ hoc in genere obtineri potest, eum tandem æternùm Beatum fore. *Hæc est via, ambulate in eâ:* & quò tenditis, securi provenietis: identidem divinam implorate opem, pias sanctásque actiones exercete, & cuncta inter negotia primum & præcipuum locum habeat negotium animæ: sic illam indubiè servabitis. *Is. 30. 20.*

IV.

XVIII. At si fateri lubet, quod res est, AA. Dilectissimi, an ad hanc diem ita vixistis? prehendite normam, quam per me David Sanctissimus offert, & ad illam singulas vestras actiones, totam vivendi rationem sigillatim explorate. Et primò quidem, quàm crebrò interdiu fusis precibus Dei poposcistis opem? Metuo ne integræ nonnunquam lapsæ sint hebdomadæ, quin vel semel illius memoria mentem subiret, perinde ac si ipse nusquam esset. Quoties vel ad prava incitati (quod quidem tempus est,

quo vel ipsa necessitas docere nos deberet, quòd, & quid orandum sit) illius recordati non estis? & tamen subinde bellissimè vos purgâsse videmini, si asseratis, vol imbecilles esse ac fragiles. Æstate, quia major est cordis refrigerandi necessitas, crebriùs respiratis: non dispari ratione aut assiduam, aut frequentiùs repetitam oportet esse orationem, cùm tentamur; hoc enim est illud tempus, quo animus pravi alicujus desiderii, aut appetitionis flammâ exardescens magis ejusmodi caloris temperatione opus habet.

XIX. Transeundo deinde ab Oratione ad opera, expendite tantisper & edicite, quid tandem agitis, ut Animæ vestræ, cujus tantum est pretium, Salus in tuto sit? video vos à primo mane serum in vesperum occupatissimos in procurandis iis bonis, quæ umbræ instar evanescunt: æternæ autem beatitatis consequendæ gratiâ nihil à vobis fieri conspicio. Parùm aberat ab extremis eorum aliquis, qui Francisco Primo Galliarum Regi ab arcanis epistolis fuerat; & lacrymis perfusus hæc ingeminabat: Miserum me, qui plus quàm centum chartæ volumina in exarandis mei Principis Epistolis consumpsi, & tamen ne folium quidem, quantumvis tenue, adhibui, ut in eo annotarem noxas, de quibus me nunc coram Sacerdote deberem accusare! Talibus omnino lacrymis multi deplorabunt sortem suam, si alii deinceps à se ipsis non evadant. Venient ad lineam ultimam, & post acta & cogitata diligenter omnia, ex quibus in eos emolumenti redundat nihil, advertent, se de eo cogitâsse nihil, ex quo tamen uno pendent universa. *Scis ea, quæ tibi obveniunt, diligere, & ipsum te diligere nescis.* S. Euch. ep. 1. Ah! Dilectissimi, excutite denique torporem, qui obrepsit in gerendo negotio tanti momenti, statuite modum tot aliis vestris nil profuturis occupationibus, ut tempus supperat ad habendam denique Animæ vestræ curam. Si rami solo propinquiores non resecantur, arbor nunquam altiùs attolit caput: sic neque vos unquam rectè capietis, quæ Fides vera docet, si non rescinditis tot impedimenta, tot nodos & vincula, quæ vos miseræ huic terræ nimiùm tenaciter alligant.

XX. Nec jam illud occinite: quibus impliciti estis, negotia ex genere suo prava non esse, & quantumcunque avidè ac solicitè intendatis lucris, aliud tamen vos non cupere, quàm quod vestrum est. Sit ita, ut dicitis: non tamen hoc sufficit, si de Animâ servandâ securi esse vultis. Etiam qui vestris in venis meat sanguis, noxius naturâ suâ non est: & tamen, cùm hic redundat, & morbi inde, & non semel etiam mors existit. Ipsa hæc tot ex curis vos extricandi diligentia faciet, ut tempus inveniatis, crebriùs divinum ad Epulum accumbendi, sacras ædes adeundi, sacros Oratores audiendi, Catecheticas institutiones, pias alias exercitationes, more aliorum verè Christianorum, frequentandi: aliàs in vitâ vestrâ rebus omnibus & negotiis locus erit, præterquam Cælesti beatitati obtinendæ

nendæ. Ridiculus quidam Pictor, quem ipsa sua stoliditas celebrem reddiderat, quas pingebat hominum imagines à pedibus ordiebatur; unde nonnunquam evenit, ut capiti in telâ locus non supereſſet. Nolim vobis bilem hac comparatione movere: ejusmodi tamen Pictoribus totæ Provinciæ plenæ videntur: plerique enim opus suum à pedibus inchoant: primæ manè cogitationes non sunt de gratiis Deo agendis; prima opera non sunt ad eum ut Patrem & Dominum agnoscendum; prima desideria non sunt de eo nullâ injuriâ offendendo; sed conferendi se ad labores consuetos, ut equus ad aratrum: nec alterius deinceps tenoris omnis reliqua eorum vita est: unde ad telæ, in qua pingendum esset, extremum venitur. quin locus capiti efformando supersit, cujus lineamenta primo loco oportebat ducere, tanquam rei ex qua partium reliquarum proportio erat desumenda. Intelligitis, quod dico, Dilectissimi, dummodo velitis intelligere. Discite tantisper animam habere loco, quo meretur, primo inquam, qui cunctis ipsi titulis ac nominibus debetur. *Fili serva animam tuam, & da illi honorem secundùm meritum suum.* Eccl. 10. 31.

XXI. Neque verò in animum inducite, fieri hæc non posse, nisi in eremos recedatis, domibus, agris, officinis relictis. Non ita est. Ipsa rectè & ex virtute vivendi diligentia lumen vobis afferet, ut clariùs cognoscatis, quid fieri deceat: magisque indies Divinæ probabuntur Providentiæ labores, quos pro gradûs vestri conditione exantlatis. Mel nulli gemmæ splendorem adimit, quæ in illud inciderit; sed auget potiùs & intendit. Talis est & Dei Spiritus: nullam conditionis nostræ actionem turbat aut impedit, sed perficit potiùs: sic ut homini virtutis studioso melius cedant alia etiam negotia hoc ipso ex capite, quòd nullum aliud negotio animæ præponat. Quamquam quid denique damni in quemquam redundaret, si siniſtrè alia omnia negotia caderent? Salvâ Animâ, nullius rei jacturam feciſſe dici possumus: hâc autem perditâ, quid reliqua proderunt universa? *Quid prodest homini, si Mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matth. 16. 26. Qui adamantem habet annulo æreo insertum, si annulo amisso adamantem inveniat, nihil se perdidisse existimabit: at si amissâ gemmâ inveniat annulum, quam demum sortem suam fuisse existimabit? deplorabit jacturam lacrymis, solatium non admittentibus, haud secus ac si nihil reperisset.

XXII. Hoc igitur pondere anima ponderanda est, pondere inquam Sanctuarii. Hoc eam pondere Christus Servator libravit, etsi non sua, sed vestra esset. Vestrâ pro Animâ preces ille fudit assiduas, lacrymis perfusus est abundantissimis, magnam pretiosæ suæ vitæ partem precibus pro salute nostrâ ad Patrem fundendis impendit. *In diebus carnis suæ, supplicationes cum clamore valido, & lacrymis offerens.*

Hoc est seriò orare, precibus jungere supplicationes, clamorem, gemitus, lacrymas. Sic operibus etiam & factis, Oratione non contentus, quæsivit salutem nostram. Poterat Servator Deus vel unicâ puritissimi ac pretiosissimi sanguinis sui guttulâ abluere omnes labes mille Mundorum, & tamen ille balneum nobis plenum paravit. *Quod potuit guttâ*, Mellifluî verba sunt, *hoc voluit undâ*. Et quâ id causâ, nisi ut palàm faceret, quantâ bonorum sanctorúmque operum multitudine nos Salutem nostram curare deceat? Tandem eandem ille salutem nostram quæsivit unicè, cùm has in terras delatus est: hanc ille omni à se prolato verbulo, hanc omni passu, actione quacunque, omnibus prodigiis, omnibus officiis, cruciatibus spectavit unicè: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Ut & nos disceremus, non aliud æstimare, quàm quod Animæ salutem promovet. Hanc igitur ad normam & ideam perficite ingens illud opus beatitatis æternæ, nec ambigite, quin deinceps illam sitis consecuturi: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Hoc est, ut Bellarminus interpretatur, *quamdiu durabit vita Sanctorum cum Deo*; vita, quæ utique expirabit nunquam. His in terris non possumus dici habitare cum Deo, sed tantùm ambulare ad inveniendum ipsum: *Obsecro ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis.* In Cælo cum ipso habitabimus, ubi per omnem deinceps æternitatem bene precabimur passibus nostris singulis, quos fecimus, ut eò pertingeremus.

10. 10.

Eph. 5.

DISCURSUS VII.

De Præcepto amandi Deum.

Apoc. 12.

MAgnus noster Deus nunquam demonstravit apertiùs se & Dominum supremum & Patrem nostrum longè amabilissimum esse, quàm cùm præcepit, ut ipsum diligeremus toto corde, totâ Anima, & omnibus viribus. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex totâ Animâ tuâ, & ex totâ fortitudine tuâ.* Plus quàm unquam aliàs tum se Dominum ostendit, quando tributi loco Cor nostrum expetiit: plus quam unquam Patrem se ostendit, dum ex cunctis Animi nostri affectibus non alium probavit magìs quàm Amorem. Hoc igitur præceptum velut basi nititur totâ Dei Magnitudine & Excellentiâ totâque ejus Bonitate; unde mirum profectò non

Deut. 6. 5.

non est, quòd vocetur præceptum, primum, præceptum majus omnibus, ìcque ipsum sit breviarium & synopsis totius legis. Latâ hâc lege non semel, sed bis obligamur ad amandum Deum: semel quidem, quia amari Dignus est; secundò autem, quia jussit, ut amaremus. Quare sicut hoc ex capite crevit in nobis amandi debitum, sic non minore proportione crescere debet studium ac cura huic debito respondendi. Propositum proinde mihi est hodie explicare vobis præceptum hoc amandi Deum super omnia, ut implere illud positis ad amussim & integrè: aliàs enim, si infernali monstro simile esset non amare Deum, si id ipse permitteret duntaxat; quàm demum portentosum erit, non amare eum, postquam præcepit, ut amaremus?

II. Idem est inter Animi affectiones Amor, quod Aurum inter metalla; omnibus nimirum æstimabilior, perfectior, puriórque omnibus. Unde Deus ipse cum auro illum comparat, dum sic Animam alloquitur. *Suadeo tibi, emere à me aurum ignitum, ut locuples fias.* Id proinde agam, ut hac Dissertatione & fundum pretiosi hujus metalli, & Lydium ejus lapidem diligenter considerem. Ostendam, inquam, primo loco, quid sit, quídque imperet hoc præceptum amandi Deum super omnia; secundò autem, quo argumento indicióque certò agnosci possit, an sincerè perfectéque illo in Deum feramur.

I.

III. Tanta fermè est mortalium inrebus ad Animam pertinentibus inscientia, ut cùm Amorem Dei nominari audiunt, existiment cum nescio quo alio eâ de re agi: & voces has perinde accipiunt, ut idioma eximiæ tantùm virtutis ac Sanctitatis hominibus commune; sic ut existiment, esse quidem amorem hunc hominis Christiani decus eximium, sine quo tamen dignitatem istam & titulum tueri abunde liceat. Error hic est minimè ferendus! Amor Dei non præceptus tantùm, & imperatus est, sed omnium præceptorum finis, imò finis omnium planè operum Dei, qui sicut nos amat, ut à nobis redametur; ita ex omnibus, quibus nos prævenit ornavítque beneficiis, sive quæ sub aspectum cadunt, sive quæ non cadunt, tributum aliud non exigit, quàm amorem. *Ad nihil aliud amavit Deus*, Sancti Bernardi doctrina est, quàm ut amaretur. *Cùm amat, non aliud vult, quàm amari.* Amoris ergo lex, naturæ lex est, quæ à corde nostro avelli non potest; in quo, cùm ipsius Dei digito exarata sit, non est quisquam, qui purgare se possit, aut tueri ejus ignoratione. Verum quidem est, cùm lex hæc, non dicam deleta penitus, deformata tamen fuerit per peccata, statuisse Deum eandem scriptâ lege reparare ac restaurare: unde in Montis Sinai vertice aspectabilem se præbuit formâ magìs quàm unquam terribili, multis inquam millenis Cæli Geniis tanquam custodibus cinctum: & inter tonitrua, turbines ac fulgura prodigiosa legem hanc millenas inter faces denuo promulgavit: *Diliges Dominum*

serm. 21. in Cant.

Deum tuum. Tandem cùm satis non fuisset legem hanc principio Mundi conditi in cordibus scribere, & eandem denuo post plurium seculorum decursum tabulis ex lapide solido inscribere, decrevit divinus hic Legifer venire ipse, eámque à Cæli sedibus ad nos deferre, id quod iis verbis ipsemet professus est: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Et verò ipsum hoc Ignis vocabulum, quo Servatori nostri placuit affectionem hanc, ut audivimus, indigitare, ut quæ non aurum modò, sed aurum ignitum sit, bellissimè omnino explicat præcipuas Amoris Deo debiti dotes: unde hac maximè comparatione uti constitui, ut hujus præcepti naturam distinctiùs explicem. Sed quia non aliâ ratione limpidiorem haurire aquam concessum est, quàm si quis tantum laboris sibi sumat, ut ad fontem ipsum se conferat, visum est & mihi altiùs aliquanto rei totius originem repetere, ut tanto clariùs illud pernoscamus, de quo agere constitutum est.

IV. Statuendum igitur principio duplex amoris genus esse; prius, Amicitiæ amor appellatur, éstque is, cùm persona aliqua propter se amatur, ut boni in illam aliquid conferatur. Alterum Amor Concupiscentiæ dicitur, qui est, cùm amatur persona non sui, sed amantis gratiâ, non ut in ipsam aliquid conferatur, sed ut ab eâ aliquid accipiatur. Primo amoris genere amici adamantur: atque hic solus Amor est, qui pulchro hoc amoris nomine ex merito indigitetur. Altero illo Concupiscentiæ amore etiam canes & equi amantur; aut, ut loquar rectiùs, ne ipsi quidem amantur, sed in ipsis amatur ille ipse qui amat, bonum inquam illiusmet & emolumentum, aut oblectamentum. Hinc inferre licet, quàm sit abuti vocabulis, dum amantes illos compellatis, qui ad peccandum vos inducunt, & affirmare non pudet, non posse vos non amare, à quibus tantum amemini. Egregium enimverò amorem! Sic & helluo ille leporem amat, quo famam exaturet. Hoc est sibi, non vobis bene velle; imò & sibi, & vobis velle pessimè: cùm plus mali & vobis, & sibi inferat, qui tam turpiter amat, quàm insatiabile & atrociissimum odium, quo totus in perniciem vestrum Infernus fertur, vobis perinde ac ipsis inferre possit. Sed omittamus nunc istud, ne vagemur extra semitam. Præceptum amandi Deum super omnia obligat nos ad amandum ipsum amore primi generis, sui inquam causâ, & amore aut amicitiæ, aut certè Benevolentiæ: non autem amore alterius generis, mercenario nimirum, suorum commodorum studioso, non vero sincerò; qualis est, qui attendit non Dei Bonitatem, sed commoda nostra, nec curat, quàm ipse in se bonus sit, sed quantum ab ipso boni nos sperare possimus. Non istud affirmo, amando DEUM non posse nos nec desiderare, nec petere, nec sperare mercedem nobis promissam; affirmo tamen, mercedem hanc non debere esse caussam, quæ ad amandũ impellat, præcipuam, mul-

multóque minùs unicam. Aliàs si Deum amamus aut unicè, aut præcipuè propter bonum, quod ab eo in nos proficiscitur, profectò convincimur magis amare illud bonũ quàm Deum, à quo illud proficiscitur. Si vir illustris filioli sui nutricem mensæ suæ adhibet, si ferculis pascit lectissimis, si bene se illi velle demonstrat, plus ille boni filiolo suo cupit, cui hac ratione meliore de lacte provider. Non hujus sortis nostrum erga Deum amorem esse decet. Oportet similem esse matris inopis Amori, quæ (ut non unquam evenisse annales memorant) sobolem suam clam expositam in orphanotrophium susceptam, conducta dein ad lac illi præbendum, lactat maximâ suâ voluntate, ut viscerum suorum partum; simúlque lactis illi præbiti mercedem accipit, parata non deserere, etsi laboris illius sui & impendiorum mercedem penitus nullam accipere posset, aut sperare.

V. Tenendum insuper ipsum hunc Amicitiæ aut Benevolentiæ Amorem duplicis itidem generis esse: priorem Appretiativum appellant; Intensivum alterum, aut tenerum. Si vocum harum vim minùs assequi vobis videmini, attentè me audite; exemplo enim allato efficiam, ut illam probè assequamini. Sit Parens, qui filios hebeat geminos: Majorem natu unum jam Sacerdotem, disciplinis egregiè excultum, moribus integerrimum, qui familiã nunc regat consilio, ædificet exemplo, & spẽ præferat minimè vanam, quòd non diu post eam altiùs evecturus sit aut munere & officio lucroso, cui adhibeatur, aut animarum curâ, alicubi stipendio minimè parco administrandâ. Filiolus alter ætate tener sit, bellulus, gratiosulus, lepidus, verbo, Parentum & domûs delitiũ. Fingamus nunc inevitabili necessitate morientum alterutri, sic tamẽ, ut optionem Parenti relinquat Deus, quem vivum velit, quem mortuum. Sic est, non potest non Parens graviter sentire jacturam minoris; nec absq; affectionum acerbâ pugnâ in hujus necẽ consentiet; consentiet tamen, & moti sinet parvulum, ut major natu supervivat. Et quâ id causâ? natu minorem scilicet cõplectitur amore & affectu teneriore: Majorem autẽ natu majore & benevolentiâ solidiore, masculâ, majorisq; põderis, majoris illum faciendo, ac alteri præferendo, ubi ad comparationẽ ventum fuerit. His igitur, ut nunc pluribus explicata sunt, positis, par utiq; esset diligi à nobis Deum supra res cõditas planè omnes, hoc etiam amore tenero, atq; intensivo, quẽ diximus: tanta tamen fuit Dei Bonitas, ut nostram & inscientiã, & frigus miseratus eum nobis imperare noluerit: satis illi fuit, exigere à nobis Amorem illum alterũ æstimationis & appretitationis quo impulsi, cùm occasio se obtulerit, præferamus illum rebus aliis conditis quibuscunque, & eligamus facere potiùs jacturã totius Mundi, si noster esset, quàm peccando divinæ amicitiæ jura amittere. Hoc igitur est amare Deum super omnia, rebus illum cunctis præferre, & nec omnes, nec earum aliquam ejus amori præponere: sic adimpletur illa, *in dextera ejus Ignea Lex*: alitúrque ac conservatur nostro in animo illemet ignis, quem

ut

ut dicebam Servator ipse Cælo detulit.

Deut. 33. 3. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?*

VI. Aptissimus ignis est ad amoris hujus naturam ac indolem explicandam: hic siquidem Rex quodammodo est Elementorum, & perinde ac Cælestis suæ originis memor, infimi hujus Mundi rebus omnibus semper superior esse conatur: Atque ita bellissimè exprimit illam Excellentiam, ac prærogativum Amoris Dei Jus, quo cunctis ille aliis affectionibus, & cupiditatibus debet dominari. Hinc non desunt, qui existiment, non aliâ rectiùs voce præceptum Amandi Deum exprimi, quàm Dilectionis; *Diliges Dominum Deum tuum*: nec enim Dilectio qualiscunque amor est: sed Amor junctus electione: Amor est, quo se in Dilectum suum Sponsa in Salomonis Cantico ferri profitebatur, quem eâ causâ appellavit *Electum ex millibus*: id quod jam pridem S. Thomas observavit, dum dixit: *Dilectio addit supra amorem electionem.* Id ipsum affirmavit Evangelica illa Historia. Quæsivit Servator noster redivivus ex S. Petro, magisne ipse solus Christum Magistrum suum diligeret, quàm omnes reliqui ejusdem Scholæ Alumni præsentes, *Simon Joannes diligis me plus his?* At Apostolus, recentis sui casûs memoriâ consternatus, non ausus est profiteri, talem dilectionem in Animo suo exarsisse; reposuit tantùm, agnoscere se in eo amoris aliquid: *Etiam Domine*, ajebat, *tu scis, quia amote.* Quid autem ad rem hæc facit responsio? Magister de Dilectione interrogat, & Discipulus de amore respondet! Enimverò ingens est geminam hanc inter vocem, quarum tamen utraque idem significare videtur, discrimen, *Amare*, & *diligere*. Amor locum habet in parte etiam Animæ ignobiliore, & idem esse potest cum propensione quadam naturali, quæ, ut fermè Amicitiæ Juvenum solent, fundata sit in simili humorum temperie, & propensionum affinitate, quam genium dicere solemus. Non ita Dilectio, *Diligere est quasi deligere*: est amor æstimationis, amor prudens, rectus, rationi conformis, qui ex notitiâ promeritorum amati progignitur. Atque hoc se flagrare Petrus affirmare non est ausus: hoc autem, Dei nostri Lex de amando impletur: hinc semper amor nobis iste proponitur vocibus, quæ ejus supremam excellentiam dignitatémque significent: *Diligis me plus his? Super omnia autem hæc charitatem habete.* Et Christus ipse servator: *Qui amat Patrem, aut Matrem plus quàm me, non est me dignus.* Animum diligenter ad Christi verba advertite: *Plus quàm me*, inquit: nec enim vetitum est amare res conditas, sed vetitum tantùm est, amare illas plus quàm Deum: id quod contingit toties, quoties lethali se homo noxâ obstringit. Tunc enim quandam Idololatriam operis admittit, cor suum Aram quodammodo constituendo, in quo novum aliquem Deum statuat; illam nimirum rem conditam, quam pluris quàm suum Conditorem æstimat, *Quidquid in dilectionis lance præponderat, Deus est*; ut non solidè minùs

1. 2. q. 26. ar. 3. c.

Colloss. 1. 3. 14. Matth. 10. 37.

nùs, quàm ingeniosè Augustinus ait. At si è diverso animus noster, ejúsque affectio ordine inverso DEUM bonis omnino omnibus præponit, Charitas hæc ordinata dicitur, qualem se experiri illa quondam gloriabatur: *Ordinavit in me Charitatem.* Tum autem, quantumcunque etiam res conditæ amentur, solus tamen Deus ab ejusmodi homine amari dicitur; solus enim amatur ut finis ultimus, res verò conditæ amantur ut media, non plus, quàm quantum ad finem ipsæ ultimum conferunt, aut certè eidem non adversantur; unde fit, ut solus Dsus verè ametur. Qui Medicum amat propter Sanitatem, si dicere volumus, quod res est, solam amat Sanitatem; & qui rem conditam amat tantùm amore Dei, solum Deum amat: & hoc est, illam amare toto corde.

Cant. 2. 4.

VII. Et verò quid minus postulare à nobis Deus potuit, quàm dum postulavit, ut primum illi in animo nostro locum paremus, sic, ut comparatione inter ipsum, & res conditas factâ, pluris illum quàm has æstimemus? An forsan loco hoc dignus non est? An aurum plus justo peteret à nostris stateris, si in illis præponderare cuperet paleis? enimverò par est nos rubore vel ex sola hac comparatione suffundi. Si quis ex inclitâ illâ Esthere quæsivisset: Quid in animo tuo pluris facis, maritumne tuum, & Dominum ac Regem Assuerum, centum viginti septem Provinciis imperitantem, an verò pugillarem luti massam? Ruborem sanè excussisset prudenti illi fœminæ quæstio tam stulta, & summo ludibrio se haberi judicâsset, si audîsset comparationem Mariti sui institui quò injustam magìs, hoc etiam magìs probrosam. Quomodo igitur & anima non poterit gravissimam suam incuriam & probrum interpretari, quòd malum Dæmonem non pudeat exeâ quærere, quem ipsa pluris æstimet, & quem ipsa potiùs habere amicum velit, Deúmne potentem planè omnia, an rem creatam missellam, quæ Deo comparata ne massula quidem est sordidi pulveris, quia est merum nihil? Sancti ferre non poterant, ad tam infamem comparationem veniri: Clamabant illi: *Domine Deus virtutum, quis similis tibi?* Diocletianus Imperator, juratus ille & nefarius Religionis Christianæ hostis, cùm sisti sibi jussisset Clementé Ancyranum Episcopum, & Christi pugilem fortissimum, jussit, ut is Christum ejuraret. Risu explosit insana imperia Martyr inclytus: quare Imperator parte unâ collocari jussit vasa plurima, auro argentóque conflata, vestem pretiosam omnis generis, præfecturarum potestatisque insignia, & quidquid aliud humana vel ambitio, vel cupiditas inhiat. Parte autem alterâ collocari jussit compedes ferreas, enses, cultros, rotas, flagra, craticulas ignitas, & quidquid aliud fortissimo cuique terroris aliquid & horroris incutere potest. Mox ad Sanctum Præsulem conversus: si, ajebat, DEUM tuum ejuras, quidquid hic opum cernis, & quidquid aliud dare Imperator potest, qui Dominus Mundi sit, qualem me nôsti, id omne tuum erit: at si è

diverso pergis eum adorare, quidquid hîc instrumentorum cernis, initium cruciatibus dabit, quos alios ex alijs senties & experieris. Delibera diligenter, & elige. Quid vobis videtur? an stetisse tantisper deliberabundum virum Sanctissimum? Quinimò irritatus comparatione tam indigna, altùm primò ingemuit indignabundus, quòd ad rem tantam, tantillo pretio, ut homo quidam abjectissimus, esset invitatus: tergum mox opibus illis ac divitiis obvertens, omni, quæ proponebatur, prosperitati, protestatus est cum Apostolo, nec altitudinem, nec profundum, non omnem malorum, non omnem bonorum caducorum congeriem tantum unquam habituram virium, ut se à Deo suo avelleret. Animum advertite ad gemitum illum animi indignantis, qui pretio thesaurum æquat; quia in viro Sanctissimo nascebatur ex magna illa Christi Servatoris sui æstimatione, quem rei vanæ ac perituræ conferri æquo animo ferre non poterat. Nec id mirum: *Quando majora minoribus coæquantur*, ut rectè S. Hieronymus loquitur, *inferioris comparatio, superioris injuria est.* Rem tanto superiorem inferiori comparare! est id quidem inferiorem magno honore dignari: at eâdem sanè operâ superior ignominiâ gravissimâ dehonestatur.

VIII. Heu Munde Christiane! ô animi Christum Deum venerantium, quàm non hæc sensa volvitis! prô quàm exiguus eorum est numerus, qui fovendo in animo perpetuam illam de DEO æstimationem, tot nominibus debitam, cùm res tulerit, supremum illi locum constanter tribuant, animi sui decreto firmissimo, faciendi potiùs jacturam bonorum caducorum omnium, quàm DEI, & subeundi omne malorum & adversorum genus, quàm Legem ejus Divinam unquam violandi! Summum quod à plerisque expectes, est; quòd eodem gradu ac pretio Deum, ac res conditas velint habere: æstimare Deum quia dignus est, & æstimare res creatas tanti, quanti illum: sic ut cor suum mensæ instar rotundæ esse optent, in quo omnis, & nullus locus sit primus. Nunc templum volunt accedere, ut Sacerdoti facienti ad Aram adsint; nunc ad domum Amasiæ se conferre: nunc Christum in divinissimo epulo hospitem admittere, aliàs eum foras protrudere, ut adultero locus sit: nunc stipem largiri egenti, mox Principis ærarium depeculari. Verbo, eodem Altari Christum & Idolum statuere. Sed vanæ sunt istæ spes; mox ac partem Orco vultis concedere, totum ille habet. Quærit Sanctus Augustinus, quid tandem causæ esse potuerit, cur Senatus Romanus nunquam se passus sit induci, ut, vel Tiberio Imperatore enixè id cupiente, pateretur Christum DEUM reliquos inter Deos in Capitolio collocari; etsi ea Romæ invaluisset opinio, Sapientis esse omnium & singularum Nationum Deos venerari, & omnium ex æquo favores sibi conciliare? Fuit autem ejus rei, hæc ipsa, quam jam indicavi, causa; Christus non vult parem haberi sibi quemquam

l. 2 Con. sens. E. vang. c. 17.

quam; sed sicut solus ac unus DEUS est, sic solus vult adorari, solus æstimari, quis ac qualis est, solus toto corde amari. *Tu solus altissimus in omni terra.* Illos duplicis fidei mortales, *qui jurant in Domino & jurant in Melchon*; exosus est. Imitantur isti Hebræos veteres, qui jam nec Judæi, nec Ethnici existimabant sic se DEI veri amicos esse posse, ut simul etiam essent amici falsorum Deorum. Sed quo id suo emolumento? Falsis à Numinibus proditi atque deserti, non aliud assecuti sunt, quàm ut verum etiam Deum amitterent.

Ps. 82. 19. Sophon. 1. 5.

II.

IX. Sufficere possunt, quæ dicta sunt hactenus, ut intelligatis, in quo consistat præceptum amandi DEUM super omnia. Pergamus nunc ad quærendum verum lapidem, lydium, ad quem aurum hoc tam pretiosum examinemus. Quo igitur indicio cognoscere licebit, veréne homo Christianus amet Deum amore ejus generis, quod descripsimus? Et en illud: *agere & pati.* Agere, & pati, signa sunt minimè obscura, hunc in nobis ignem ardere. Et ad agendum quidem quod attinet, hoc maximè ignis verus à picto, aut ficto discernitur. Stare potest Aër: stagnare Aqua; Terra quiescere; sed nihil horum Ignis; hic moveatur oportet, agat inquam, aut emoriatur. Hic, inquit Sanctus Gregorius, veræ charitatis est character: *si non operatur, amor non est.* Hinc & Christus tam disertis verbis protestatur. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Atque hac causâ, quisquis è diverso præcepta DEI non servat, etsi Templum accedat, sacrum auscultet, Deiparæ precum coronam texat, etsi pectus tundat, etsi lacrymæ illi, dum concioni adstat, oboriantur, non tamen idcirco notâ insignitur amoris Divini. Et ad hoc diligenter animum advertite; quòd, etsi ille præceptum violet unicum, cætera ad amussim servet omnia, necdum tamen Deum amat, atque adeò necdum amantium Deum mercede dignus est, salute inquam æternâ. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Loquitur hic Christus singulari numero, non plurali, & *sermonem meum* ait, ut nos doceat, unum solum ex præceptis ipsius violatum sufficere ad extinguendum in animis nostris amoris divini ignem, cùm sic jam Deus non omnibus præponderet. Videntur è Christianorum numero aliqui imbuti opinione Rabbinorum quorundam, qui docebant; Animam extremo illo Mundi die judicandam salutis æternæ futuram compotem, si bonorum operum & rectè factorum numerus excedat numerum operum pravorum. Certè & ipsis solenne est dicere. *Aliena non rapio, Deo non maledico, injuriam facio nemini: unum solum peccatum est, quod à me alienum non puto.* Quid vultis ampliùs? Istud abundè est, ut privetur quis amore Dei, qui vita est animæ; *si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Quare sicut solum hoc amoris DEI præceptum totius divinæ legis breviarium est, sic obedientia Deimandatis præstita Synopsis est le-

Hom. 30. in Ev. Jo. 14. 21.

Jo. 14. 23.

gis de amando Deo. Proinde, qui cognoscere vult, an Deum amet, sumat ille in manus Decalogum, & sigillatim præcepta percurrat omnia; mox ad Ecclesiæ præcepta transeat; dein etiam statûs, in quo degit, leges ad unam omnes cogitando enumeret, & si invenerit, in nullo horum se majoris momenti in re defeciſſe, dicere securus poterit: Confido equidem, inveniri in animo meo pretiosum istud amoris divini, rebus planè omnibus præponderantis, metallum. At si secùs, pronuntiet, illud non inveniri.

X. Ad hoc autem quàm maximè animum advertite; cùm repentè ad pravum quid solicitari vos experimini, quid in animum vestrum tentatio ejusmodi possit? tum enim præquam unquam aliàs experiri licet, quo res loco sint. Magnes major minorem trahit; si quis tamen ferrum illi admoveat, omisso Magnete minore, ferro adhæresci, illúdque velut amplexu stringit. Amat quis filium suum, & meritò, est enim alter ipse. Magnes hic major, naturali propensione adhæresci Minori. At si honor DEO debitus postulet, ut filium istum non sinat in Clericorum ordinem cooptari, propterea quòd moribus illum suis esset dehonestaturus, quid is agit? An sacrâ illum veste exuit, & alteri profano ministerio ac muneri addicit? an vult potiùs, ut vel DEI ingratiis in sacratiore illo ordine perseveret? si Clerici illum vestibus exuit, virtute suâ pollet magnes; deserto enim magnete altero ferrum amplectitur. At si induci non potest, ut profanis illum studijs addicat, vim suam magnes perdidit, quia ferrum ad se non trahit; & DEO dignus non est, quia filium pluris, quàm Deum æstimat. *Qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Matth. 10. 37. Quod dixi in hoc filij DEO prælati paradigmate, idipsum de quovis alio pronuntio, ubi de amico, de nominis famâ, de re familiari, & maximè cùm de lucris ex mercimoniis, quibus tam avidè inhiatis, agitur. Verbi gratiâ. Lucrum quis fecit in negotiatione non contemnendum: sed sacer arbiter affirmat, illud justum non esse, atque adeò suum illi reddendum, cui ablatum est; cùm nemini suis ex nummis colligere liceat illum fructum, quem Deus prohibet, dum usurâ interdicit. Jam perpendat quisque, an, cùm hæc audit, omittat deinceps ejusmodi artem ditescendi ex simplici mutuo, & num jam parta reddat? Si & hoc, & illud facit, sincera est in ejus animo & genuina charitas; at si secùs facit, genuina non est, & ad Lydium experientiæ lapidem adultera probatur. O quàm sincerus, & certus lapis amoris, sunt opera! arteriæ pulsu vita deprehenditur: operib⁹ cognoscitur charitas.

XI. Magis etiam Tolerantia illam manifestat, quod erat alterum veri ignis signum; qui ubi materiam semel comprehenderit, flatibus, qui oppugnant, tam non cedit, ut illis ipsis evadat fortior, séque propaget. Placétne igitur experiri, an Dei Voluntas ac beneplacitum plus quàm alia omnia in animo vestro possit? Attendat quisque quo-

quomodo resistat adversis, quæ repentè & præter spem illum adoriuntur? An ex his ipsis magis animatur ad laudandum Deum, an verò etiam ad maledicendum illi abripi se sinit? Hac absque experientia non est facile de amore cujusquam pronunciare. Mulierculæ aliquæ tantùm non conflagrare sibi videntur sinceriſſimæ pietatis flammis, eo ex capite, quòd non sine tenero animi sensu aut commorentur in templo, aut preces aliquas ibi recitent, cùm familiæ gerere curam deberēt, quæ interim nescio quò vagatur. Eccur autem tam facilè hoc sibi persuadent? Non ob aliud, quàm quia tum nemo est, qui ipsis molestus sit. Maritum habent virum bonum, liberi jussis obtemperant, agri rident, cella vinaria abundat, nec loculi inanes sunt. Muteur tantisper rerum facies: moriatur filius; suscitentur lites; grando vineam percutiat; prodeant, qui acerbè & crudeliter persequantur: tum videte, an tenerum illud & suave religionis studium duret; an verò Marianis ad globulos precibus succedant imprecationes & maledicta, & dulcibus pii sensûs in Ecclesia lacrymis, lacrymæ domi iræ & furoris impotentiâ expressæ. Videmus situlā, quamlibet rimosā, quamdiu in putei fundo hæret, perinde aquâ plenam esse, ac est alia integerrima: sed attollite illam tantisper, & tum apparebit vasis fracti ab integro differentia. Sic dum pro voto fluunt omnia, nō est facilè, discernere Dei verè ac sincerè studiosum, amantémque, ab alio, qui in speciem tantùm illum diligat. Opus est illum trahere extra affluentiam commodorum, & tum se prodet, qualis sit; sicut Jobus agnitus est genuinus amator Dei, non cùm deliciis affluebat, & commodis omnis generis, sed cùm in sicco calamitatum & inopiæ, quæ ipsum oppresserunt, est destitutus.

XII. Judicate proin, quàm bellè se purgent illæ, quæ in ipsa adeò Sacramentali sui accusatione reos alios agūt modicæ virtutis ac honestatis, pro eo, quòd se ipsas culpæ obnoxias fateantur. Priusquam marito jungerer, ait ex his una aliqua, ne verbulum quidē loquebar minùs decens ac compositum, at nunc, miseram me! ex quo Marito fero & barbaro juncta sum, cogor omni ferè momento blasphemias effutire. Egregia enim verò excusatio. Tolerantē esse, cùm nihil occurrit adversi! Secundo flumine vehi, nullius negotij est, etiam cadavera aquarum impetu abripiuntur: sed adverso navigare flumine & arte, & conatum non modicū postulat: natare adversùs alveum, non mortuorū est, sed vivorū, qui brachijs strenuè contendunt. Si cujus in animo arderet verus Dei amor, qui hominem Christianum impellit ad obediendum cunctis Dei sui legibus, vel repugnante cum omni pravarum propensionum agmine, naturâ; non ita res procederet: Tolerantia vestra tam nō cederet contra nitentibus, ut vel ex hoc vires sumeret & incrementa. Quare si post hac adversa Deus in ædes vestras immiserit, ut experimentum vestri capiat, si afflixerit egestate, contemptu, molestiis variis, morbis, litibus & controversiis inopinis, sic vos ipsos affari lubeat,

ficut se ipsum Christus affatus est, cùm postremorum illorum cruciatuum tempus immineret: *Ut cognoscat Mundus, quia diligo Patrem, surgite, eamus.* Ut palàm fiat, & mihi, & aliis, quòd amem Deum super omnia, etiam plùs quàm me, macti animo, eamus obviam adversis, quæ nos invadunt, & non contenti excipere illa patienter, occupemus illa desiderando, *surgite eamus.* Generosa hæc animi magnitudo palàm facit, jam devictam esse naturam, & quòd non jam illius sequamur effata ac leges, sed tantùm ea, quæ Deus ac Gratia dictant.

Ioan. 14. 31.

XII. Sunt è Medicorum Scholis qui asserant, aurum potatum dilatare cor, spiritibus illud implere, & animos in periculis, ac casibus adversis subministrare. Utinam nemo non vestrûm granum saltem unicum perfectissimi hujus auri amoris haberet in animo! quàm promptum illi ac facile foret, non magnas illas, quas Deus immittit, molestias, ferre, imò quam jucundum plures ab eo afflictim petere! S. Ignatius Martyr, qui multum ejusmodi auri deglutierat, provocabat tormenta omnia, & objectus Leonibus, à quibus devoraretur, cùm metueret, ne belluæ illæ ipsum reveritæ, ungues & dentes ab eo abstinerent, sicut alios Martyres erant reveritæ, parabat se ad eas proritandas, & contra se incitandas. Istud enimverò aurum erat non ignitum tantùm, sed & probatum: *aurum ignitum probatum.* Haud sanè magni illos ego Christi sectatores facio, qui tamdiu solùm virtuti student, quamdiu suaviter illos ac blandè Deus habet. Hi mihi vetustis januis non absimiles videntur, quæ tum solùm non stridٍent, cùm recens unctæ sunt: pingui autem illâ materiâ, quâ unctæ fuerant, exiccatâ, sonantiùs quàm unquam ante hac stridٍent; vertuntur enim cardinibus rubigine exesis. Horum in persona dicebat olim Psaltes Regius: *Ego dixi in abundantia mea non movebor in æternum.* Et quanto animo, quantâ promptitudine decernebat permittere se Deo, & nullum penitus ejus providentiæ obicem ponere! sed hæc decreta tam sancta concepta erant *in abundantia*, tempore, quo illum Deus cumulârat mille benedictionibus. Expectate tantisper, dum hoc unguentum tam suave, & sensile exaresçat: mox idiomate loquitur alio, & non minùs quàm antea stridet. *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Hoc proinde est inter majora, quæ afferre calamitas aliqua possit, commoda & emolumenta; ut nos in nostri penitiorem notitiam deducat, cùm nullâ aliâ tam verisimili conjecturâ colligere possimus, animum nostrum DEI amore genuino ardere, quàm quando adversa forti animo ferimus. *Qui non est tentatus quid scit?* quæ sunt Spiritûs Sancti verba: quibus indicare vult, non tentatum, nihil scire: etsi enim & disciplinarum, & artium omnium esset callentissimus, non sciret tamen aliquid momenti alicujus; cùm ignoret, an cum illa tot rerum scientia conjunctum habeat Amorem DEI, quo sine docti omnes

Ps. 29. 7.

Eccl. 34. 9.

ac

ac Sapientes, Doctrinâ ac Sapientiâ humanâ, eorum instar sunt, qui cuncta decoxerunt; cùm altero in Mundo ne teruntium quidem valeat, omnis illa fors & summa capitalis, quam hoc in Mundo possident.

XIV. Ejusmodi cogitatione obarmare se oportet, Dilectissimi, in cunctis, quæ sinistrè cadunt, acceptando illa à DEI manu, secúmque ita ratiocinando. Hoc DEI opus est, qui cunctis palàm vult facere, an super omnia ipsum amem: *Tentat vos* Deut. 13. 4. *Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra.* Sic & Gemmarij carbunculum explorant: fenestras omnes, quibus lux intrat, occludunt, & observant, an lucis aliquid in iis tenebris diffundat? Sic mecum nunc Deus agit, dicere quemlibet oportet: *Tentat me Dominus*, eáque causâ stabo invictus, méque verè Christianum probabo: Miserum me, si hoc ad examen non resplendeo ut gemma sincera, sed ut adulterata fulgore destituor! En hæc est anima verè pretiosa, quæ non claro solùm meridie refulget, quando fulgent omnia, sed splendet densâ in nocte, quâ nihil splender, quod luce propriâ sit destitutum.

XV. His igitur geminis indiciis operum, quibus præcepta serventur omnia, & tolerantiæ, quâ ne quidem, cùm adversa undique ingruunt, ab iis observandis dimoveri quis se patiatur, palàm se prodet hic Dei Amor; amor tam nobilis ac præstans, ut tellus hæc nihil habeat, quod conferri illi possit: *Longè, & de ultimis finibus pretium ejus.* Anima, quæ particulam amoris hujus minimam possideat, ditior est, quàm si innumerabiles Mundos à DEO conditos, & qui per omnem deinceps æternitatem, quàm longa est, condi possent, possideret. Hunc igitur Amorem tam sincerum, verúmque, par est nos à DEO petere, quoties illi supplices orando accidimus; hic in cunctis per diem actionibus quærendus nobis est, hic rectè factis, & plenâ perfectâque totius Divinæ legis observatione identidem augendus: *Deum time, & mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo.* Prov. 31. 10. Eccl. 12. 13. Conchas Inter unam aliquam majorem alijs ajunt esse; quam ceteræ, ut suam Reginam ped.sse quæ assectentur. Magna proinde est ejus Piscatoris felicitas, qui suis illam retibus incluserit; neque enim sola ipsa Margaritam sinu condit, nullo pretio satis æstimabilem, sed etiam eâ Reginâ captâ, nullo negotio capiuntur reliquæ, quæ eam sequntur. Huic concharum Reginæ similem existimate, Auditores Dilectissimi, charitatis virtutem, quæ & ipsa in se tanti, ut ostendimus, pretij est, & tanti insuper æstimanda propter omnia, quæ secum affert, bona: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.* Sap. 7. 11. Nulli proinde parcendum est labori, ut prædâ tam optatâ potiamur, & postquam illâ potiti fuerimus, omnem illi retinendæ operam par est nos impendere.

XVI. Sed quid? an hic Christianorum labor, hic omnis eorum conatus

tus est? heu, quèm satis pudebit stoliditatis nostræ ac dementiæ? quis condignis illam lacrymis deplorabit? Non est quidquam his in terris, quod minoris æstimetur, quàm beata ista hæc Charitas, nec est ulla uspiam res, quæ tam facilè projiciatur in quantumcunque levi tempestate, quæ nos adoriatur. Sunt, qui ne expectant quidem, dum procellæ insurgant, & navim quatiant: ipsi in eas feruntur, ut jacturam faciant. Quid his verbis indico? nescio quis, vix à noxis absolutus, eò confestim redit, ubi paulò antè peccavit; cum ijsdem personis agit, quas paulò antè flagitiorum aut socios, aut auctores habuit. Hoc autem quid est aliud, quàm irritare ventos, tentationes inquam provocare? Quin etiam peccare parùm foret: eò venitur, ut de peccato etiam jactare se aliqui non vereantur, & in eo non jam oblectationem solam, sed & gloriam reponant. *Lætantur, cùm malè* Prov. 2. 14. *fecerint, & exultant in rebus pessimis*: sic ut non pauci peccantium è numero, omni pudore amisso, similes effecti sint Junipero, qui spinis suis perinde ac frondium foliis superbit. Fungus inter eos esse videtur, qui insignitè conscleratus esse nesciat.

XVII. Sed adeste animis & auribus, AA. Dilectissimi, nostisne, quid primùm interrogandi sitis, cùm non diu post Divino Tribunali judicandi sistemini? Non aliud profectò, quàm quod è S. Petro quæsitum est? etsi non eodem verborum sensu. *Diligis me plus his?* S. Petrus interrogatus est, plusne Deum ipse diligeret, quàm illum diligerent Apostoli reliqui tum præsentes: *Diligis me plus his?* ex quolibet autem nostrûm quæret Judex, magisne me diligis quàm sodales tuos, quàm omnes amicitiâ, aut sanguine junctos, magis quàm rem creatam quamlibet? Tunc autem quid reponere quivis poterit? scrutamini tantisper animi vestri latebras, & mihi jam nunc anticipatò respondete, qui idem è singulis vestrûm quæro, ut tantò respondeatis promptiùs, cùm eadem quæstio denuo vobis fuerit proposita: Veréne DEUM amatis super omnia? affirmabitis, opinor: sed quomodo verè hoc affirmabit ille, qui, dum merces suas divendit, tenuissimi lucelli causâ identidem pejerat; & cùm vel leviculum damnum acceperit, atrociores in Deum blasphemias evomit, quàm Atheus aliquis, aut Turca? quomodo affirmabit ille Parens, qui ut filium, nil tale promeritum, ad animas alicubi pascendas promoveat, aut pingui Ecclesiæ beneficio locupletet, nec muneribus, nec pecunijs parcit, quia via alia nulla ad hæc patebat? Quomodo hoc affirmabit illa mater, quæ, ut filiæ maritum inveniat, religioni sibi non ducit, eam certissimis perdendæ pudicitiæ periculis exponere, & non nunquam facere, ut matrimonium antè sit consummatum, quàm ratum? Quomodo affirmabunt, amati à se DEUM super omnia, ille Juvenis, & illa Puella, qui, ut votorum suorum fiant compotes, pensi non habent, sanctissimas Dei leges omnes pedibus proculcare? Actiones hæc tam pravæ plus

plus satis ostendunt, Deus minùs, quàm res alias diligi, & Dei loco adorari commoda propria, ambitionem, oblectamenta; hæc ut finem suum æstimando, desiderandóque; ut ipse ad hæc Deus serviat, & peccatis nostris materiam subministret, diu nos in his flagitijs toleret, ut ea quàm creberrimè repetere possimus. *Probatio dilectionis, exhibitio est operis*, igitur ut respondeatur verè, quærenti. *Diligis me plus his?* necesse erit respondere: Non, ô Deus! magis quàm te, amo filium meum immorigerum; magis amo turpia mea oblectamenta, magis paucorum nummulorum lucrum. Itáne ergo non amatis Deum? O vos pro tantis collatis in vos beneficiis ingratos! ô tantum amorem oblitos! prô cæcos penitus ad pernoscendas perfectiones infinitas, quibus Deus dignus est amore, qui limites nullos habeat! *Quantus est excessus amoris, tantus debet esse doloris*, quæ sunt S. Augustini verba: & tamen nostrâ æstimatione Deum ipsum tantilli pulveris acervulo posthabemus!

XVIII. Contra eos, qui tales sunt, torquere hodie cogor terribile fulmen Cælo missum. Detulit illud Paulus Apostolus, cùm tertio è Cælo has in terras rediret. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.* Si quis Dominum suum, Servatorem suum, Deum suum non amat, sit maledictus & execratus, *sit anathema*, multóque magis execratus, si tam non amat, ut offendat etiam; tam illum non laudat, ut maledictis proscindat, injuriâ, quam vel mille Inferni nunquam satis vindicent. Verum est, non torquere Ecclesiam hæc fulmina, nisi in contumaces. Quare, ô chara mea pignora, qui alij à se ipsis evadere deinceps volunt, qui, inquam, tanti posthac volent æstimare Deum, quanti æstimari dignus est, pluris nimirum, quàm res alias omnes, certi priùs mori in ejus gratiâ & amicitiâ, quàm ejus in inimicitiâ & odio vivere, isti, inquam, non erunt maledicti. Sacrum hoc fulmen eos tantùm feriet, qui animum in sceleribus obstinabunt, certi non pluris deinceps facere Deum, quàm ipsum hactenus fecerint, & postponere illum omnibus aliis caducis & perituris bonis. *Siquis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.* Habeat hoc sibi, qui animum ad non amandum obstinat: absit à nobis tanta insania: sed animus deinceps noster speculi instar sit tersissimi, quod vultum quodammodo suum obvertit rei, ad quam repræsentandam formatum est; reliquis autem omnibus, tergum. Amabimus nunc Deum plus quàm omnia, qui unius ac solus in Mundo, nostro dignus est amore.

1. Cor. 16. 22.

N DISCUR-

DISCURSUS VIII.

De Peccato Blasphemiæ.

I. IAm horrendum est Blasphemiæ peccatū, ut in sacris olim Literis non nisi rarò admodū suomet nomine exprimeretur; quasi vel ipsum tam detestabilis flagitij nomen sufficiat ad hominis linguam contaminandam. Ecclesiasticus de Blasphemiâ differens, loquelam mortis appellavit: *Loquela contraria morti*; hoc est, *respondens morti*: indigna, quæ unquā in electo Dei populo audiatur: *Non invenietur in hæreditate Iacob.* Alibi autem Spiritus Sanctus, permutatis vocibus, *benedicere Deo*, per antiphrasin facit idem sonare, *ac Deo maledicere*, *Benedixit Naboth Deum & Regem*: *Benedic Deo & morere*: *in faciem benedixit tibi*: *in faciem benedicat tibi*: eâdem phrasi alibi sæpius utitur: nec id aliâ de causâ, quàm quia Deus, Sancto Joanne Chrysostomo teste hac loquendi ratione tegere voluit Blasphemiæ horrorem, & maledictionem benedictionis quodammodo velo tegere: *Benedictis maledicta velavit.* Hæc autem cùm ita sint, quis non stupore attonitus hæreat, cùm audit, tam olim cautè nominatum hoc Blasphemiæ crimen, hodie autem à Christianis tam nullam adhiberi industriam, non ne nominetur, sed ne committatur? Ita est, Maledictiones DEI tam hodie passim invaluerunt, ut vix, si ita loqui licet, invenire sit aëris palmum, qui tam horrendis vocibus repletus & contaminatus non sit. *O præsumptio nequissima, unde creata es!* Qua tandem in Palude hæc tam pestilens Hydra cunas & natales suos habuit? non alibi sanè, quàm in infimâ inferni abysso. Utinam autem eâ suâ ex cloacâ non emersisset! sed illa, postquam venenato suo halitu regionem eam horroris sempiterni totam infecit, ad has etiam nostras inficiendas ascendit. Vellem igitur hodie lingua mea minus non esset quàm fulmen ad fulminandum tartareum hoc monstrum, & eò denuo dejciendum, unde emersit.

Carth. in c. 24. Levit.

V. Hug. hèc.

3. Reg 21. Iob. 1. & 2.

Hom. 4. de Iob.

Eccli. 37. 3.

I.

II. Et ne vel unus ictus sit irritus, statuamus primò inter nos, quid sit Blasphemia. Sunt, qui se accusent de Blasphemiâ, quia irâ perciti malum aliquod grave Proximo, jumento, gredi Diabolo, rebus aliis creatis imprecati sunt. Profiteor me hodie contra hos non differere: faciam id aliàs, neque verò si rem dicere volumus, hæ Blasphemiæ sunt; maledicta sunt longiùs remota à peste Blasphemiæ, quàm nostrates serpentes distent à Draconibus alatis. Blasphemia igitur est sermo injuriosus Deo, & laudi Dei à diametro

S. Th. 2. 2. q. 13. ar. 1.

metro oppositus. Unde sicut re ipsâ Deus sola mente laudari potest, ita etiam solâ mente potest blasphemari. Sed nos hîc agimus de illo peccato, quod plerumque linguæ ministerio admittitur.

III. Porro hæc Blasphemia, stygiæ instar Amphisibenæ, gemina in capita dividitur, quorum unum altero magis est pestilens. Primum Hæreticalis Blasphemia dicitur, quæ tũc admittitur; cùm contumeliæ, Deo illatæ, malum etiam erroris alicujus contra veræ Religionis dogmata admistum est, ut si quis negaret Deo, quod ipsius proprium est, puta Sapientiam, Potentiam, Providentiam, Justitiam: aut ipsi affingeret, quod in eum cadere non potest, nimirum Peccatum. Sic blasphemant Hæretici, qui Deum faciunt auctorem peccati; inter Catholicos verò sic maledicunt Deo lusores illi execrandi, quos non pudebit nonnunquam furore percitos in hæc verba prorumpere; quòd ne Christus quidem facere possit, ut ludo vincant; usque adeò iratam se sibi sortem experiri: ut nihil dicam de nonnullis ex plebe infima, qui tam dolenter de egestate suâ conqueruntur, ut dicant, malè feciſſe Deum, tantis opibus aliquos cumulando, aliis dando nihil, perinde ac si sapientiùs ipsi res ordinare in Mundo hoc potuissent, quàm ipse Deus; ut olim jactitabat impius ille Rex Alphonsus, dubites, stultúsne magìs, an superbus, quem ferunt dicere solitum, si, cùm primùm Mundus conderetur, ipse adfuisset, multa Deo rectiùs, quàm nunc sibi, constituenda fuisse suggesturum.

Roder. Hist. Hisp. l. 4. c. 5.

IX. Alterum Blasphemiæ genus simplex dicitur, cùm nullum errorem Fidei repugnantem admistum habet; sed eâ solâ impietate constituitur, quæ contumeliam Deo illatam necessariò comitatur. Talis est, cùm iræ impetu contemptim compellatur Corpus Dei: Sanguis Dei: etsi enim & Corpus & sanguinem Deus habeat, quæ nostrâ causâ assumpsit, non tamen assumpsit, ut momentis omnibus à sacrilegis his, & execrandis linguis tam propudiosè tractetur. Duobus autem modis ira hæc exardescere potest, primò quidem rectà contra Deum: & tum communis omnium doctrina est, illas loquendi formulas blasphemiam continere: aut concipi potest ira non rectà contra Deum, sed contra rem aliquam creatam: & de hac duæ sunt Doctorum sententiæ: volunt aliqui, tunc istas voces: *Corpus Dei*, *sanguis Dei*, etsi prolatas impetu contemptum præferente, non esse verè Blasphemias, sed esse noxam minùs gravem, quâ in Reverentiam Deo debitam, & Religionis virtutem peccetur; etsi ratione pravi exempli, quo sæpe aliis est offendiculo, qui eas profert, & ratione periculi, blasphemandi re ipsâ, cui se proferens exponat, nonnunquam etiam tum gravis noxa contrahi possit. Alij è diverso magni nominis & æstimationis Doctores adstruunt, hac loquendi ratione veram semper Blasphemiam admitti, cùm semper eam manifestus Dei contemptus comitetur, etsi ira, cujus præcipiti impetu proferrur, non contra Deum, sed contra rem aliquam conditam feratur.

Sylvest. V. Blasphem. n. 3. Suarez. 1. de Rel. tr. 3. l. 1. c. 6. n. 11. Toletus l. 4. c. 13. n. 6.

V. Si mihi fas esset, hac in controversiâ arbitrum agere, & ferre sententiam, duo libenter assererem. Primum est, sis in Provinciis, ubi pessima assuetudo nimis jam quàm communes fecit ejusmodi detestabiles loquendi formulas, facilè locum habituram eorum Doctorum sententiam, quos primò attuli. Ubi autem sacrilegæ illæ voces, *sanguis & Corpus DEI*, nondum illum amiserunt horrorem, quem cùm pronunciantur, secum ferunt, vix dubitem affirmare, propiùs verò esse, quod alterius classis Doctores tradunt; has enim ad voces, qui paulò religiosiores sunt, horrore perfunduntur, tanquam ad certum Dei contemptum, agnoscúntque per illas multum imminui debitum divino nomini, & ineffabili Verbi, carnem nostram induti, mysterio honorem ac reverentiam. Nec satis est se purgare cum aliquibus: *non cum Deo, sed cum homine, me proritante, mihi res est.* Non, inquam, satis est: impiæ siquidem voces Deum simul, per illas contemptum, feriunt; qui enim illas pronuntiant, Parthorum morem imitantur, qui olim tela in hostem jacere non noverant, quem in terris habebant, nisi priùs illa Cælum versùs contorsissent.

VI. Alterum, quod in re præsenti dicerem, est: etsi præcipiti iræ impetu sic blasphemare diabolicum non sit, *Exodi. 20.* nullâ tamen ratione esse conveniens Christiano: dum, si non aliud, illud saltem Dei præceptũ violatur, quo vetamur *nomen Domini Dei assumere in vanũ*. Unde etsi voces hæ, & iram exonerandi formulæ, blasphemiæ rationem non contineant, quid refert? sunt certè tales, quas deceat longissimè amandare ex ore hominis Christiani, ut quæ ipsis Decalogi tabulis Deo invisæ esse dicuntur: *Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* *Exodi. 20.*

II.

VII. His positis, quæ vobis erudiendis præmittere oportuit; si jam ex me quæratis, quid ego de Blasphemiæ peccato sentiam, paucis vobis respondebo, S. Hieronymi verbis, me illo portentosius aliud nullum invenire. *Nihil horribilius Blasphemiâ: omne quippe peccatum, comparatum blasphemiæ, levius est.* *In Isa. 18.* Quid igitur afferri potest, quo ejus perversitas meliùs innotescat? plumbum & Hydrargyrum metallorum omnium gravissima sunt, in iis enim liquefactis gravissimi lapides supernatant. Talis & Blasphemiæ natura est. Accipite furta, adulteria, cædes, perjuria, prò quàm immania saxa! imo quas rupes & montes! dici possunt ad Cælum usq; apicem porrigere, tam sunt alti; *Delicta nostra creverunt usque ad cælum.* *1. Esdr. 9. 6.* Hos tamen ipsos montes mole ac pondere Blasphemia superat: unde huic immersi tanquam leves supernatarent: *Omne peccatum comparatum Blasphemiæ levius est.* *S. Thom. 2 2. q. 13 art. 3.* Subscribit autem S. Hieronymo S. Thomas in Summa. sed audite ejus rei causam, ne forte rem amplificando ultra verũ auxisse videar. *S. Th. 2. 2. q. 148. ar. 3.*

VIII. Tribus ex capitibus colligi potest gravitas peccati: ex objecto peccati quod admittitur; ex personâ illius, qui admittit; & tandem ex effectis, quæ ex illo admisso consequuntur: ex omni-

omnibus his capitibus peccatum Blasphemiæ quolibet alio, quamlibet enormi & gravi, gravius est & enormius.

IX. Sic autem rem se habere, ostenditur. Primò enim noxæ hujus objectum est, Honoris divini imminutio: *derogatio divinæ bonitatis*; quâ quidem detestabilius excogitari nihil potest. Omne quidem peccatum est aliqua divini honoris læsio, juxta illud: *Per prævaricationem legis Deum inhonoras*: eo tamen cum discrimine, quòd aliis in peccatis divinus honor lædatur non rectà & studiosè, sed velud aliud agendo, dum quis aspernatur DEI legem auferendo rem alienam, totum alienum violando, vitam alteri eripiendo, aut quidvis aliud, quod collibeat, perpetrando: Blasphemia autem divinum honorem rectà, nullo mediante, contemptui habet; éstq; offensæ genus ac injuriæ, quod præcipuè Deo ipsi infertur, & non aliis, quæ pendent ab ipso, ut fit in re aliena auferenda, aut alio quocunque peccati genere, quo Proximi jus violatur. Quale autem hoc, quantúmque sit, quis unquam cogitando assequatur? Qui Civi injuriam facit, dubium non est, quin etiam Principi injuriam faciat: magìs autem eum offendit, qui in ejus servum aliquem injurius est: graviùs adhuc eundem irritat, qui familiarium & intimorum aliquem vulnerat: sed qui Principi ipsi plagam infligere moliatur, prô quanto graviori ille se crimine obstringit, etsi, quâ Princeps undique obarmatus est, loricâ ictum irritum eludat? Est hoc læsæ Majestatis crimen, cui ne quidem in intimis Ecclesiarum adytis tutum asylum patet, & pœnâ planè insolenti, quâ nullum aliud facinus, plectitur; & meritò quidem. Atque hoc est, quod se assequi Heli Sacerdos ostendit, quando sic immorigeros suos filios est allocutus. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* An erit è Cælitum numero aliquis, qui hujus generis rebelli veniam impetrare contendat? Non equidem existimem, novi enim, vel humana in Republica lege vetitum, ne quis læsæ Majestatis reo veniam à Principe exorare laboret. Et hoc summè Perduellium è numero blasphemi sunt. *Quanto* enim, ut docet Angelicus *peccatum contingit ex altiori fine, tanto peccatum est gravius.* Quem autem finem in genere mali sublimiorem præfigere sibi homo potest, quàm ipsummet Deum contumel â afficere, & aliis se formidabilem reddere non timendo, imò irritando ipsum totius universi Monarcham, eúmque tantum non aperto Marte aggrediendo? Et tamen hæc est illa meta, ad quam collimat Blasphemi lingua, ut ante dictum est. *Contra Omnipotentem roborata est.* Rectà Dei contemptum spectat. Hac igitur causâ, non, ut alia peccata, asserêre S. Bernardino, aut ex ignorantia, aut humana imbecillitate nascitur; sed ex pura malitia: ictus est, qui non repercussus tantùm, ut jam dicebam, sed rectà in Deum & tremendæ ejus Majestatis authoritatem vibratur.

S. Tho. 2. 2. q. 13. a. 1. 8. 3. Rom 2, 23.

1. Reg. 2. 25.

L. Quisquis G. ad Iul. Majest.

2. 2. q 75 ar. 3. 6.

X. Atque hæc de objecto Blaſphemiæ. Ab hoc ſi tranſeamus ad conſiderandam perſonam Blaſphemantis, an non quæremus ſtatim: *Quis eſt hic, qui loquitur Blaſphemias?* Quis eſt hic, qui non veretur deſpicatui habere Regem illum, & Monarcham ſupremum, cui res conditæ univerſæ, etiam Cæleſtes illæ nobiliſſimæ, ſubditæ ſunt, & trementes ei adſtant? *Paventes ad nutum ejus.* Eſtne aliud tandem quàm tantillum putredinis, colore illitæ, fruſtum? Omninò, hoc eſt; eſt homo vilis, vermiculus humo ſublatus, ſordidus, abominabilis; homo undique ſtercus exudans, *Homo putredo, & filius hominis vermis.* Et tamen parum eſſet iſtud; niſi eſſet etiam homo ſummis favoribus à DEO affectus. Talis profectò eſt, quisquis Chriſtianus eſt. Quare animum advertite, an non impietas, omnibus quidem blaſphemis communis, immenſum quantum in nobis creſcat animi ingratiſſimi auctario! ſi Mahometi aliquis, ſi Idolorum cultor barbarus, Deum blaſphemet, videtur id, noſtrâ loquendi ratione, Deus ferre ac tolerare poſſe: *ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique.* Sed quòd eum blaſphemet homo Chriſtianus; natus in ipſa DEI Regiâ, verâ inquam Eccleſiâ; nutritus ad Angelorum menſam SS. Euchariſtiæ eſcâ; Chriſtianus Dei amicus ob gratiam, in ſacro Lavacro collatam, ab eo adoptatus in filium, arcanorum ejus conſcius, hæres Regni, obſtrictus ad habendum cor idem cum corde JEſu Fratris ſui natu majoris; ut, repeto, homo Chriſtianus tot beneficiis ornatus Deum blaſphemet, quis tandem quoquo modo ferat? Enimverò prorſus mihi perſuadeo, cunctas omnino, cunctas res creatas, niſi earum impetum divina cohiberet Juſtitia, irruituras in hoc ingrati animi & audaciæ monſtrum, & illud in mille fruſta diſcerpturus.

Luc. 5. 21.

Iob. 25. 6.

Pſ. 54. 13.

XI. In Quibuſcosâ Hiſpaniæ Provinciâ homines duo audaciſſimi & conſceleratiſſimi innexi invicem erant amicitiâ, qualis eſſe ſolet eorum, quos quidlibet audendi licentia copulavit: ſed quàm illi ſibi invicem cari, tam eos exoſus erat Deus ob blaſphemiarum inſaniam & prorervam aſſuetudinem, quibus, vel tantillum irâ perciti minorem habebant rationem Corporis Dei, & Sanguinis, ipſorum causâ profuſi, quàm cœni, quod pedibus proculcabant. Quia autem, qui ponit in Cælum os ſuum blaſphemum, omnem Dei reverentiam exuendo, multò magis, Prophetâ teſte, ejus etiam lingua tranſit in terra, homines contemptim irritando, ambo iſti infelices ac execrati, gravi rixâ ipſos inter ac alios exortâ, vulneribus conciſi in arenâ procubuêre, non tam eorum, quos provocârunt, quàm vindicis DEI dextrâ proſtrati, quæ ſibi ejus pugnæ gloriam vindicare voluit. Vix enim ſceleratam animam uterque efflaverat, cùm undique omnes illius Provinciæ canes eum ad locum concurrere, cadavera illa invadere, certatim diſcerpere, & minimas in particulas ipſa adeò nefandorum hominum oſſa comminuere

viſi

visi sunt. Non dissimili ratione blasphemos omnes cunctæ res creatæ tractarent, & toto è Mundo zizania hæc maledicta stirpitus evellerent, si cùm ad Deum non tacitis vocibus clamant *Vis imus & colligimus ea?* eas Deus non refrenaret ac coh beret illo suo absolutâ authoritate prolato *Non*, quo uti consuevit, antequam tempus messis adveniat: *Et ait: Non.* Et verò an non & vos censetis Impios hoc omni dignos excidio! Revocate quæso in animum, ad quid populum Christianum elegerit Deus, inter tot támque diversos, tantùm non penitus ab eo derelictos, populos. Electus est, ut ante alias Nationes omnes, divinæ Majestatis laudes concinat, in hoc totius universi templo Sacerdotis quodãmodo munere fungatur, & linguâ suâ non aliter, quàm vivâ acerrâ utatur ad laudum incensum Deo adolendum: 1. Pet. 2. 9. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Et ipsam hanc linguam, cujus est, divinarum perfectionum & magnitudinis illius immensæ præconem agere, tantâ ipse est protervia, ut tollere contra Deum & animare non vereatur, ad exufflandum in Dei faciem anhelitum tam putentem, támque pestiferum, ut hoc magis fœtentem ne ex ipsis quidem fœtentissimis Orci cloacis haurire posset? Prima pars, cujus dominium sibi vindicare in initiali illo Baptismi lavacro Deus voluit, lingua est, ut nôstis. Neque enim cùm in Templum infantulus abluendus defertur, mox sacras undas capiti Sacerdos affundit, quibus purgetur à sordibus: sed primò ori tantillum salis, ritu solemni consecrati, inserit, quâ cæremoniâ illud significare nobis vult Ecclesia; linguam ejus, qui Christo nomen dat, debere esse sapientem, moderatam, unicè addictam gloriæ divinæ propagandæ, ut rem ejus cultui jam sacram dicatámque. Quis proinde in totius Cæli oculis horror erit, videre hominem Fidelem, linguâ, tot titulis Deo consecratâ, abuti ad eum magis, quàm malus ipse Dæmon possit, ludibrio & contemptui habendum?

XII. Neque verò hallucinor, AA. dum assero blasphemos Deum majori ludibrio habere, quàm ipse Dæmon habeat. Dæmon siquidem non nisi animo Deum blasphemat; hi autem perfidi non animo tantùm, sed linguâ etiam id præstant, stygii sui Parentis eâ re desideria executi: *Vos ex Patre Diabolo estis, & desideria ejus vultis perficere.* Dæmon siquidem, qui animo tantùm injurius in Deum esse potest, id unicè desiderat, ut sit, qui alio etiam modo, & scilicet voce ac linguâ, illummet despicatui habeat. Præterea Dæmonum blasphemiæ ac maledicta in Deum, culpæ quidem sunt; sed insuper simul habent rationem pœnæ; ac proinde si considerantur ut pœnæ, ex his quoque aliquid gloriæ Deus obtinet; non secus ac Judicis gloria est, impiorum à se supplicio affectorum improperiis proscindi. At Christianorum Blasphemiæ meræ culpa sunt: Unde in his nihil Deus habet, Ioan. 8. 44.

habet, quod ipsi placeat, etsi ipsi hi impii inveniant, quod ipsis placeat; qui eò nonnunquam impietatis proficiunt, ut sese de iis jactitent, ut Monstrum illud septiceps in Apocalypsi factitabat, quod singulis capitibus blasphemias suas, tanquam coronas, imposuerat, adeò in iis sibi complacebat: *super capita ejus nomina blasphemiæ.* Denique si maledicunt Dæmones Deo, maledicunt promeritis ab eo supplicijs mactati, & ictuum atrocissimorum vim atrocitate maledictionum & execrationum quodammodo compensant. *Blasphemaverunt Deum cæli præ vulneribus suis.* At Christiani, toto orco deteriores, quid faciunt? maledicunt Deo dum illis blanditur; illam ipsam manum amantissimam, quæ cuncta largitur, invadunt & lacerant, illa ubera mordicus apprehendunt, quibus suavissimè lactantur. Quis igitur canis majorem in rabiem agi potest, quàm ille, qui non solùm Patremfamilias mordet, sed etiam tum mordet, dum panem hic illi porrigit?

Apoc. 13. 1.

Apoc. 17.

XIII. Memini me legere de Populis Athlanticis, fuisse illos tam barbaros & inhumanos, ut Soli eorum supra horizontem exorto maledicerent. Movit me initio vehementer, non nego, ejus rei indignitas. Subinde tamen ejus causam vestigando assecutus sum: *Usti*, scribit de iis Historicus, *undiq; torrente sidere odêre Deum lucis.* Verberat miseros continuò Sol radiis tam ardentibus, quàm ullam uspiam plagam adurat: unde si malè illi dicunt, miseratione digni sunt; cùm ab eo se pessimè torreri, & aduri sentiant. Sed quid vester sensus foret, si harum nostrarum Regionum inquilini Soli maledicerent? nostri, inquam, gentiles, qui sub *Zona* vivunt, quæ Solis radios experitur tam temperatos, qui beneficia ab eo accipiunt tam multa, ne petita quidem; à quo tantùm accipiunt virium, tantum opum, tantum oblectamentorum, ac deliciarum, valetudinem tam firmam, & constantem? an non barbaries hæc foret non ferenda? Jam prospicitis, quid comparatione istâ spectem. Mali Dæmones pessimè volunt, & precantur Soli divino, cùm in eos diffundat non radios tantùm vehementer calentes, sed ardentissima iræ ac furoris sui fulmina: ac proin si rabie in Deum vehementer effervescunt, id mirandum non est: *Usti undique torrente sidere, oderunt Deum lucis.* Sed nos Christiani, Fidei sinceræ lumine ab eo collustrati, locupletati tantâ gratiâ, ad tam Sublimem electi gloriam, tot salubrimarum inspirationum influxibus adjuti recreatique, unquámne poterimus linguam nostram movere ad diras & maledicta contra Solem tam benefi-cum: *Væ provocatrix & redempta Civitas!* Væ tibi, Populo Christiane, qui cùm te videas tam multis cruciatibus, tam copioso sanguine, amore tam inexplicabili à Deo tuo redemptum, audes tamen irritare eundum linguâ tuâ perversiùs & atrociùs, quàm id faciat execrabilis Dæmonum turba, quos redimere non est dignatus! væ tibi misero, væ, *Væ provocatrix & redempta Civitas!* Quid ages ad restau-

Solin. v. 34.

Sophon. 3.

randam

randam amicitiam, quam cum eo in sacro Lavacro contraxisti, dum eandem nunc tam perfidè & protervè frangis? 22, 26. *Ad amicum, etsi produxeris gladium, non desperes*, Ecclesiastici verba sunt, *est enim regressus.* Fili, si repentinæ perturbationis impetu abripi te permiseris, ut stricto pugione peteres amicum, noli confestim spem omnem ponere; nam etsi amicitiæ vulnus gravissimũ inflixeris, non est tamen plaga, quæ curationem non admittat: *est enim regressus.* At si amicum læsisti in honore, contumeliâ afficiendo, & infamiæ notam inurendo, enimverò non haberem, quid tibi suggererem consilij; hoc enim esset lacerare vestem non consutilem, quæ acu filóque iterum consui non potest. *Ad amicum est concordatio*: sed audi ad rem nostram, quo casu sperari id non possit: *excepto convitio, & improperio.* Est autem Blasphemia *convitium* æquè ac *Improperium*: *convitium* quidem, propter contumelias, quas in Deum jacet blasphemus; *improperium* propter injurias, quas illi maledicendo exprobrat. Non id quidem Spiritui Sancto propositum est, his loquendi formulis, ut ad funem & desperationem omnis veniæ Blasphemos adigat, ostendere tamen vult, malum hoc esse, cui non tam promptum & expeditum sit remedium, ut sibi forrè non pauci eorum persuadent: unde ad id re ipsâ consequendum opus est, ut ad Medicum Omnipotentem confugiant studio longè ardentissimo; cùm hujus dextræ nulla sit incurabilis plaga, etsi aliàs talis habeatur. *Qui sanat omnes infirmitates tuas.* Atque ita apparet horrenda illius, de quo nobis sermo, peccati gravitas in ore hominis Christiani, ex illa malitiæ profunditate, quam Blasphemia in se continet, & ex sublimi illo gradu, è quo homo Christo in Baptismo initiatus, præceps deorsum ruere non formidat: *Propter magnitudinem peccati, & propter altitudinem dignitatis.* Supereſt caput tertium, ex quo Blasphemia culpâ quavis aliâ funestior & detestabilior dicitur; sunt autem effecta illa funesta, quæ caudatum hoc sidus ut infaustam appendicem post se trahit. *Gravitas peccati triplex, ex materia, ex parte peccantis, & ex effectu consequente.*

Ps. 102. 3. C. 0. dist. 40.

XIV. Duplicis autem generis hæc sunt effecta, alia culpæ, pœnæ alia. Ad culpam quod spectat, peccatum hoc publicum est, quod ignit instar serpit; eâque causâ lingua blasphema verè dici potest *lingua inflammata à gehenna*: ejus enim idioma non tantùm ut ignis, sed ut flamma propagatur. Discunt id natn minores, quia audiunt ex majoribus: proficiunt Dominorum magisterio famuli, & Parentum verba parvuli balbutientes imitantur, jámque hæreditas est, quod ut luem oportebat abominari. Quare si propagati incendij reus est, qui ignem suum accensum custodivit negligenter, quomodo non magis illius reus erit, qui deditâ operâ illi spargendo manum commodat? Hoc autem est, quod impii isti blasphemi præstant. Unde

C. leg. antiq. tit. 2. l. 3. in leg. Vi-sigot.

quomodo fieri poteſt, animas eorum non eſſe conditione deterrimâ, dum non ſuis tantùm, ſed alienis etiam noxis ſunt oneratæ? *Blaſphemare faciunt nomen Domini*: Non contenti ſuo ore DEO maledicere eos etiam, qui eatenus id neſciebant, peſſimam DEUM blaſphemandi artem edocent.

XV. Sed hoc mali genus eſt, quod Impiis parùm terroris incutit; noxarum ſuarum habere imitatores. Magis forſan terrebuntur pœnâ, cui ſe obnoxios reddunt, eò quòd Patriæ exitium ac peſtis ſint: pœna, quæ eos exoſos omnibus, omnibus execrabiles, plùs quàm ullum aliud Impiorum genus, meritò reddat. Pictores, ut ventos magis furentes coloribus exprimant, capita pingunt, clauſum intus ſpiritum plenis buccis conatu maximo exufflantia, Sed hoc pictoriæ artis commentum eſt, ad quod adiguntur neceſſitate illâ, quâ ſubjicere oculis debent, quod omnem ceteroquin aſpectum fugit. Ceterùm aliis omnino è buccis, turbines omnes, omnes tempeſtates oriuntur: tales autem ſunt buccæ blaſphemantium. Si animum advertere volumus ad caſus ſiniſtros, qui ſus déque vertunt patriam, ſi bella, morbos, contagionem, ſtrages irreparabiles alias, facilè videbimus, non aliunde ventos tam turbulentos & perniciabiles crebriùs aſpirare. Illud ſaltem certum, Imperatorum decreta Blaſphemias trium graviſſimorum malorum cauſas agnoſcere: *Propter Blaſphemias, & fames, & terramotus, & peſtilentiæ fiunt*; cùm Divina ſe Juſtitia contra hos inſanos honoris ſui aggreſſores armet, ut non ſolùm ſtirpem eorum & poſteros diſperdat, tanquam exitialium viperarum progeniem, ſed ut cum ipſis non rarò Nationes totas extirpet. Unde hortante S. Chryſoſtomo, cùm quis blaſphemum os diducere auditur, par eſſet cunctos accurrere ad illud obturandum, tanquam portam, per quam omne genus malorum irrumpit. Verba S. Doctoris ſunt: *Obſtruamus eorum ora, & tanquam fontes mortiferos occludamus, ut penitus evaneſcant mala, quæ Civitates comprehenderunt.* Vanum eſt ſperare, Dilectiſſimi, fore, ut unquam res ſecundo curſu fluant, priùs quàm buccæ hæ, tot tempeſtatum cauſæ, obturentur. Obtulit ſe aliquando videndum Deus Roberto, Galliarum Regi religioſiſſimo, qui Regno ſuo pacem eſſ ctim ab eo expoſcebat; & in hæc illum verba allocutus eſt. Roberte, pacem priùs non habebis, quàm Regno tuo Blaſphemos expellas. Quare ſi lites vos exhauriunt ad fundum, ſi mures, cicadæ, grylli ſparſam ſementem populantur, ſi grando vaſtat vineas, morbi ac lues familiam pauca ad capita redigunt, nolite mala duntaxat veſtra & noxas deplorare, ſed fontem etiam inveſtigare, ex quo mala tam dira promanant. Et fortè non longè eundum erit, ut hic inveniatur: incidetis confeſtim in famulum aliquem ſceletatum, aut filium ſacrilegum, qui tot aliis nefandis libidinibus auctarij inſtar addat Blaſphemiam. Hîc igitur ſiſtite. *Ne deſinas ab homine iniquitatis, qui addit*

Hom. 1. ad Pop. antioch.

Lev. 24.

Lev. 24.

Authent. ut non luxurie tur hom.

Iob. 34. 37.

addit super peccata sua blasphemiam: jam enim calamitatum, quæ vos premunt, originem detexistis: obturate os illud sacrilegum & scelestum; expellite vestris ædibus famulum, filium castigate, & confestim cessabunt siniſtri illi casus; id autem nî fiat, denuntio vobis, quòd nec vobis secundæ res ituræ sint, nec ipsi etiam Patriæ; etsi nullius consciæ sceleris, quidquam jam ad votum cessurum. An nescitis, jussisse in Levitico Deum, ut blasphemos omnis certatim populus lapidibus obrueret? *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo.* Levit. 24. 15. Jubere poterat DEUS, ut tanti flagitii rei manu carnificis strangularentur, agerentur in crucem, jugularentur, capite truncarentur, quis dubitet? Nihil autem horum præcepit; sed præcepit, ut obruerentur lapidibus, & quidem à tota populi multitudine, cunctis in id operam suam conferentibus: ut constaret omnibus, tollere è medio blasphemum aliquem, non privatam, sed publicam causam esse, in qua certatim cuique laborandum esset ad alios incolumes servandos. Hinc etiam non eos tantùm, qui Civium erant è numero, sed peregrinos, sed eà tantùm inter facientes, saxeâ hac grandine eodem modo necesse erat opprimere. *Lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille Civis, sive Peregrinus fuerit.* Levit. 24. 15. Tantum malorum afferre potest integræ Provinciæ, etiam qui tantùm illac transeat, blasphemus. Vos interim denuò perpendite, quàm perniciabilis hominum fæx ista sit, quæ tantum damni affert iis, qui hospitio eos recipere non dubitant! Nemo non videt, Exulum primipilos, quos divina Justitia suos in catalogos retulerit, esse blasphemos: nec enim satis illi est, vocare eos ad supplicium, sed cum ipsis ad pœnas vocat, qui vel in Civitate eos suâ tolerant, ne dicam, qui domo ilios recipiunt.

XVI. Nec tamen hæc, quæ ipsos hoc in Mundo manent mala ac pœnæ, (ubi omnibus horrori debent esse, & abominationi, sic ut quisque quàm longissimè eos à se habere omni conatu debeat) vel sola sunt, vel præcipua: sed majora & atrociora sunt, quæ ipsos in Mundo manent altero, in quo aliud profectò, quàm extremam perniciem non habent quod expectent. *Homo qui maledixit Deo suo, portabit peccatum suum*: Sic Deus pronuntiat: nec enim infelix, peccatum suum post se hoc in Mundo relinquet, ut relinquunt illi, qui sincerè de admissis sub finem vitæ dolent, sed secum illud alterum in Mundum deferet. Quò autem deferet? ad abyssum illam usque inter Dæmones, inter æternùm damnatos, à quibus illud, si dicere fas, velut commodatò acceperat. Neque hoc divinantis tantùm augurium existimetis velim. Omnium vox est, quòd sicut semper in DEI laudes effusum esse, argumentum est faustissimum beato Cælitum Catalogo annumerati, juxta illud: *Benedicentes ei hæreditabunt Terram*: sic è Levit. 24. 15. Psal. 36. 22.

diverso Indicium nimis quàm funestum æternæ Reprobationis est, DEO maledicere, ut mox idem Vates Regius addit: *Maledicentes autem ei, disperibunt.* Et verò, quænam alia, quàm Infernalis progenies illa esse possit, quæ non alio Idiomate utitur, quàm illo, quo totus infernus solo loquitur? O Blasphemi infelices! apparet enim verò plus satis, quàm pertineatis ad Patriam: lingua enim vestra manifestos vos facit. Jam lata est à DEO contra vos sententia: imò à vobis ipsis lata est, cùm vestra vos lingua impios, conscelcratos, sacrilegos, ingratos, Damnatis suppares, Dæmonum æmulos, Præcursores Principis Blasphemorum, quem olim tellus Anti-Christi titulo spectabit, esse convincat. *Imitaris linguam blasphemantium*; non est aliud quod exspectes, *condemnabit te os tuum.* Iob. 15. 5.

III.

XVII. Sed ne Reos hos damnemus inauditos & tam formidandam contra eos feramus sententiam, audiamus, quid illi ad se purgandos afferre soleant. Sunt autem excusationum ejusmodi duæ potissimum: prima est prava assuetudo, altera præcipitis iræ impetus. *Vellem*, inquit eorum nonnemo, *non blasphemare, sed ita assuevi, nec emendare me possum.* Ad istud quod spectat, non ego negaverim, si nonnemo proferendis injuriosis in Deum verbis assuetus mediis utatur ad abstinendum ab iis, quoad ejus fieri potest, contingere haud difficulter, ut nonnunquam aut perturbationis impetu, aut assuetudinis suæ pravæ vi sic obruatur, ut prorumpat in voces blasphemas, quin peccet, deliberationis sufficientis defectu, juxta illud: *Est qui labitur linguâ, sed non ex animo.* Aut si peccat, leviore duntaxat noxâ se obstringat. At si is, pro eo, quòd odio in assuetudinem suam feratur, & mediis ad illam evellendam idoneis aptísque utatur, eam repetitis identidem actibus, nullâ emendationis curâ, auget, affirmo, quòd assuetudo prava tam non elevet rationem culpæ, ut plus potiùs in eam malitiæ diffundat. Quàm bellè se purgaret fur ille, qui sic Judicem alloqueretur: Ne me, quæso, jubeas in furcam agi, jam enim diu est, quòd furtis assuevi. Quin vel hac causâ, reponeret Judex, dignus esses non uno pendere è patibulo, si è pluribus simul pendere posses; quia alienæ rei rapiendæ assuetus plus noces quieti publicæ, & illam gravius nocentiúsque perturbas, ut rem verbo, peccare ex assuetudine inveterata, est majori animi virtúmq; contentione, atque adeò atrocius graviúsque peccare, ut pridem Angelicus affirmavit. Eccl. 19. 17.

XVIII. Ad præcipitem iræ impetum, quo alius quispiam linguæ suæ temeritatem excusat, quod spectat, dubium non est; illam Blasphemiam, in quam ex fastu & tumore animi quis prorumpit, ut magis consultò cogitatóque profertur, ita haud paulò detestabiliorem esse illâ alterâ, quam quis animi, iracundiâ perturbati, impetu effurit. Tamen quæ vesania est, id evincere velle, contumelias 2. 2. q. 156. ar. 1.

in

in Divinam Majestatem jactas satis purgari ex eo, quòd animo ad indignationem commoto prolatæ efferantur, cùm ejusmodi indignantis animi impetus verba injuriosa in hominem prolata non excuset? siquis irâ atrocissimum in nostrûm quempiam convicium jaciat, an nullo injuriæ sensu altùm dissimulans omnia? an non potiùs sæpe pro responso aut pugnos, aut pugionum ictus reddimus? Et omnem culpæ rationem contumeliæ Deo illatæ tollat iracundia? Fingamus infimâ ex plebe homuncionem aliquem, qui sordida oris incrementa Principi in faciem expuat, & factum excuset, cum dicto, se tussi laborare: an ideò facinus non luet? An non exprobrabit neglectam omnem observantiam & omnem humanitatem princeps, dicétque: Mortalium irreverentissime, an angulus deerat, in quem putida tua phlegmata ejiceres; aut an alius toto conclavi Regio locus illi dignior tibi visus non est, quàm ego Princeps tuus? Si autem meritò sic in hominem invehetur homo, quid Deus omnium Dominus reponet protervis illis, qui existimant, se infernale suum idioma purgare abunde posse excusatione tam frivolâ, qualis est hæc; blasphemâsse se quidem, sed iracundiâ impulsos? Quid, inquiet, cùm trepidi, pallentes, palpitanésque ejus tribunali jam adstabunt? Quid? hominum impudentissime, an aliter exonerare iracundiam tuam non poteras, quàm sordidissimo ore tuo conspurcando divinum Corpus, divinum Sanguinem meum? illum inquam Sanguinem, cujus vel guttula unica immensum quantum pretiosior est rebus omnino conditis condendísque omnibus? adeóne despicabilis tibi evasi, ut opinione tuâ tellus hæc non habeat vilius quidquam DEO tuo, Conditore tuo, Servatore tuo? Quid tunc reponent illi, quibus tam horrenda sacrilegia serviunt pro signo sensûs ex molestiâ percepti? Nunc ipsi sic rem istam accipiunt, ut ipsi volunt; tunc in id intentos esse oportebit, quomodo & quo sensu eam Judex ipsorum sit accepturus.

XIX. Non id, inquiunt, his verborum formulis agimus, ut Deum despicatui habeamus, sed ut justum metum incutiamus subjectis, utque hi rem seriò agi certi sint. Itáne, Dilectissimi, verba hæc perfidi Sacrilegii plena, prudens aptúmque ad finem hunc consequendum medium vobis videntur, verba, inquam, quibus indigniora, atrocissimi, perfidiæ veneno turgidi, rabidi indomitíque, qui uspiam sint Cæli hostes, evomere non possent? *Dæmones ad Christi nomen exhorrescunt*, Sancti Gregorij Nazianzeni verba sunt, *nos verò Nomen adeò venerandum contumeliâ afficere nõ veremur.* Ideóne Servator noster Jesus Corpus induit, ideò suum profudit sanguinem, ut liberis, uxori, ancillis, famulis terrorem incutiant? Probaretis vos illius stoliditatem, qui ut aves à seminibus terriculamento abigeret, Sacerdotis aut sacrificantis, aut Orat. 21.

aliis ritibus defuncti, pretiosissimas vestes & pulcherrimas, è pertica suspenderet? An unquam ad finem tam sordidum abjectúmque id ipsi permitteretis, quasi centones alii sordidi, lacerique domi non sint ad ejusmodi simulacra vestienda? An alia verba desunt, ad bilem exonerandam, & familiares ad officium compellendos idonea, si res ita postulet, quin Cælum contumeliis lacessatis? An autem vera insaniæ hujus causa comperta vobis est? Non iræ impetus, non alios ad officium adigendi necessitas vera hujus rei causa est; sed modicus ille Dei timor, modica, aut nulla supremæ illius Majestatis infinitæ cognitio:

Hom. 26. ad Pop. *Nescitis, quid sit Deus, & quali debeat ore vocari*: ait S. Joannes Chrysostomus. Cùm quis nos contemptim & nullâ reverentiâ nominat, non absque justo convicio illi ingerimus, ut pergit idem Sanctus Doctor: *Os tuum ablue, & ita commemora*: & nos ore impuro non verebimur Sanctissimum DEI Nomen pronuntiare? Protervi illi & impudentes, qui Christo in Crucem suffixo maledicebant, maledicebant illi, negare non possumus, liberè & respectu nullo: sed quâ causâ? eâ, ait S. Ambrosius: quia transibant tantùm, nec aliquam in eo contemplando moram trahebant: *Pratereuntes blasphemabant eum.* Si stetissent aliquantum miseri, & perpendissent, ipsas illas tam crudeliter perforatas manus, lumen olim dedisse Soli, & nunc eidem illud eripere, ut tenebræ ante tempus ingruerent; enimverò non blasphemâssent Dominum tantæ potentiæ; sed percussissent potiùs pectus suum, & confessi, eum, qui jamjam in trunco illo expirabat, verè Deum esse, veniam admissorum à se scelerum supplices potiùs rogâssent, quàm ut sibilis illa suis ac cachinis congeminarent. Nec aliud ego ineptissimas ad excusationes repono. *Blasphemo iræ impetu.* Itáne, itáne iræ impetu? si perpenderes Deum illum à te tam protervè & inhumanè contemptum, esse illummet ipsum, qui te produxit è nihilo, qui momento omni alit conservátque, qui te tuetur, qui amore tam benefico te redemit, sanguine suo in lytrum oblato; illuminet, qui non diu post Judex contra te feret sententiam, & sepulchro te, si ita collibuerit, ignis sempiterni condet, enimverò sanctè assero, te pro eo, quòd sanctissimum ejus nomen conviciis proscindas, aliud non facturum, quàm gemitibus, clamore sonoro, corde dolentissimo, misericordiam flagitaturum. Sed quia horum nihil in mentem revocas, nihil seriò cogitas, hinc preces supplices maledictis mutas: *Pratereuntes blasphemabant eum.* *Matth. 22. 39.*

XX. Cùm pauculorum assium litem quis movet, video vos solicitè eâ cogitatione defixos, quomodo oblato aliquo munere concilietis Judicem, Patronos inveniatis, causæ momenta inculcetis, vos, vestrum negotium, vestra emolumenta ad nauseam & fastidium usque commendetis. Interim ita sic vos in transversum agit, ut jaciatis in Deum contumelias & convicia, etsi non ignoretis, esse eum vestrum

strum Judicem, & Judicem in causâ, quâ agitur de malo, quod caret omni remedio, Judicem severum, Judicem summum, à quo appellare & provocare non liceat. Equidem ne quis blasphemet ut perfidus Apostata, satis
In Ann. Soc. est credere ut verè Christianum. Consceleratus quispiam aliorum flagitiorum cumulo istud addiderat, ut blasphemias etiam sibi redderet familiares. Detinebatur in vinculis in urbe Mexico ipsâ Christi Servatoris Cruciatibus recolendis sacrâ hebdomadâ: hâc igitur, tanquam tempore peccatis expiandis præcipuè destinato, à Sacerdote, ad noxas pro sacro tribunali aperiendas invitatus, protervè respondit, sibi ejusmodi remedio opus non esse. Saltem, reposuit Sacerdos, blandè hominem intuitus, si fateri noxas non lubet, molestum tibi non sit ex me audire, quanta tibi incumbat necessitas linguam posthac à crebris in Deum maledictis jaciendis abstinendi, qua hactenus re non Dei solùm patientiam irritâsti gravissimè, sed sociis etiam tuis execrabilem te reddidisti. Tam non moverunt hæc hominem, ut frontem contumaciùs perfricans, imò, responderit, vel ideò, quia id tibi molestum video, plùs deinceps quàm unquam hactenus blasphemabo: & cum dicto tergum illi obvertit. Nocte proximè insecutâ, cùm humi ille se bestiæ instar ad somnum capiendum abjecisset, prodeunt ex carceris angulo quoplam gemini prægrandi statutâ Dæmones, quorum unus accensam manu lucernâ præferebat, vacuis alter manibus ad blasphemum illum accessit, & è somno excitatum sic allocutus est. Túne ille protervus, qui vel ideò blasphemare animum obstinasti, ut animi arbitro ægrè faceres? en adsumus ad mercedē, quam promeruisti, exolvendam. Cùm dicto hominem arripit, pilæ instar sursum projicit: & pondere suo deorsum lapsi os pugno atrociter contundit, ac tamdiu crudelem pergit ludum ludere, dum pessimè os illud tam impudens lacerarent. Mox humi sedere compulso os ita probè contusum vi magnâ diducit, linguámque palato assuit. Videri dein desiit cum altero, qui lucernam tenuerat, misero illo humi, bovis instar in macello cæsi, abjecto, & intra dentes mugiente. Ubi illuxit, inventus est miser ita, ut dicebam, elinguis: evocatis proin & chirurgo, & Sacerdote, arte nullâ divelli à palato lingua potuit, manu Dæmonis affixa, dum infelix scelestam animam exhalaret. Supplicium hoc mite admodum fuit, siquidem illo miser in rem suam, antequam vivere desineret, usus est; fuit enim hoc radicem mali aggredi, & ligare indomitam illam belluam, linguam inquam blasphemam, quæ omnino, feræ instar, in rabiem acta, quanto plus nocebat alijs exempli pravitate, tanto etiam crudeliùs in se ipsam peccato suo sæviebat. Si tamen vobis certò constaret, linguam vestram, quâ primùm vice prorumperet in voces tam sacrilegas, statim assuendam palato, quin unquam deinceps, per omne reliquæ vitæ tempus, avelli posset, credámne futurum adhuc ex omni hoc

numero

numero vel unum, qui tamen linguæ suæ hastâ, velut equestri in ludo, vellet decurrere, eámque in ipso Christi pectore frangere? Non equidem existimo, nec ullo modo induci possum, ut credam, futuram tunc ullam iracundiam, tam non sui potentem, ut ex ore hominis Christiani eliciat verba, quæ vel Atheum puderet proferre; & quomodo non pro eo, quòd aliæ aliæque identidem excogitentur frivolæ tam abominandi abusûs excusationes, omnis cura potiùs converteretur ad invenienda illum stirpitus evellendi media? Nemo non imperare sibi potest, quominùs contumelias effutiat contra virum Illustrem, contra Civem, quin & contra sordidissimâ ex plebe aliquem, qui nihil illi faceſſat molestiæ, & imperare tamen, si velit, non possit, ne contra Deum illas effutiat?

XXI. Ne, quæso, Dilectissimi, ne quæramus rationes, quibus elevemus flagitia rei tam detestabilis, quàm est blasphemandi mos; junctis potiùs animis & studijs eum à nobis ejiciamus quàm longissimè, priusquam Christus ad eum judicandum superveniat: *Blasphemia tollatur à nobis, cum omni malitia*: sic Apostolus hortatur. Expellatur Blasphemia à vobis omnibus, cùm sit peccatum, quod omne genus flagitiorum secum trahit. Ponderemus diligenter hæc verba, saluberrimis monitis referta. Primò dicit, tollendam esse Blasphemiam, *tollatur*: non ait, tollendos esse Blasphemos: vult deinde: ut à cunctis tollatur, omnium enim res in eo agitur, ut ex toto universo extirpetur vitium tam è diametro pugnans cum honore DEO debito, & mortalium salute; eáque causâ cunctos oportet jungi sancto fœdere ad illud, tanquam hostem omnium communem, expugnandum: Sacros Oratores quidem, ut illud impugnent linguâ è suggestis; Confessarios è sacris tribunalibus, Præsules censuris, Principes decretis; Patresfamilias, acerrimè in eos invehendo, quicunque è suis ejusce culpæ rei deprehenderentur: ante omnia autem cavendo studiosissimè, ne sui pravitate exempli quemquam ad ejusmodi impietatem pelliciant. Quin & subditos ipsos par est exardescere sancto quodam fervore ad increpandos & corrigendos omnes, quicunque blasphemant, ut jubet Concilium Lateranense, etsi spes emendationis nulla affulgeat: quocunque enim modo res cadat, serviet lingua ejusmodi exprobrans ad reddendum DEO honorem, quem blasphema lingua DEO abstulit; quin etsi fervore, tanti facinoris intolerante, progrederetur quis ad obtundendum pugno os ejusmodi sacrilegum, & sic obturandum, laudem ea res à S. Joanne Chrysostomo promereretur, imò non semel etiam suaderi posset: *Contere*: inquit S. Doctor, *os ipsius, & manum tuam percussione sanctifica*. Si cui tantùm animi non est, ego saltem timidioribus suaderem, ut tacitè secum dicant, cùm blasphemantem quem audiunt: Heu linguam execrabilem! quanto præstaret te mille in frusta diffringi? Itane tu Magnum illum Deum traducis, quem hoc ipso momen-

Conc. Later. ult. sub Leone X. sess. 9.

Hom. 1. ad pop.

momento totus Cæli exercitus Sanctum, Sanctum, Sanctum magnis vocibus proclamat? *Cui exprobrâsti? & quem blasphemâsti? & super quem exaltâsti vocem?* Cogita aliquantum, quis ille sit, quem tui tibi furoris metam constituis; cogita, quàm dignum sit omni excogitabili reverentiâ ac gloriâ sanctissimum illud nomen, quod tu adeò indignè tractas. Dignum non vulgari laude est, injuriarum sibi illatarum esse tolerantissimum; sed Deo illatas patienter ferre tam non meretur laudem, ut animi potiùs ingratissimi, ac perversi; imò tacitæ cum Impijs conspirationis ac perfidiæ argumentum sit: siquidem rectè sensit Author Imperfecti.

Is. 37. 23.

Hom. 7. in Matt.

XXII. *Tollatur* igitur abusus tam execrabilis, qualis est iste, maledicendi Deo, & *tollatur à vobis*. Hoc autem â *vobis* dupliciter accipi potest: primò ut eos significet, qui conjunctis studijs tollere debent blasphemiam; deinde eos, quorum à linguâ & ore tolli debet blasphemia. Qui jungi debent ad eam tollendam, omnes sunt, dempto nemine, ut dicebamus: Illi, quorum ex ore tolli debet, Christiani præcipuè esse debent, quos inter tanto par est pluris æstimari DEUM, quanto hic ab illis clariùs cognoscitur. Id nî fiat, quam quæso vitam victuri existimentur? plenam utique omni malitiâ. Nec enim vitium hoc unquam solitarium est; nam aut anteambulones habet scelerum omnium turmas, aut sequaces: eâ causâ, dicit Apostolus; *Blasphemia tollatur à vobis cum omni malitiâ*; quem enim non puder linguâ suâ tam contemptim & protervè habere ipsum DEUM, omnem humanitatis, ne dicam, Religionis, in DEUM sensum excussisse dici potest. Sed nec illud mysterio vacat, quòd Apostolus non dicat *cum omni iniquitate*, sed, *cum omni malitia*: id enim indicat, Blasphemiam non esse ex communi quodam iniquitatis genere, sed esse iniquitatem omnium, quæ cogitari possint, teterrimam, & ex eo genere, quod propriè malitia appelletur. Hinc advertite. Peccatum hoc à Christo dici *Irremissibile*, non quòd venia donari non possit, sed quòd difficulter admodum venia illi detur; haud aliter ac plagæ aliquæ *Incurabiles* vocantur: nam etsi hæ peritâ chirurgi manu nonnunquam persanentur, non persanantur tamen, nisi rarò admodum & difficulter. Et verò quo jure tandem quis velle potest, ut naturâ suâ dignum sit promptâ ac facili veniâ peccatum, in quo nihil invenit Deus dignum ullâ miseratione, positâ licèt communi mortalium imbecillitate? Non enim hîc ulla est utilitas: ex Blasphemiâ enim non est quisquam, cui lucri aliquid accrescat, præter quàm Infernus: sed neque oblectamenti aliquid invenitur, cùm lingua blasphema absynthio tantùm potetur. Honestas autem quomodo esse potest, cùm non fortitudo, sed stultitia sit ac insania, DEUM ipsum aggredi? *Qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Blasphemi omnes vilissimi & planè infames sunt, si non natalium, operum certè

1. Reg. 2. 30.

ac factorum ignobilitate. Si enim Lex eum infamem esse pronuntiat, qui Principi suo maledicit; vos ipsi judicate, mínúsque infamiæ in eum redundet, qui Principum Principem, supremum Dominorum omnium Dominum, & totius Universi Monarcham blasphemat: illum, cujus throno omnium Regum throni comparati ne tantùm quidem assurgunt, ut vel pro scabello ipsi servíre possint! Atque hinc manifestum fit, Peccato Blasphemiæ bibi iniquitatem tanquam aquam puram, quæ neque pretij aliquid, neque suavitatis, neque virtutis ad nutriendum habeat. Unde Divina Justitia tanto irritatur acerbiùs ad eum condemnandum, qui nihilominus labra ad eam bibendam admo-
Iob. 13, 16. vere non dubitat. *Condemnati erunt omnes, qui blasphema verint te.*

XXIII. Si proinde hoc è numero, quod bonus Deus avertat, essent non pauci, ad tam turpe vitium proni, nihil illi non agant, ut quàm celerrimè eo immunes fiant. Quàm celerrimè inquam; cùm omnis quantumcunque brevis morula possit esse summè detri-
Hippor. l. 1. Prænot. mentosa. Profligatæ valetudinis argumentum est, respiratio frigida. Si frigeant manus, si pedes, nihil quidem id boni portendit: at non tantum mali, quantum frigida respiratio; hæc si accedat, enimverò de sepulchro prospiciendum est, jam enim æger cum morte luctatur. Idem ego de Animæ malis pronuntio. Si manus usque adeo refrixerint, ut boni jam faciant planè nihil; si pedes, sic ut ne desiderium quidem supersit quidquam ex virtute agendi; malo omnino loco, & pessimâ conditione sic frigentium res sunt: at si insuper & halitus hiemem spiret, si, inquam, non solùm Deum quis factis suis operibúsque non glorificet, sed etiam protervè & contumeliosè verbis tractet, ô vos miseros! Hæc *respiratio* tam *frigida*, *lethalis* est: unde si hæc respirandi ratio non mutetur confestim, fieri nequit, ut Anima longè absit ab exitio sempiterno.

XXIV. Tollatur igitur abusus iste, *tollatur à vobis*. Deo supplices accedite; pœnale opus, non parùm molestũ, exequi decernite, quoties labi contigerit: quin & animi arbitrum rogate, ut suo ipse imperio simile à vobis opus exigat, majori quàm ipsimet possitis, authoritate: omné, vitium hoc seriò emendandi, semitam, modũ omnem celeres occupare; cùm agatur negotium, ex quo pendet salus vestra sempiterna. Hoc nî fiat, equidem jam videor mihi videre vos cum illis ardere, quorum in flammis unica & gratissima erit occupatio, doloris acerbitate illam admordere & discerpere linguam, quæ diabolicis loquendi formulis illasmet accendit & animavit, & atrocioribus blasphemijs illam adaugere calamitatem, cujus ipsæ blasphemiæ causæ fuerunt. *Comman-* *Apoc.*
ducaverunt linguas suas pra dolore; & 16. 11.
blasphemaverunt Deum Cœli, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis. Sed quid pœnitentiam speremus in Inferno? nunc nos admissorum pœniteat, dum displicere adhuc potest culpa. In Inferno agnoscetur, quantum mali culpa parturierit, & tamen ipsa amabitur; tantùm in damnatis illis animabus rabies ac furor poterunt.

DISCUR-

DISCURSUS IX.

De Imprecationibus.

I. Montes ignivomi non semper supremo ex orificio flammas Cælum versùs evibrant, sed non semel quæsito alibi exitu ex latere sulphuream illam & piceam pestem, quam intimo sinu fovent, subjectos in agros ac villas effundunt. Nec dispar hominum irâ exardescentium conditio mihi esse videtur. Non semper blasphemiis cælum frati petunt; sed crebrò, velut ex latere, in terras, nunc in familiares, & domesticos, nunc in alienos, terribilium execrationum colluviem profundunt: quæ & ipsa sulphurea ac bituminosa appellari potest, cùm tantâ urendi ac nocendi vi polleat. Postquam igitur vidimus, quam detestabiles sint blasphemantium linguæ, res postulat, ut pari modo perpendamus, quàm linguæ tot execrationum & imprecationum feraces, quas crebriùs etiam quàm blasphemantium sacrilegia audire est, omni & ipsæ vituperio dignæ sint. Propositum igitur est demonstrare, quòd plurimum referat, linguam freno in his imprecationibus proferendis moderari, duas maximè ob causas: quia nimirum plurimum non ratò damni ijs afferunt, contra quos vibrantur. Nunquam autem non perniciosissimæ sunt illis, à quibus proferuntur.

I.

II. Ea verborum divinorum vis est, ut quod dicunt efficiant: *Ipse dixit & facta sunt.* Si nivem Deus nigram diceret, illa carbone nigrior evaderet; Si carbonem diceret album; hic confestim candore nivibus certaret. Videre hoc est diebus singulis in Sacramentis, in quibus, quidquid minister Dei nomine dicit, idipsum confestim efficit. Unde si panem is in manus sumat, & Christi nomine pronuntiet: *Hoc est corpus meum*, facit, ut, quod antea panis erat, momento illo panis esse desinat, & Christi Corpus fiat. Hoc igitur loqui verè divinum est; facere loquendo: atque hunc Dei *Sermonem* S. Ambrosius *Operatorium* dixit. Sicut igitur, cui bene precatur Deus, is confestim omni bonorum genere repletur; ita in illum omnia mala catervatim irruunt, cui Deus maledicit. *A facie maledictionis luxit Terra.* Talem vim humano sermoni non inesse certum est: imò quo ferè plus homines clamant & vociferantur, hoc efficiunt minùs; & quò latrant vehementiùs, hoc ostendunt apertiùs, se canum instar rabidorum quidem, sed annis gravium, edentulos esse. *Indignatio ejus plus quàm fortitudo ejus.* Voluit tamen Deus, ut humanus quoque sermo

De Sacr. l. 4. c. 4.

Ier. 23. 10.

Is. 16. 6.

non semel efficeret, quod precabatur malum; Tales fuerunt Vatis Elisæi voces, qui cùm vix imprecatus malum esset pueris parvulis, qui ad insultandum ipsi egressi fuerant, vidit eos sine morâ à duobus ursis, suis è speluncis erumpentibus, discerpi ac dilaniari universos. Et hanc vim Deus verbis servorum suorum fidelium confert; cùm satis nôrit, eos ad imprecandum aliis non nocendi, sed juvandi & commodandi studio duci: nam etsi, quod optant, malum noceat corpori, Animæ tamen multum affert emolumenti. Sanctus Innocentius Abbas, cùm Filium, quem antequam divino se manciparet obsequio, genuerat, gravi se flagitio impiantem offendisset, ad DEUM conversus: Mitte, ajebat, mitte ô Deus ex Orco spiritum aliquem, qui animæ bono, corporis autem supplicio, in hunc filium meum invadat, quem non pudet tuis, ô summe Pater, jussis & imperiis repugnare. Res mira! vix vir Sanctus loqui desierat, cum Juvenem illum hospes infernalis invasit tanto furore, ut necesse fuerit vinculis illum constringere, quin vel tantillum Parens eâ re moveretur: cùm charius huic esset, videre illum luctantem cum malo Dæmone, quàm à blandiente suâ carne prostratum. Nec miror, tantum virtutis à Deo servis suis communicari, cùm eâdem operâ, dum precantur malè, bene simul precentur.

1. Cor. 5. *Judicavi tradere hujusmodi Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat.*

III. Mirabilius illud est, quòd Deus vim ejusmodi illorum quoque verbis conferat, qui supra hominum vulgus virtute non assurgunt: confert tamen, justis ad id judiciis suis inductus, quæ adorare & revereri magis decet, quàm discutere. In egenis, pupillis, viduis cur id faciat, non procul petenda est ratio; facit id ipsis defendendis. Etsi enim miseri illi reprehendi mereantur, quando aliis armis, quibus contra potentiorũ vim se tueãtur, destituti, linguâ vindictam petunt; non tamen idcirco exequi desinit Deus, quæ ipsi opprimentibus precantur mala, ut qui opibus valent, dediscant eos despicatui habere.

Non relinquas quærentibus tibi retro maledicere, Ecclesiasticus monet, *maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius*. Ad hoc affirmandum historiam audite, non parùm mirabilem, quæ vos doceat, iram inopum non contemnere. Sub annum sexagesimũ sextum supra millesimum ducentesimũ; Margarita filia Hêrici Ducis Brabantiæ, Floretij Hollandiæ Comitis uxor, stipem rogata à pauperculâ, quæ geminam prolẽ uno partu effusam brachiis gestabat; eorum more, qui ad mensam ferculis instructissimam disertè de jejunio loquuntur, quod servare pensi non habent; cur, exprobrando dixit, si non habebas, unde te & liberos nascituros aleres, viro nubere temerè ausa es? Misera mulier, pro stipe quam expectârat, hoc convicio onerata, irâ ita excanduit, ut ad Principem istam fœminam conversa; faxit Deus, respondent, ut pro gemellis quos ego peperi, tu tam multos parias, quot

annus

annus dies numerat. Quis crederet? ratum Deus votum habuit. Inhumana Princeps novem abinde menſibus die Veneris ſancto trecentas ſexaginta quatuor proles peperit, quæ vivæ omnes, etſi mole tam parvâ, ut cunctas catinus unus caperet, ad ſacras undas delatæ, hiſque tinctæ paulò poſt cum matre ſuâ mortuæ ſunt. Diſcite hinc, an operæ pretium ſit attendere, quomodo cum egenis & miſeris loquamur, & an Deus ratam habeat ſententiam alicujus miſeri contra eum, qui ejus calamitatem injuriâ illatâ exaſperat.

Lips. in Virg. Hal. c. 3. Lud. Guicciard. in Belg. de ſcript.

IV. Neque tamen hoc alicujus momenti eſt, ſi comparetur virtuti, quam Deus contulit Imprecationibus Parentum contra liberos. Et quia hæ frequentes ſunt, neceſſe eſt, vos deditâ operâ circa has diligenter edoceam. Pleni ſunt Annales funeſtis eventibus, qui abunde demonſtrant, quæ non conſuetarum ejusmodi execrationum vis ſit: unde vel Ethnici, ſolo naturali lumine colluſtrati, vehementer eas damnârunt. Plato ſeptimo legum ſuarum libro prohibet, ne quisquam, quem prolem habere contigerit, unquam huic maledicat, ob eventus expectatione multò funeſtiores, quorum periculo præceps ejuſmodi ira liberos exponat. Hæc autem tanta & tam præſens vis tria meo judicio ad capita rectè revocari poteſt.

V. Primum eſt, quòd Deus hac ratione tueri velit authoritatem paternam, à diſcolâ Juventute nullo ſæpe reſpectu contemptam. Parentes in terris Dei locum obtinent: & his ut nomen Parentis, ita & jus regendi ſuam ſobolem commune Deus eſſe voluit. Jus autem & Authoritas ejusmodi, quam impunè alij non revereantur, vix vel in Theatro locum decentem obtinet. Deus proinde ad illam inter hominem ſtabiliendam, ut quæ ad rectam ſobolis educationem tantopere neceſſaria ſit, non ratò de cælo ratas habet in omnium oculis imprecationes illas, juſto dolore extortas, quas Parentes Dei Vicarij in terris proferunt.

VI. Alterum caput, ex quo vis his Imprecationibus tribuitur, eſt ipſa malè conſulta & præceps Parentum temeritas, quæ meretur vel in innocente eorum ſobole puniri. Non aliâ olim plagâ & ſupplicio, immitiùs Deus in contumaciam Ægyptiorum animadvertit, quàm poſtremo, quod fuit, cædes omnium primogenitorum: hoc autem Deus eos affecit, ut cognoſceretur, quousque divina ſe ejus juſtitia porrigeret; quòd nimirum vel in liberis eorum Parentes ad promeritam pœnam vocare poſſit. Sic Tertullianus obſervavit, qui argutè perpendit, DEUM, cùm perſpecta ipſi ſit Parentum propenſio, quâ feruntur in bona liberis ſuis procuranda, & avertenda mala; minari Parentibus ſceleratis calamitates liberorum, Parentibus autem, qui Deo obtemperent, polliceri bona in liberos conferenda; ut Parentes, ſi quos ad obediendum DEO non movet propriorum commodorum ſtudium, moveat ſaltem ille amor, quo bona liberis ſuis optant. *Ut ſi*

Contra Marc, *non sui, saltem liberorum amore, divinis legibus obtemperent* : Quæ sunt antiqui illius Doctoris verba.

VII. Magni omnino momenti res ista est, & proinde conabor efficere, ut eam probè assequamini. Ponite igitur duplex pœnarum ac malorum genus inter nos inveniri, quarum aliæ animam, corpus aliæ afficiant. Malis, quibus anima punitur, ob Parentum delicta, si quidem S. Thomæ credimus, liberi ipsi à Deo non castigantur, nisi tum fortasse, cùm & ipsi partem aliquam in parentum peccatis habent: & hoc sensu dixit Ezechiel: *Filius non portabit iniquitatem Patris.* Ad alterum autem pœnarum genus quod attinet, eo sæpe liberi ob Parentum delicta puniuntur (ut pluribus locis Sacræ Literæ affirmant) & quidem nonnunquam usque in Nepotum nepotes, qui fermè ultimi esse solent, quos è se genitos intueri alicui datur. Legibus humanis non ita fit. Hæ enim Parentum delicta in liberis non puniunt, nisi sint læsæ Majestatis; in ceteris autem, quæ tam enormia non sunt, volunt non alios puniri, quàm qui re ipsâ deliquerunt. *Unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur.* Sed neque Parentum promerita in liberis humana Respublica remuneratur. Deus proinde, qui ut munificentiâ nullis limitibus definitâ majora, quàm homines possint, largitur pro rectè factis præmia; ita & malè facta gravioribus pœnis Justitiâ suâ infinitâ plectere potest; minatur, quòd Parentes sceleratos ad nepotes usque nepotum plectere velit, quia ipse etiam pollicetur, quòd eorundem rectè facta ad millesimam usque progeniem velit remunerari: unde cùm dixisset: *Ego sum Dominus Deus tuus, visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationum eorum, qui oderunt me*: mox addidit: *& faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me & custodiunt præcepta mea*: noc perinde, ac illud eâ causâ, ut tanto vehementiùs Parentes impellerentur ad bene agendum. Ceterùm, *Ideo Filii pro peccatis Parentum puniuntur, ut à Peccatis Parentes abstineant*, quæ sunt S. Ambrosii verba, *nam Pater plus afficitur injuriis filii sui, maximè quarum ipse author existat.* Igitur hanc S. Doctoris assertionem ad rem nostram applicando, en alterum caput, ob quod tantarum fiunt virium imprecationes, quibus Parentes liberis suis optant mala; ut ipsi nimirum Parentes puniantur: & ex hoc fit, ut execrationum ejusmodi vim experiantur non semel proles suavissimæ, quæ suo ceteroquin candore & innocentiâ nullâ non benevolentiâ dignæ essent.

1:2.q 81. ar. 2. Exod. 20. 5. lib. de Noe & Arc. 11. 28. 20. V. Abul. in c. 34. Exod. q. 9. 10. l.C. vim in ff. de pœn.

VIII. Minùs ne certa hæc mea vobis videtur assertio? historiam audite, cujus fine tenero animi sensu meminisse non possum. In ditionis Lucensis villâ aliquâ mulier filiolam suam octennem, cùm bilis efferveseret, his identidem verbis alloquebatur: *Vade, ut lupi te devorent.* Contigit autem feriatâ aliquâ die, parente utroque in templum ad rem divinam audiendum profecto, solam domi manere filiolam: cùm ecce lupa, quæ non procul inde in specu morabatur, solam Franti. otta in vit. S. Angeli.

solam præ ædium foribus puellulam conspicata, mordicus miserlam arripuit, & cùm mediam è vestigio devorâsset, quod supererat, in antrum suum tulit, eo catulos, teneros etiamnum, pastura. Sacro peracto redit domum parens uterque infelicis puellulæ, & cùm hanc non inveniissent, ad eam quærendam quaquà versum mœsti discurrunt: & en, semitam quandam notant sanguineis guttis aspersam, quæ in silvam ducebat: hanc dum insistunt, vestes primò sanguine tinctas & laceras reperiunt, mox etiam ad cubile usque lupæ progressi lupinos inter catulos partem capitis, & alias miseras innocentissimæ ceteroquin puellulæ reliquias offendunt, eo uno nocentis, quòd matre esset genita, quæ linguæ suæ moderari nesciret. Fuit hæc laniena adolescentulæ miseratione plena, cùm facilè credi possit: ideo á Deo ætate illâ tenerâ sublatam è medio, ne cum annis materno magisterio ad maledicendum & ipsa proficeret: ad matrem quod spectat, fuit illa opus vindicis Dei Justitiæ, ut hoc illa quoque erudiretur, quanto opinione ipsius majus esset scelus, quod linguæ effrenis licentiâ admiserat.

IX. Tertium denique caput, propter quod Deus ratas habet, & vim suam exerere vult, diras & execrationes, quibus Parentes liberos execrantur; est ipsa liberorum noxa ac scelus: vult siquidem hac ratione palam facere Deus, & docere liberos, non aliâ ratione certius ipsos vitæ spatia prorogaturos, quàm si Parentes diligenter observent: *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Scribit S. Augustinus: viduam fuisse decem liberorum Matrem, ex quibus mares septem, fœminæ tres: obfirmârant omnes hi animum ad non obtemperandum matri in re, quam ipsa imperaverat; unde Mater, in furorem & amentiam acta, hoc ipsis malum imprecata est: Nulla vobis unquam concedatur quies; quia Matrem, quæ suâ vos alvo gestavit, tam non sinitis quiescere. Hanc ad vocem, tanquam horrendum tonitru, consternati liberi planè omnes, totis cœperunt artubus contremiscere, & violentiâ tantâ agitari ac concuti, ut nunquam, ne quidem cùm somnum capiebant, interquiescerent: pudore igitur suffusi desertâ patriâ per omnes Romani Imperii Provincias oberrârunt, viva ubique testimonia virtutis, quam in immorigeros liberos Parentum diræ haberent. Tandem cùm octonos vita in miseranda hac trepidandi contumaciâ defeciisset, superstites duo, mas unus, & una fœmina, in Divi Stephani Hippone, ubi Episcopus erat Augustinus, ædes sacrâ valetudinem pristinam, & ab irrequietâ illâ agitatione cessationem impetrârunt. An dubitatis porro, verènè Deus dixerit, quòd sicut *Benedictio Patris firmat domos filiorum.* ita *maledictio Matris eradicat fundamenta?*

Exod. 20. l. 2. de Civit. c. 8.

Eccl. 3. 11.

X. Vos interim Patres Matresque ex hac, quam recensui, historiâ, & ex multis, quas recensere possem, discite, quàm frivola sit illa excusatio, quam

quam vestræ præcipiti iracundiæ, & inconsultis diris prætexitis, dum dicitis: *Tam refractarios hodie liberos esse, ut non possitis non illis omnis generis mala precari.* Nam vel hac causâ, quod refractarii, & ad omne scelus proclives sint, cavendum est vobis studiosiùs, ne adversa ipsis exoptetis; cùm sic paratissimi sint ad execrationum earum vim sentiendam. Equidem quo fomes est siccior, & aridior, hoc citiùs & faciliùs ignem concipit, quem in eum conjicitis: atque hâc causâ id cavendum vobis studiosè, ne hunc illi, inconsulti admoveatis. Et quamquam non statim prolatis ejusmodi diris fieri videatis, quod optatis, idcirco credendum est, bruta tantùm esse ejusmodi fulmina. Haud sanè ita se res habet: non in ventum prolata illa verba sunt, quibus maledicitis: carbones sunt, qui ignem conceptum tam contumaciter fovent, ut vix unquam extinguatur. Carbones accensi ex Junipero non semel annum totum, etsi defossi in terrâ, extincti non sunt: vestræ autem diræ & execrationes metuo ne nonnunquam vim suam exerere pergant ad extremam usque & decrepitam ætatem eorum, quos estis execrati: quin propagare eam subinde poterunt ad seros usque posteros, sicut diximus solenne esse Justitiæ Divinæ, cùm in posteris Majorum ac Genitorum delicta vult
Is. 65. 7. plectere, *Retribuam in sinum eorum iniquitates vestras, & iniquitates Patrum vestrorum simul.* Addite, quòd si pravi vestri sunt liberi, ut dicitis, tam non sitis eos meliores reddituri diris eos devovendo, ut semper potiùs se ipsis deteriores sint evasuri; cùm non corporibus tantùm, sed & animabus liberorum pestem maledicta illa affleant: *Nequissimi filii eorum, maledicta creatura eorum*: ut Sapientia divina loquitur: perinde ac si diceret: Progenies sunt hominum maledictorum à suismet Parentibus: *meledicta creatura eorum*: atque idcirco mirum non est si Parentes ipsi suos scelerum immanitate vincant. *Nequissimi Filii eorum.* *Sap. 3. 13*

XI. Quàm igitur egregia est illa educatio, quâ Parentum aliqui castigare aliter liberos suos non nôrunt, quàm verbis? Spectant autem præcipuè ad hanc catervam matres, quæ quò virium habent minùs ad feriendum, cùm jussa liberi detrectant, hoc sunt linguâ ad imprecandum promptiores. Aspidem marem ajunt duobus tantùm dentibus instructum esse, cùm fœmella quaternis armetur, ut videatur, natura docere nos voluisse, quanto procliviores ad maledicendum sint fœminæ, quàm viri; quæ suis diris ipsas etiam aspides crudelitate vincunt; cùm aspides alienæ tantùm prolis malo dentibus armatæ sint, fœminæ verò in suammet sæviant. Atqui non hæc ullâ ratione est vera liberorum educandorum norma, linguâ contra eos uti, cùm manibus agere rem oporteat: *Stultitia colligata est in corde pueri*, ait per Sapientem Deus, *& virga disciplinæ fugabit eam.* Perinde ac si quæreret: Quod erit efficax remedium emendandæ & expellendæ ex animo filii stultitiæ? & responderet *Prov. 22. 15.*

ipse

ipse sibi. Non aliud, quàm manus virgis armata. Hæ enim non ejicient tantùm illam, sed procul in fugam agent: *Virga disciplinæ fugabit eam.* Et verò, discite his ipsis è verbis, quàm nullo jure conqueramini, liberos vestros corrigi ampliùs non posse. Spiritus Sanctus non asserit stultitiam teneris liberorum mentibus insitam quodammodo esse, & in ipsis hærentem visceribus, *colligatam* tantùm affirmat, ut intelligant Parentes sedulâ educationis curâ, & paternorum exemplorum vi rumpi posse funes illos: quibus alligata potiùs est, quàm adhæresçat. Sed hodie ea vivimus tempora, quibus Parentes tam non ipsi liberos puniunt, ut ne ferre quidem possint eos à Præceptoribus ad commeritas pœnas vocari: & earum avium more, quæ corporis sui præpingui mole frangunt potiùs ova, quàm vitalem illis calorem conferant. & sensim animata excludant; ipsi quoque mansuetudine parùm consultâ opprimunt potiùs sobolem suam, & orco educant. Non mea, sed DEI hæc verba sunt: *Tu virga percuties puerum & animam ejus de Inferno liberabis.* Quâ manu filium percutis, hac eum arces ab inferno, ad quem non correctus rectà perget. Sed non ego jam eorum probo feritatem & immanitatem Parentum, qui non mitiùs liberos, quàm faber incudem, assiduè tundunt. Hoc non est verberare eos eo modo, quo Spiritus Sanctus, qui suavitatis & moderationis Spiritus est, cædi eos jubet. Hinc videre est, quòd non dicat, baculo abigendam in fugam, quæ in corde pueri colligata est, stultitiam, sed *virgâ disciplinæ*; ut doceat, correctionis pœnam respondere debere fini, qui spectatur, qui non est occidere: sed erudire filium: *Si percusseris eum virgâ, non morietur.* illa potiùs remedia salubria sunt, quæ naturæ conveniunt, quàm quæ repugnant: nec alia correctionis ratio est, quæ est remedium delictorum: unde parvulis liberis domandis ars eadem adhibenda, quæ equorum pullis; his manu unâ blandiri oportet, alterâ virgam ostendere. Nunquam non præ oculis habenda illa, propria ætatis, judicij imbecillitas & inexperta simplicitas; nec eadem desideranda à cunctis domi exacta ad amussim disciplinæ ratio, ubi tam dispares ætate inveniuntur; sicut ipsæ etiam leges non easdem omnibus peccantibus pœnas statuunt, sed alias pro ætate: *Ætas tenella, aut florescens, mitiùs punitur.*

Prov. 23. 14.

Prov. 23. 13.

L. auxilium. ff. de min. §. indelicatis.

XII. Sed longiùs à semitâ me Parentes isti diris suis abduxerunt, quibus ut remedio utuntur ad liberos corrigendos, quod tamen ipso plerumque malo pejus est: etiam aliò hac occasione evagatus sum. Redeamus igitur ad id, quod nobis propositum est. Abstinere profectò oportet, quoad ejus licet, ab idiomate tam perniciabili ob mala, quæ inde in liberos promanant, sed non minùs abstinere oportet eos etiam, qui Parentes non sunt, ob perniciem. quam aliis mortalibus accersunt. In sobole quidem & crebriùs, & manifestiùs apparet detrimentum, quàm in alijs. Sed non

non ideo nullum infertur, quia non apparet: nam vel ideò venenum linguarum istarum serpentinarum appellatum est venenum aspidum: *Venenum aspidum sub labiis eorum*: Ps. 13. 3. quia occidit, & non apparet. Si tamen dubium, quod aliis inferatur, malum à vitio tam fœdo vos non absterret, absterreat saltem certum, quò vobismet nocetis, malum: malum enimverò majus illo, quod timere à vobis possint quicunque, quos identidem diris ejusmodi fulminatis.

II.

VIII. Atque ut certissimum habeatis, quod pronuntio, illud vobiscum animo reputate: quòd male precari alteri, peccatum sit mortiferum, quoties illud aut mali, quod optatis, parvitas, aut animi, quod loquitur parùm considerantis, levitas non excusat. Vos quidem promptissimam habetis delicti vestri excusationem: *Pater*, dicitis, *prorupi in has diras præcipitis iræ impetu: non animo tantum damnum reipsa inferendi.* Sed in hoc multa occurrunt, ex quibus non facilè me extrico. Primò quidem, induci vix possum, ut credam, vos, quoties irâ concitamini, fixum semper animo habere, nolle vos inferri ea mala, quæ linguâ imprecamini. Quin imò plerumque tam vivus est in animo injuriarum, quas accipere vos putatis, sensus, ut credi vix possit, verba vestra bombum tantùm esse, qui terreat, sine globo, qui feriat. Si erit vicinorum nonnemo, qui alterum ad Judicem deferat; hujus sententia compellet ad numerandum, quod alluude certò ille novit, se non debere; cùm irâ excandescens, *utinam*, precabitur, *hunc tot invadant morbi, ut in pharmaca expendere cogatur argentum omne, quo me emunxit.* Aliàs oviculam nonnemo rapiet: cùm mox: *Tot fures hi maledicti invadantur à Dæmonibus, quot ovis pilos numerat*: Et quæ sunt alia æquè stulta. Ego igitur considerando perturbationis vim, & verba, in quæ illius impulsu prorumpitis, vehementer metuo, ne, qui sic loquitur, seriò loquatur, & alteri ex animo optet malum, quod vindicandi furore illi imprecatur. Inter cunctas, seu terrestres, seu aquatiles animantes non est alia, quæ linguâ polleat, prædità tantâ vi penetrandi, quantâ piscis Purpura dictus. Sufficiat dixisse, non esse tam duram ullius è conchiliorum genere testam, quàm penitùs penitúsque non transforet. Non minore penetrandi vi valere videtur eorum lingua, de quibus dissero: tam profundè penetrat in optando malo, non corporis tantùm, sed & animæ illius, quem devovet. Et vultis tamen, ut credam, linguam hanc non minus mollem ac blandam esse, quàm sit melitensis catelli? Repeto; non possum induci, ut credam,

XIV. Et quando unquam verisimilius apparet, sine peccato malum alteri optari, quàm cùm illud optamus malo Dæmoni, contra quem tot execrationum fulmina in sacris exorcismis vibrat Ecclesia? Et tamen vel hîc agendũ cautè, cùm animus irâ exarsit:

testa-

S.Th.2. 2.q.96. a.1.ad4. Testatur enim Sacer Textus, quod *dum maledicit impius Diabolum, maledicit ipse animam suã.* Et ratio est, quia cùm maledicere Dæmoni non possumus, nisi propter impietatem ejus, eo ipso, quòd Impius maledicat Diabolo, maledicit & sibi ipsi; cùm eum similitudine tam bellè exprimat, ut vix filius patrem tam ad amussim referre possit.

Rom.2.1 *In quo alterum judicat, se ipsum condemnat.* De cetero execrari Diabolum non licet cuiquam, nec ob ea, quæ à natura habet, nec ratione muneris, quod administrat; quo tamen uno fermè homines ad iram & Imprecationes concitat. Non ob ea, quæ habet à natura: hæc enim à Deo sunt, atque adeò bona sunt: non ob munus Tortoris & Carnificis nostri: sic enim non aliter eum quàm ministrum & lictorem divinæ Justitiæ considerare possumus, juxta illud: *Immissiones per Angelos malos.* Quod si

Ps 77. 54. ita est, quanto erit facilius, ut quis debitos & præscriptos intra limites non se contineat, cùm simili de causa alium execratur Christianum, qui quantumcunque alicui molestus sit, Dæmon tamen nondum est.

XV. Est & aliud, ex quo conjecturam probabilem admodum capere possitis; vos non seriò desiderâsse, ut evenirent mala, quæ imprecati estis; quia nimirum non diu post, ut vos asseritis, vobis videtur, nihil eorum vos cupere, maximè cùm filios, Fratres, & alias similes personas, vobis aliàs longè gratissimas execramini. Verùm & huic excusationi multa occurrunt, quæ reponam. Quid enim refert, quòd non diu post cùm ad se redit mens, non optetis alteri illud malum, quod optaveratis tum, cùm illi malediceretis? satis est, id vos optâsse tum, cùm proferebatis ea verba, etsi voto celeriter prætervolante. Theologorum sententia est, quòd si quem pœniteat voti, cujus se religione paulò ante obstrinxerat, certo argumento non esse, id non satis deliberatâ voluntate conceptum fuisse; cùm ad hoc sufficiat assensus quilibet brevissimus & propè mometaneus, etsi mox aliquem sui illius assensûs pœniteat. Nec aliud in re nostra tenendum erit, ut gravissimi Doctores affirmant, quorum verba vobis adnumerarem, nisi vos de mea fide minimè ambigere existimarem. Unde illa pœnitudo, quæ plerumque Parentes (& fermè omnes alios) confestim subit, argumento quidem est; quòd cùm resedit iræ impetus, malum à se admissum cognoscant; at non inde argui certò potest, ne prius quidem & cognitum, & concupitum fuisse malum, dum in diras illas proruperunt. Potest quis telum arcu ejaculari, & mox dolens optare, ne feriat. An idcirco dicemus non peccâsse, si cùm res & ratio non sineret, illud est ejaculatus?

Valent 1. 3 disp. 3. p. 2. Granad. l. 2. c. 72. Cajet. 2. 2. q. 76. a. 1.

XVI. Illæ tandem se purgandi formulæ, aliquibus solennes. *Maledixi præcipiti iræ impetu, non odio quo in Proximum ferar*; Etiam non expediunt omnia. Re ipsa enim impetus ille rationis freno non coërcitus nullo negotio facit, ut ira dein in odium degeneret, breve saltem, mutétque noxam in grandinem

illam tempestatem, quæ non nisi in pluviam, cum strepitu quidem & sonitu, sed absque damno cadentem, debebat desinere. Non ita facile est, ut vobis videtur, animi impetum effrenem, excusare culpam, propterea, quòd tollat necessariam ad peccatum deliberationem & mali cognitionem: neque enim perturbatio fermè tanta est, ut omnem adimat rei vetitæ agnitionem. Vix ulla Eclipsis sic totum obnubit Solem, ut diem nocte permutet, ne brevi quidem temporis intervallo. Non ita fit: ac proinde, Dilectissimi, pro eo quod solicitè quæratis rationes, quæ veri speciem tam exiguam habeant, ad elevandam abusûs maledicendi turpitudinem: vellem equidem excogitaretis potiùs causas, quæ ad seriam vos emendationem impellant: aliàs væ vobis!

XVII. Utinam non lateret vos, quantam ipferatis magno DEO injuriam, dum irati petitis, ut hunc lepra, illum gangræna, alium ulcus pestilens, mors denique alium invadat! Vos eâ ratione Judicis officium occupatis: Deo autem quam interim relinquitis provinciam? non aliam, quàm Lictoris, An hoc meo ex sensu me proferre existimatis? enimverò ita pridem sensit Sanctorum Doctissimus, & quidem subtilissimè, Augustinus, *Certum est*, ait ille, *quòd Judex homo, per se ipsum, reum non occidit. Judex dicit: Occide, & Tortor occidit.* Quoties igitur vestrûm quis optat, ut DEUS è medio eum tollat, qui molestiam ipsi creat, quid agit? loco illum ac gradu movere vult, & ex Judice Lictorem facere. *Et tu quando dicis Domino: Occide inimicum meum, te facis Judicem, & Deum quæris esse Tortorem.* Et hoc sit Deum habere pro eo qui est? prô, quàm meritò hac ille ratione conqueretur! *servire me fecisti in peccatis tuis*: dum tam contemptam ad conditionem eum redigere vultis, ut vestrum ipse Lictorem aut Carnificem agat. Serm. de S. Steph. Is 34. 24.

XVIII. Forsitan autem rem tam indignam ab eo petitis tacitè, sic ut præter ipsum exaudiat nemo? imò petitis voce tam sonora, ut nemo non exaudiat: cùm vestras fulminare diras non possitis, sine strepitu & clamore tam sonoro, ut cunctos ad audiendum excitet. Hoc autem si accidat, ut accidit sanè quàm crebrò, an præter injuriam, quam infertis DEO, non terret vos exempli, quo ad peccandum alios inducitis, pravitas? Heu miseros vestros liberos, teneros etiamnum! hoccine est præclarum illud exemplum, quo ipsis facem inde à primis annis præfertis? Istud vobiscum reputate, quòd DEUS, dum vos eorum esse Parentes voluit, vos eo ipso constituerit vivam ideam, ad quam vitæ ipsi suæ rationes componerent, & moribus ad unguem exprimerent. Ac proinde dicite ipsi, quod quantúmque peccatum vestrum sit futurum, si pro eo, quòd ipsos doceatis loqui, ut hominem Christianum decet; idioma à vobis condiscant, quod nisi audirent, vix crederent quemquam eo uti aut posse, aut velle?

le? Vidit olim Roma in ædibus nescio cujus Valerii Infantulam, quæ dentes matris ex utero secum in lucem attulerat; & tantus eo prodigio terror ac consternatio urbi injecta est, ut tota esset in indagando, quid tandem mali ferale hoc augurium portenderet. Ego autem, parùm abest, quin dicam, hac nostrâ ætate infantes omnes jam probè dentatos nasci, & annos, dum dentes erupscant, non expectare. An non enim quotidie observare est, quòd etsi per ætatem vix aliquam Apostolici symboli partem balbutire didicerint, nôrint tamen, cùm bilem illis quis moverit increpando, mala ipsi varia imprecari, optare ut illum Dæmon auferat, ut paralysi, ut fulmine Deus eum feriat, ut quotquot molestiæ aliquid illis inferunt, collum frangant, & his adhuc pejora? cur autem istud, & unde? hæc nimirum ex Patre, hæc & his similia ex matre audierunt toties, cùm illi in rebus contra votum cadentibus effervescerent; & malè dociles imitari didicerunt. Jure igitur meritissimo Sacer Vates linguas ejusmodi publicè maledicas sepulchris comparat, dum ex ijs halitus prodit tam pestifer, ut quoties aperiuntur, toties luem sanis afflent. Etsi tum maximè Parentum ori sepulchri nomenclatio conveniat, cùm maledictis etiam turpia & blasphema miscent, quæ vel coram prostituti pudoris mulierculis proferre pudor sit: linguæ sanè plus quàm semel carnales, quæ ætatulam etiam sceleris purissimam flagitia docent. Ita pronuntio, quia ab hac turpia loquendi libertate facillimus est transitus ad turpia perpetranda: *licentia turpiter loquendi, sequitur & turpia facere.* Sic vel ille alienus à fide pronuntiavit. Itáne igitur vos vestram met sobolem docere vultis, mala perpetrare, dum docetis malè loqui? Vestra est illa lingua, quæ toties in Sanctissimo Evchariſtiæ epulo Deum recepit: & hac non pudeat ad verba tam fœda proferenda abuti? Qui saniem expuit, visceribus sanis non est, & qui maledictis etiam obscœna miscet, non potest non animum habere plenum illis sordibus, quæ per os, tanquam pus fœtentissimum exundat.

Plin. l. 7. c. 10.

Arist. Polit. ult.

XIX. Et verò non nocent tantùm exemplo irâ concitatæ Parentum linguæ, dum docent similia; sed etiam dum eundem furorem, eandem rabiem in eos propagant, quos diris suis compescere laborant. Mare concitatum vapores illos irritat, qui terræ visceribus clausi tenentur; hi autem velut in furorem acti, ipsas maris turbas ac tempestatem augent. Eadem familiarium sors est. In his majores mala precantur minoribus, & his diris isti concitati & exagitati respondent Majoribus; & respondent haudquaquam timidè: & en in Majoribus hac ratione geminatur tempestas ac furor; sícque indies longiùs è Christianorum ædibus Pax ac tranquillitas exulant.

Arist. l. Meteor. c. 8.

XX. Deterrimum est, quòd liberi ipsi exutâ sensim reverentiâ erga Parentes, eò progrediantur, ut in eos diras retorqueant, quibus se devoveri audierunt, parùm ad id attendentes, quantò magìs ipsas illæ dedeceant. Siquidem etsi cùm in ejusmodi voces prorumpunt, non desiderent ex animo, Parentes iis opprimi malis, quæ linguâ exoptant; non ideò non graviter delinquunt in patientiæ leges, in pietatem ac reverentiam iis debitam, quibus post DEUM, tanquam causis sui esse, debent plurimum: quodsi autem unquam etiam verè hæc mala evenire desiderent, id sanè est longè pessimum. Prò quanta est inter Christianos insciția eorum nominum, quibus obstringuntur his, à quibus vitam acceperunt! Sed si audire lubet, quod res est, hæ ipsæ tenebræ pars sunt pœnæ, tam gravi noxæ respondentis, quâ non pauci liberorum indies magìs cæci oculos aperiunt nunquam; nisi cùm divino Tribunali sistuntur, vitâ interim perpetuò inter funestissimas has tenebras ductâ, inque iis vitam ipsam abrumpendo, eo planè modo, quem DEUS verbis illis formidandis minitatus est: *Qui maledicit Patri suo, & Matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.* Hic Spiritus Sanctus medias tenebras culpam appellat: primæ siquidem tenebræ illa insciția sunt, in qua homo nascitur: ultimæ tenebræ sunt nox illa funesta, quâ Damnatis ipsa etiam Fidei lux extinguitur; mediæ autem tenebræ sunt vita in sceleribus acta, in quibus tandem moritur, qui tam omnem in se pietatis scintillam extinguit, ut eos diris devoveat, quorum ipse beneficio diem aspexit.

Prov. 20. 20.

XXI. Ex rationibus allatis hactenus, & aliis, quæ afferri adhuc complures possent, si molestus quis esse vellet, duos velim, Dilectissimi, potissimùm fructus colligatis, quos ut afferrem Dissertatione hac spectabam unicè: Timorem inquam justum libertatis illius, quam linguæ vestræ ad hanc diem concessistis, & decretum firmum ac stabile illam deinceps solertiùs frenandi. Dixi, Timorem justum libertatis concessæ vestro ori, cùm ex omnibus, quæ hucusque in medium allata sunt, pronum sit colligere, quàm non difficulter contingere possit, vestris illis Imprecationibus noxam vos graviorem conscisce re, quàm primâ fronte videatur, tum spectando eos, contra quos diræ ejusmodi fulminantur, dum iracundiâ, tum exempli pravitate, tum aliis, quæ comitari plerumque aut consequi solent, damnis consideratis: sic ut dubium jam non sit, quod Deus ipse asseruit, quod scilicet, *Maledictum frustra prolatum in quempiam superveniet:* id est, *superveniet ei, qui protulit illud.* Facilè credi potest, nolle Deum quemquam ex hac hominum progenie Cælo potiri. Aves, quæ rostro erant aduncо, & ad prædam duntaxat laniandam idoneo, inter victimas offerri DEO non poterant, tanquam immundæ. Metuo ego, ne idem fatum eos maneat, de quibus nobis sermo. Solet DEus pro sua infinitâ Bonitate miserari peccantes, non nego: sed

Sap.

Prov. 16. 2. V. Salazari in hunc locum.

sed illud etiam animo reputate, non minùs illum miseratione eorum moveri, quorum damno peccamus. Et hâc causâ non alia peccata minùs paratam habent veniam, quàm quæ Charitati repugnant. Innuere hoc Deus videtur, illo Sapientis effato: *Benignus est Spiritus sapientiæ, & non liberabit maledicum à labijs suis.* Quod idem videtur sonare, ac: Spiritus Divinus est Spiritus benignissimus: quid fiet igitur: non liberabit hominem Imprecationibus assuetum à pœnis, quæ ob nocentem suam linguam ipsum manent. *Non liberabit maledicum à labijs suis*: nisi malimus magis ad literam intelligere, quòd ab ipsis labiis suis maledicum non sit liberaturus. An non autem, istud suppliciorum omnium foret atrocissimum? Ego sanè non video, quâ severiore pœnâ plectere istos DEUS possit, quàm ut sinat eos in pessimo suo maledicendi more inveterascere, quem inde à juventute contraxerunt: quem quidem morem ac assuetudinem excusare aliter subinde sacro arbitro non possunt, quàm ut dicant: *aliter se facere non posse: ita se assuevisse: ira impetu eò se abripi*: Sic ut denique turpi hoc ac noxio in vitio moriantur, quin unquam vero doloris sensu ab eo in vitâ abhorruerint. Ego sanè ejusmodi linguam in ore meo nollem: viderer enim mihi esse non humanâ, sed serpentinâ linguâ, atrâ, colore ipso satis prodente malignitatem, quâ & ipsa intimè laborat, & quam aliis minatur.

Sap. 1. 6.

XXII. Dixi secundo loco, earum mihi futurum, si tanquam fructum Dissertationis hujus meæ conciperetis decretum stabile & fixum, non peccandi de cetero hoc peccati genere; & quia seria hæc & constans emendatio tam facilis non est, finem Dissertationi huic imponam, docendo modum ac viam, quæ eâ in re tenenda sit. *Linguam*, si rectè S. Jacobus sensit, *nullus hominum domare potest.* Quid igitur facto opus est? An desistendum à conatu irrito, & post multum laborem nihil penitus profuturo? Negat id S. Augustinus, sed sicut ad domandum elephantem, equum, camelum, & quamvis aliam belluam, quæ nunquam eò reduci potest, ut ori suo frenum ipsa imponat, *quæritur homo*, ita ad domandum hominem Deus quærendus est, *Deus quæratur, ut dometur homo.* Si proinde emendari vultis & corrigi, necessarium est, divinam opem & crebrò, & magnis studiis implorare, demissè confitendo, quòd vestris viribus, vestro nisu id assequi non possitis, tum operis ipsius difficultate, tam pravæ assuetudinis vitio, quòd difficultatem in duplum auget. Precibus his ad DEUM fusis necesse est vestram adjungere industriam, tantam omnino, quantam, dummodò velitis seriò, addere potestis. Atque ita, si re ipsâ liberari vultis usu hoc imprecandi pessimo, aut mulctam vobis ipsis pœnalem imponite, aut cum animi arbitro transigite, ut ille certam

Serm 4. de Verb. Domini.

pœnam

pœnam imperet, quoties deinceps linguâ sic labi contigerit. Emplastrum hoc acre ac morsicans sanabit, plagam & diuturnam, & continuo puris fluxu molestam, dummodo ejus usus constans fuerit; nec est, quod de eo ambigatis. Atque ita gemina hæc media, Divinam opem quàm studiosissimè expetendi, & nihil non ex parte vestrâ ad emendationem conferendi, præparabunt animam ad accipiendam à Deo gratiam illam singularem, ut ipse regere ac freno circumducere linguam vestram velit, tum maximè cùm iræ impetus aget præcipitem, & nunc ad dexteram, aliàs ad sinistram illam movebit, prout aut Divini obsequij ratio, aut proximorum commoda postulare videbuntur. *Hominis est Animam præparare, & Domini gubernare linguam.* DEUS, qui quod dicit facit, vestris nunc linguis bene precando mutet illas ex pravis in bonas, & ex maledicis in bene precantes, sic ut nunc non aliud, quàm fausta omnia, etiam injuriâ lacescentibus precari doctæ, mereantur benedictionem illam benedictionum omnium faustissimam, quâ DEUS extremo Mundi die Electis omnibus optimè precabitur, propterea quòd nullo non tempore eo affectu Proximos quo se ipsos, sint prosecuti. *Prov. 1.*

DISCURSUS X.

De Juramento,

ADmiratione non caret, quòd tot documentis ipsa nos Natura erudiat ad cautè loquendum. Imprimis enim, si verum est, linguam inter omnia humani corporis membra postremam maternâ in alvo perfici, videtur illa non nisi ægrè dubiéque admodum posse induci ad ultimam manum gladio formando admovendam, qui plerumque illi, qui eo nudo, & vaginâ suâ extracto utitur, plus detrimenti affert, quàm emolumenti. Deinde Infantulus vix natus os quidem ad flendum diducit, mox tamen illud etiam admotâ manu tegit, tanquam demonstraturus, quin tamen sciat, quid agat, quàm necessariũ sit tacere, & quàm difficile loqui vel inter lamenta. Quam proinde caulam esse existimatis, quærit S. Basilius, ob quam Natura tot munimentis, internis atque ac externis, dentibus inquam & labris, linguam circumdederit? Factum id magno consilio, metu nimirum, ne homo tam promptus ad excurrendum lingua, definitos limites transiliat. Et verò an non videtis in limitaneis urbibus, quæ Provinciarum aditus tuentur, quot pontes versatiles demitti, quot portas pandi necesse sit, ut exitus pateat? Fiunt hæc omnia timore hostium, in insidijs alicu-

Arist. l. 7. hist. c. 10.

Lib. de Virgin.

alicubi latentium. Si autem in communibus humanorum negotiorum casibus tam plena periculis est linguæ custodiendæ ars, vos ipsi judicate, quantò illa periculosior futura sit, cùm in negotiis illis gerendis divini Nominis authoritas interponenda est? An necessarium vobis non videtur, ut quis animo sit præsentissimo, omnes ad examen cogitationes vocet, verba libret omnia, in mentem revocet omnia ad deceptionem cavendam documenta; imò ut novum quodammodo præsidium, nova munimenta cum Sacro Vate à Deo petat, ne vel nolens labatur linquâ, ad cadendum tam pronâ? *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Ita sanè fieri res postularet; atque hâc causâ tantò minùs ferendum est, tam pravum abusum irrepsisse, quem hodiernâ die vituperare constitui; est autem eorum, qui omni quasi momento jurant; sic ut multæ jurandi formulæ ob usum nimis frequentem, hodie potiùs adagij alicujus, ut sic dicam, vim, quàm juramenti obtineant, propriâ significatione amissâ. Videamus igitur, at dedoceri possitis abusum hunc, eadémque operâ rectè jurandi usum doceri.

Psa. 140. 3.

I.

II. Rectè jurandi modum callere tam est necessarium, ut Deus ipse suo magisterio docere nos illum voluerit: *Jurabis* inquit, *in Veritate, & in Judicio & in Justitiâ.* Ut autem rem ipsam penitus intelligatis, opus est primò explicare, quid sit Juramentum; ne cum rerum nominibus res ipsas permiscentes non discernatis lacertas à serpentibus, mendacia, inquam, cum perjurijs confundatis. Jurare igitur, est vocare Deum in testem alicujus rei dictæ, id agendo, ut ipse, tanquam prima Veritas falli ac fallere nescia, ratum habeat ac confirmet, quod quis protulit, quando postremo Mundi die quæcunque eatenus manserant occulta, necesse est manifestari. *Illuminabit abscondita tenebrarum.* Et idcirco necessarium non est hanc divinæ authoritatis compellationem & interpositionem explicitam esse, & apertis verbis fieri; satis est esse implicitam, & non rectà prolatam. Unde qui affirmat quidpiam per S. Crucem, per Virginem Matrem, per aliquem è numero Cælitum, intelligitur rem à se dictam affirmare testimonio Dei suâ causâ in Crucem suffixi, Matrem suam admirabilem, aut hunc illúmve Cælitem ad Sanctitatem ac gloriam evehere dignati: Unde Juramentum non est, si quis dicat: *Per Conscientiam meam: In veritate: quàm verè sum honesti amans; quàm verè sum vir honoratus,* & quæ sunt aliæ similes affirmandi formulæ; nec enim apparet, quòd iis vel ipso aperto vocum sensu, vel tacitâ saltem interpretatione quis velit Deum vocare in testem rei assertæ; sed tantùm quòd illam affirmare certiùs cupiat: perinde ac si quis palàm facere velit, verba sua in labris nata non esse; sed conformia cognitioni, quam de re habeat, & profecta ab homine, qui neminem unquam

Jer. 4. 2.

Tol. Inst. l. 4. c. 10.

S. Thom. 2. 2. q. 89. ar. 1. & 2. ad 2.

quam fallere & in errorem inducere studuerit, aut conatus sit.

Less. c. 42, d. 2.

III. Istud porro Juramentum ad propositum mihi scopum tria in genera distingui potest: in Juramentum nimirum Assertorium, Promissorium, & Execratorium. Assertorium est, cùm quis authoritatem divini nominis interponit ad confirmandam veritatem, præteritam aut præsentem. Promissorium est, cùm eâdem Authoritate quis firmat promissionem futuri alicui factam; Execratorium tandem est, cùm Deus invocatur, non ut testis tantùm, sed ut Index, cujus tanquam justi vindicis pœnæ se submittit, qui jurat, si sciens falsum dixisse deprehendatur. Hujus generis sunt illa: *Si sciens fallo, non adsit mihi morienti Deus: membrorum usu destituar: dehiscens tellus me absorbeat, liberos meos olim fame adactus devorem.* Et est perinde ac dicere: si mentior, Deus mendaciorum vindex ac conscius tanto meo malo palàm me mendacem ostendat.

II.

IV. Huic nunc fundamento fabricam nostram superstruamus. Prima itaque Juramenti conditio est, ut juretur cum Judicio: *Jurabis in Judicio*: quod idem est, ac cautè & prudenter. Scire enim oportet, Juramentum non esse ex eo bonorum genere, quæ per se amari & appeti digna sunt. Juramenta, si Angelicus non erravit, pharmacoporum instar sunt, quorum usus est in supplendo fidei humanæ defectu, quæ sine his vacillat: *à malo est.* Quare sicut omne pharmacum suo tempore, suâ mensurâ, suo modo sumendum est, sic & Juramentum: non est illo utendum, nisi cùm ad finem suum servit: aliàs, ut idem S. Doctor prosequitur, quanto majore ad sanandum vi pollet potio medica, quóque est pretiosior, tanto plus illa damni ac discriminis affert abutenti. An autem vos existimatis æquum esse, ut sacrosanctum DEI nomen, quod utique & pretio, & virtute margaritam omnem vincit, quæ ad pharmacum conficiendum adhibeatur, ita temerè misceatur & nullâ curâ, ac si obvia omni in agro herbula esset? imò magnâ semper reverentiâ & honore tractandum est, nec illo utendum, nisi cùm operæ pretium videbitur. *Qui intelligit, non in bonis, id est, per se appetendis, sed in necessariis jurationem habendam, refrenet se quantùm potest, ut non eâ utatur, nisi necessitas cogat.* Hanc in Juramento adhibendo regulam servandam S. Augustinus præscribit.

S. Aug. de Serm. in mont. l. 1, c. 33, tom. 4.

2. 2. q. 89. ar. 3. c.

V. Qui vellet, Regem ipsum venire ad triobolarem aliquam litem componendam, an non is apertè demonstraret, parvi se tantæ Majestatis authoritatem facere? Legum effatum est: *de minimis non curat Prator.* Non decet ad litem ejusmodi definiendam descendere Magistratum non supremum, quanto minùs id ipsum Principem decet? Et tamen non desint, qui velint authoritatem divinam in re nihili interponere? Hoc sanè est, ostendere quòd minus quis nôrit, quid sit Deus, quàm sciat, quæ sit Pontificis Maximi, Dei Vicarij, dignitas! qui exigeret, ut

ut hic nescio quas suas nugas ac jocos, Diplomate ritè & solenniter obsignato, ratas haberet. Atque hæc est causa, ob quam in Sacra historia Servator nos jussit, *non jurare omnino.* Non quòd, ut Hæretici aliqui commenti sunt, Juramentum quodvis lege hac vetitum voluerit; sed quòd nollet Juramentum unquam familiari & quotidiano in sermone adhiberi, & velut ex recepto more; sed tum solùm, cùm gravia momenta id poscerent, morâ & consideratione tantâ, perinde ac si omni nobis esset Juramento interdictum: hinc Apostolus nunquam nisi scripto jurâsse scitur: *Non invenitur jurâsse, nisi scribens:* Calamus siquidem non ita præceps solet esse ac lingua, quæ tam est lubrica, ut anguillæ instar, cùm minimè reris, elabatur.

Matt. 5. Vid. Salmer. tom. 3. tr. 40.

S. Th. 2. 2. q. 89. ar. 2. ad 4.

VI. Eâ etiam causâ Christiani veteres tam erant ab omni juramento alieni, quàm religiosissimi quique à perjurio abhorrent, ut de ipsis, Essenorum sub nomine, Josephus Hebræus refert: *Essæni jusjurandum quasi perjurium vitant.* Et verò sic fieri par esset, nec nisi necessitate ad jurandum induci quis se deberet sinere. Siquis à te petierit, ajebat Philo, ut verum hodie juramento affirmes, promitte te id facturum, sed cras: & si cras ille redierit ad idem petendum, tu in tertium diem illum rejicito: *Si forte differendo*, ut ille loquitur, *possis evitare ne jures.* Hæc jurandi parsimonia in magnum cedet Venerandi Nominis Dei honorem, quod hoc modo reveremur, ut decet; cùm è diverso illa facilitas, in eo pro re qualibet nauci adhibendo, non possit non in ejus contemptum potiùs, quàm dignam æstimationem cedere. Sponsa, quæ nullo non die Nuptiali veste indueretur, & inter ollas ac cacabos, inter cantharos ac dolia, verbo, quolibet abjecto ac sordido in ministerio eam gestaret, næ illa nec vestis pretiosæ, nec Mariti rationem ullam habere diceretur. At si non nisi feriatis solenni ritu diebus, non nisi iis locis ac ministeriis, in quibus illius labe aliquâ inficiendæ periculum nullum sit, veste hac induatur, non parùm honoris ac observantiæ eâ re Marito haberur. Non minus luculentum æstimationis de Deo conceptæ, & debitæ tantæ Majestati observantiæ ac reverentiæ argumentum est, difficilis illa mora, quam quis studiosè nectit, antequam ad jurandum induci se sinat, nisi aliud rei momentum ac gravitas postuler.

L. 2. c. 7.

In Decal.

VII. Quis proinde non indignetur nostri temporis abusui, quo videntur sibi Christiani loqui & agere inter se non posse, nisi Deum testem invocent ad quasvis ineptias ac crepundia? *Plura sunt juramenta, quàm verba:* Ut S. Augustinus loquitur. Hoc profectò est Nomen Dei eo loco habere, quo centonem aliquem sordibus tergendis destinarum; non ut pannum auro argentóque intextum tractare. Massagetas ajunt, olim per Paludem Mœotidem jurare solitos: his proinde permitti poterat, ut rem quamvis minimam jurejurando affirmarent.

Alex. ab Alex.

Christiani autem, qui jurant per Deum verum, quomodo non horrent ac refulgiunt eum è Cælo vocare in terras propter rem quamvis putidissimam? Christianos veteres Annalium fide discimus, cùm juramento firmare aliquid juberentur, templa accedere solitos, & ibi sacro quodam horrore ac reverentiâ perfusos, positis humi genibus, tangendo manu SS. Martyrum tumulos jurâsse.; perinde ac si non alio facilè loco, sine contemptûs periculo, Dei nomen invocare possent. Quin S. Cornelius Pontifex ac Martyr, & post illum Concilium Aurelianense illud præterea statuerunt, ut ne in sacrâ æde quidem juraret, qui cibi aliquid jam sumpsisset: *Honestum est, ut qui in Sanctis audet jurare, hoc jejunus faciat*: perinde ac si ad jurandum eâ, quâ ad sumendum divinissimum Epulum, præparatione opus esset; aut potiùs ne, ut S. Bonaventura cum aliis magni nominis Doctoribus observavit, cibus potúsve vaporibus illis suis rationem aliquantum obnubilando, periculo eandé exponerent minùs considerate Juramentum concipiendi. Quin imò Judæi ipsi tantæ sibi jam olim religioni ducebant proferre sublime & nulli communicabile Dei nomen, ut soli Sacerdotes, & hi non nisi tum, cùm ritu solenni in Templi adytis Populo bene precabantur, illud pronunciarent. Aliàs, cùm inter legendum sacrum Codicem id Nomen occurreret, aliud ejus loco substituebant, aliis etiâ commune, non Deum, sed Dominum appellando. Hæc nos audiamus, & non pudeat nostrorum temporum, quibus eò ventum est, ut vilissimus quisque nebulo identidem pro libidine impuro illud ore pronuntiet? An non sunt plurimi, quibus tam sæpe, tam contemptim Christi nomen in ore est, ac si lurconis, lixæ aut vilissimi scurræ nomen esset? Et hi scilicet abundè se purgent, si dicant; motam sibi bilem esse; fidem nisi jurantibus jam nullam haberi?

2.2.q 5. c. honestum.

Abul. Exod. c. 6. & Levit. c. 24.

VIII. Sed parciùs ista: ad iram enim quod spectat, velim sciatis, si commota vobis contra alium bilis est, Deum quoque momento eodem haud paulò justiùs ac vehementiùs vobis irasci, dum videt vos omnis erga sanctissimum Nomen suum reverentiæ oblitos; quo audito vel Infernus contremiscit; nihili admodum facere, quæcunque ille dira & immania, ad tanti nominis partes implendas, pro vobis perpessus est. Ne vos, quæso, oblivio capiat illius, quod in Deuteronomio legitur; *Non erit impunitus, qui super re vana Nomen ejus assumpserit.* Nolite Deut. 5. in animum ullo modo inducere, vos 9. impunè laturos: nec enim id fiet: nolite errare, nolite credere, in ventos verba illa vestra spargi, memoriam supereſſe nullam: cuncta memores in tabulas referuntur: iisque apud divinam Justitiam tanta contrahuntur nomina, ut iis olim expungendis stridere & gelido undique sudore perfundi necesse futurum sit. Hæc quæso attento vobiscum animo reputate, & natus inde horror suo gelu temperabit ardorem bilis accensæ, quem vos tam pravo abusui prætexitis.

IX. Al-

IX. Altera excusatio, quòd fides, nisi jurantibus, non habeatur, magis etiam explodi meretur: An enim æquum est, ut vos fidem dictis vestris concilietis, Dei nomine abuti, & ejus honorem negligi ac conculcari, ut vester illæsus servetur? quid hoc aliud est, quàm ex candelabris, & Calicibus Altaris auteis conflare vomeres, quibus agri vestri terram proscindatis? quid aliud, quàm maximis impendiis & sumptibus tantillum lanæ caprinæ velle emercari? Quamquam repetitis opportunitate qualibet levissima Juramentis ne id quidem, quod spectatis, consequi datur. *Juras tu*, dictum olim fuit Romæ cuidam, cui Carbo nomen, *Juras*, inquam, *ut fidem dictis certiorem adhibeam*; *& ego vicissim juro, quod nunquam tibi credam minus, quàm cùm juras.* Nihil constantius à nobis dicta affirmat, quàm vita ex virtute acta, & veritas semper sincerè asserta: & hæc est lex illa, quam Solon, inclitus ille Legislator, subditis suis tulit: sic vivere, ut ad fidem obtinendam necesse non sit jurare. Non nisi verum dicere solito, fit injuria, si vel simplici ejus assertioni fides non adhibeatur: qui autem mendax esse noscitur, huic ne in publicis quidem tribunalibus jurato creditur. Hinc dicere nonnemo consueverat: Cave arcana tua cujusquam alterius auribus committas: si tamen tacere illa non potueris, viro illa mendaci confide; hic enim si ea manifestârit, nemo illi credet. Nihil igitur valet utraque hæc excusatio. Atque adeò tam vos decet esse alienos à veris etiam juramento promptâ voluntate affirmandis, ut potiùs cùm vel res postulat, non faciliùs ad jurandum inducamini, quàm alius ad equuleum. *Juramentum*, ajebat Veterum Sapientum aliquis, *homini libero pro tormento est.*

Eras lib. 6.

Plutarch. in quæst. Conv.

III.

X. Quæ tamen dicta sunt hactenus haud paulò minora sunt iis, quæ dicere me oportet, de Juramentorum abusu. Cùm denique Juramento sola deest prudentia & cautio, malum id quidem esse nemo nescit: est tamen malum inter cetera tolerabilius: dum naturâ saltem suâ noxæ gravis rationem non continet. Multo, sine omni comparatione, deterius est, si etiam Justitia defuerit: *Jurabis in Justitia.* Jurare autem in Justitiâ est juramento asserere res licitas, & quas præstare sine offensa Numinis liceat: id quod maximè in Juramento promissorio locum habet: unde si res, quam quis ejusmodi Juramento promittit, aut minatur, lege divinâ graviter vetita est, Juramento promissionem aut minas tales affirmare, Dei nomine interposito, grave perjurij peccatum est. Et verò hoc ipsum noxæ genus est, quo se Christianorum è numero complures sæpe admodum obstringunt, quos cùm vix tetigeris, vix tantillum moveris, mox paludis instar putentissimæ fœtorem horrendum sursum exhalant. *Per corpus*, inquiunt, *Dei, non feres impunè: Per sanguinem Dei dabis mihi pœnas. Quàm verò Deus est, tam injuriæ non obliviscar, nec veniam dabo unquam.* His, & similibus formulis hodie multi utuntur; hæ autem uno in peccato maliciam involvunt geminam. Prima est, obstinata

illa vindictam sumendi voluntas, contra quam Deus jusserit : altera gravior, est testem voluntatis tam consceleratæ vocare Deum, qui illam tam vehementer exosus est ; & abuti authoritate divinâ ad affirmandas violationes legum ab ipsa latarum. Parentem cogitemus virum honoratum, qui filiæ suæ prohibeat, ne lictori nubat : si tamen hæc non solùm pergat contumaciter hunc maritum velle, cum summo familiæ & agnatorum probro ; sed Parentem etiam cupiat Matrimonii contractui testem adesse, an non contemptum ac injuriam illa geminat facinore tam indigno, quam jam aliàs, justo imperio spreto, eidem infert ? nemo est, qui dubitet. Quare cùm reos vos pro sacro Tribunali agitis, nôsse vos velim, exigere confessionis integritatem, ut geminam hanc actûs tam turpis malitiam distinctè expliceris : nec satis erit dicere ac fateri, quòd Juramento se quis modo non debito obstrinxerit, sed explicanda etiam est mali, quod factum se quis juraverit, natura ; dicendúmque v. g. *Juravi quod velim è medio tollere inimicum meum : juravi nolle me dimittere pellicem*, & quæ sunt alia ejusmodi.

S. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 2. & 2. 2. q. 110. ar. 3. ad 5. I. R. 25.

XI. Præterea nemo sibi ullatenus persuadeat, se ea, quæ malè juraverit, teneri re ipsâ exequi. Alia omnia oportet facere : quod enim non absque peccato promissum est, multo minùs absque peccato executioni mandabitur. Hinc quàm laudatur sapientia Davidis, qui cùm malè consulto iræ impetu jurâsset, se totam stulti Nabalis progeniem extirpaturum, precibus tamen supplicis Abigaillis vitam & Marito, & toti familiæ donavit ; tam reprehenditur Herodis impietas, qui cùm temerè jurâsset, se facturum quidquid vanissima illa puella saltatrix Herodias postulâsset, stetit Juramento, & ut erat rogatus, sanctissimum Præcursorem capite truncari jussit. *Temerè juratur, & impiè, quod juratur, impletur.* S. Aug. serm 10. in Nov. serm.

XII. Ea hujus Juramenti vis est, ut præstanda sint, quæ promissa sunt, honesta ; & tunc, nisi interim rerum status ac conditio mutetur, præstituto tempore ad amussim implenda, maximè ubi de Proximi commodo agitur, sic ut stare Juramento cum ejus conjunctum sit emolumento, non stare verò, cum ejusdem detrimento : hinc fides jurata vel alienis à verâ Religione servanda. Multis quidem gravibúsque suppliciis vindex Deus variorum Hebræi Populi Regum scelera punivit : in nullum tamen eorum immitiùs severiúsque animadvertit ; quàm in Regem Sedeciam. Exutus Regno brevissimi temporis intervallo vidit corporis sui custodes profligatos, Ministros & Aulicos circa se nullos, Civitatem eversam, Templum suomet scelere in cineres subsidere, Clientes abstrahi in vincula, filios in Patris oculis jugulari, eosdem mox oculos sibi erui ; vitæ denique gratiam non ob aliud fieri, quàm ut inter compedes & vincula dirissima lentiùs moreretur. Quæ autem pœnarum tam atrocium causa ? non alia, quàm quòd non steterit Juramento, quo Regi Idololatræ se devinxerat, Nabucchonosori inquam Baby-

Ezech. 17. 18. Babylonio. *Spreverat enim Sedecias Juramentum.* Tam rigidè debitum suo Nomini honorem tuetur Deus, ut eorum etiam causæ faveat, qui non Dei minùs, quàm hominum hostes sunt, quando de perjuris castigandis agitur: qui sanctissimum illud Nomen despicatui habuerant. Unde non erit difficile conjecturam sumere, quàm meritò timere debeant Juvenes illi, qui toties puellæ alicui promittunt jurati, se eam ducturos; ut sic incautam faciliùs implicent laqueis, quos tendunt: subinde autem, cùm erupuerint miseræ quod habebat pulcherrimum & optimum, innocentiam inquam & pudorē virgineum, ex furibus perjuri negant se quidquam promisisse, ne reddere cogantur. O mortalium miserrimos! audiant, quid per Vatem Ezechielem pronuntiet Deus. *Qui dissolvit pactum,* Ezech. 17. 15. 17 19. *nunquid effugiet?* & post pauca: *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam Juramentum, quod sprevit, ponam in caput ejus.* Faciant, quod lubet, nebulones mendacissimi. Non deerit tribunal, ad quod eos delusa Puella citet; etsi humanis Tribunalibus illudant, aut pretio eorum sibi favorem concilient: divinum non effugient, quod ad necem eos vocat: *Implacabilis est Deus juramen-* Hom. 19. ad Pop. *tis contemptis:* quæ sunt S. Joannis Chrysostomi verba. Vigebat in Ægypto lex, ut quisquis per salutem Regis jurâsset, nec tamen stetisset jùramento, extremo supplicio citra omnem veniæ spem afficeretur; si vel tantum vitæ servandæ auri gemmarúmve pondus promisisset, quantum molem corporis sui adæquaret. Et credam ego, Deum minorem honoris sui, ludibrio spreti, rationem habiturum, quàm habeant mortales terræ Reges? Non ita fiet, non fiet: Unde mihi certò persuadeo, Proditores illos ac perjuros, de quibus nobis sermo, si quando Dei miserationes imploraverint, aut surdâ aure negligendos, aut non nisi ingenti piorum operum cumulo numerato & persoluto, quod petunt, obtenturos. *Implacabilis est Deus Juramentis contemptis.* *Abul. in Deut.*

XIII. Ultima tandem Juramenti conditio, præ cæteris requisita, est Veritas: *Juretis in Veritate.* Non est proinde ferenda tam multorum insciția, qui quidquid mentientes effutiunt, paulò post Jurejurando affirmant: *Per Christum, ita & non aliter se res habet; Per Deum, quem adoro: Tam hoc verum est, quàm verè Deus est.* Evomunt hoc tam noxium venenum perinde, ut aquam, & purgant se, cum dicto: *Nemini cuiquam id nocere.* Si ita esset, posset in frusta diffringi Crucifixi Dei simulacrum, & pro auctario pedibus conculcari, & dici deinde: cui tandem istud nocet? si aliis quis non nocet, immensum quantum tamen nocet Animæ suæ, simúlque gravissimâ injuriâ afficit Deum Universi Conditorem, non aliter, ac mendacem aliquem, eum habendo. Dicat quis viro Illustri, illum apertè mentitum esse; subinde autem ex eo quærat, cui eâ re damni aliquid illatum sit? Haud paulò majus malum ille existimabit mendacij labem sibi affricatam, quàm si luculentum aliquod vulnus accepisset.

Rem

Rem igitur momenti exigui esse, quam falsò affirmatis, tam non minuit deformitatem & malitiam perjurij, ut augeat etiam. Sic Angelicus censuit, qui idcirco docet, affirmare jurejurando mendacium jocosum, magis Divino Nomini injuriosum esse, dum nullâ necessitate, imò nec utilitate, Deus rem falsam testari jubetur: perinde ac si aliter jam tempus fallere non possimus, nisi DEUM eorum, quæ joco falsa asserimus, testem esse velimus.

2. 2. q. 98. a. 3. ad 2.

XIV. Pari ratione vehementer falluntur, qui ut alium gravi malo, ob delictum aliquod subeundo, liberent, à transtris v. g. triremium à carcere, à funis supplicio, non dubitant coram legitimo Judice ejus Innocentiam jurati asserere, quem nôrunt esse Reum: nec dispar eorum conditio est, qui ut filium parentis inopis juvent ad Sacerdotis gradum dignitatémque consequendam, testantur, dotatum illum esse patrimonio ad eum fiat sufficiente; dum nôrunt, id non esse sufficiens: & si quis eos ob noxam illam reprehendat, respondent, se charitate in proximum impulsos ita jurâsse. Itáne, Charitate? videte per DEUM, quid hodie Christianæ Charitatis supersit, postquam ejus tantâ ex parte jactura est facta! si egenus quispiam mittat ad petendum ab iis panem, varia causantur, quo minùs dare illum possint; at si fictus quispiam amicus Animam ab iis petat, ut Dæmoni illam dono dent, nihil cunctati eam concedunt. Quod alienæ indigentiæ subveniatis, probo; si tamen id non fiat cum vestrâmet pernicie. Æquúmne vobis videtur, ut ob agnati alicujus, alicujus Civis, aut alterius cujusvis caducum bonum, vos Cæli jacturam faciatis? Charitas est, ad pileum socio in mare delapsum recipiendum, aquas illas natando ingredi: at fluctibus hauriri se sinere, ne pileus pereat, plùs quàm palmaris insania foret. Hoc autem est, quod vos agitis: eo tamen discrimine, quòd vos præcipites agatis vosmetipsos in mare igneum, omnibus stultè perjuris accensum.

XV. Si autem eò quis progrederetur, ut coram legitimo Judice pejeret, non ad tegendam noxam Rei ad examen vocati, sed ad opprimendam Innocentiam alicujus Justi, quis explicet, quanta ejus peccati, & quàm horrenda esset deformitas? Viperæ instar esset scorpionibus pastæ, & inde præsentissimo veneno plenæ: dum peccatum hoc complecteretur gravissimum Proximi damnum, ex summâ in Deum injuriâ & contemptu ortum. Edicite: fierine potest, eò impudentiæ quempiam prolabi, ut viro magnæ in vulgus æstimationis & authoritatis dicere non vereatur. Propositum mihi est, huic certo homini perniciem moliri, quare veni Domine mi, & mecum coram Tribunali falsum contra eum testare: dic, aliena illum rapuisse, stupro polluisse virginem, plagam alteri inflixisse: etsi falsa sint omnia: aut veni saltem, ut testeris, expunxisse me, quæ contraxeram nomina, etsi adhuc debeam. Auderet, quæso, ullus virum notæ boni-

bonitatis ad talia sollicitare, nisi mente captus sit? Et à Deo hæc eadem postulare non pudeat? *Quod ab amico non audes postulare*, ait Philo, *ad id DEUM vocas?* O rem dictu fœdam! Quid tamen aliud agit, quando ad fallendum alterum, aut perniciem illi accersendam, Dei nomine pejerando quis abutitur? Aliúdne est, quàm Deo obliquè saltem dicere: Domine, nullus mihi color suppetit, quem dolis meis illinam, nec ars, quâ illos tegam: Tu igitur Cælo delabere, & illo me testimonio juva, cui nemo non fidem habet in re qualibet: juva me, proximo accersere exilium, in ruinam eum impellere: quod meæ deest nequitiæ ad rem hanc perficiendam, Tu nominis tui Authoritate supple. *Esto alienæ malitiæ vicarius.* Si ego tam nequam sum, & tu tam bonus, quid interest? Serviat malo bonus, & pessimo optimus. *Melior deteriori subserviat, Deus optimus scelesto homini.* Potéstne cogitari impudentia hâc scelerata magìs? Audite igitur quàm bellè nôrit Deus excutere onus, quòd illi imponere nefarij moliuntur, dum falsarium esse jubent. In Corsicâ, notâ illâ Insulâ, pagus est haud S. Bonifacio procul, in hoc à mariti morte vidua remansit mulier æqui rectique tenax. Reliquerat illi maritus moriens coronatos argenteos trecentos, ad locandam suo tempore honesto Matrimonio filiolam parvo tum natu, conjugij laudati fructum unicum. Metuebat bona fœmina, ne eam argenti summam domi suæ retinendo clepaces furum manus proritaret: quare pro suâ bonitate induci se passa est ad eam apud vicinum deponendam, nullâ petitâ syngraphâ, depositæ ejus pecuniæ teste: quàm enim procul ipsa aberat ab omni fraude: tam aliena etiam erat ab eâ in aliis suspectanda. Crevit interim filia, & jam ejus elocandæ tempus aderat: unde conjugio jam rato, Mater depositam Pecuniam à credito amico repetit: hic lucri spe excæcatus negat audacter, ac pernegat, ullum se ab eâ vel assem unquam accepisse: & si quid, ajebat, à me petis, vade, & per Judicem id à me repete. Sed quid ageret infelix vidua, quæ alterum in tribunali testem producere non poterat, quàm ipsius perfidi conjugem, si verum illa fateri vellet? Ivit tamen misera, & Judici, quod res erat, amaras inter lacrymas exposuit. Judex miseratione motus accirl ad Tribunal perfidum jubet, & cum eo conjugem, ac Juramento consueto testari utrumque jussit, quod erat. Juravit uterque per suam & suorum liberorum vitam, nihil se de pecuniâ, quæ repetebatur, scire. Sed prô! quàm potenti illos brachio punire Deus potest, qui nullo ejus metu tanguntur! Erant perjuris illis filij tres; duorum non nisi mensiũ unus, quinquennis alter, tertius annorum quinque supta viginti: cùm ecce, domum reversa conjunx, mortuum reperit filiolum natu minimum, & suis cunis sepultum, quæ mirâ quadam ratione erant eversæ. Agnovit confestim vindicem Dei manum, jam jam imminentẽ: sed pro eo; quòd admissi veniam peteret, in desperationis rabiem acta, arrepto cultro quinquennẽ etiam filiolum jugulavit. Nondum finis Tragœdiæ.

Philo l. de Decal.

Idem ibid.

Apud Valer. Venet. l. 1. c. 7. ex. 2.

gœdiæ. Maritus domum & ipse subinde appulsus, partim funesto gemini filij occisi spectaculo, partim animi sui scelera exprobrantis dirâ conscientiâ stimulatus, in furorem agitur, mucrone ream conjugem transverberat, & omnem viciniam clamoribus implens, ut omnis jam domus tetro cruore natabat, suum ipse facinus prodit. Quid multis? accurrit cum plurimo populo satellitum globus, & reum alieno adhuc sanguine stillantem in vincula & ad Judicem rapit: nec hic promeritum ad supplicium damnare eum differt. Hactenus, non ultra, ad perjurium puniendum progressam Dei Justitiam existimabitis; sed fallimini: audite igitur, & si potestis, non cohorrescite. Deerat eâ in Provinciâ carnifex, qui latæ contra Homicidam tam impium sententiæ minister esset: hic dum in omni populo quæritur, cùm nemo tam tristi ministerio commodare manum vellet, prodit filius perfidi primogenitus, quem annum vicesimum quintum explesse dicebamus, & ad vindicandam matris unicè dilectæ necem, vicit pudorem furore, scalas conscendit, inserto in laqueum Parentis collo præfocat reum, mox in frusta secat, nunquam magis violatæ Justitiæ reus, quàm dum partes Justitiæ non suas implet. Sed ne sic quidem contenta Numinis Justitia à vindicando ulteriùs perjurio destitit. Ipse enim iste filius, carnificis in Parentem functus officio, non multis abinde diebus, cùm resedisset jam & refrixisset conceptus in Parentem furor, reputare secum tacitus cœpit, quàm & in patrem impius, & omnis famæ ac existimationis contemptor fuisset, non veritus illum omnium in oculis interficere, & vitam illi tollere, à quo suam ipse accepisset: unde cùm quietis jam partem capere nullam posset, eâ tandem se manu ipse interemit, quâ facinus tam tetrum perpetraverat: atque ita post neces quatuor, actu hoc ultimo demonstravit adimpletam illam Dei protestationem, quâ dixit, maledictionem suam celeritate summâ descensuram Cœlo contra illum Impium, qui non formidârit pejerare, nec ante in eum sævire cessaturam, quàm eum stirpitus evulsisset. *Maledictio venit* (audite, Deus est, qui loquitur) *veniet*: & quo? *veniet ad domum Jurantis in nomine meo mendaciter.* Sed non satis est venire, habitabit ibi tanquam sede suâ stabili: *& commorabitur in medio domûs ejus.* Sed & hoc parum est: consumet eam, sicut minutissimum in pulverem omnem trabem, & pavimentum sit redacturus. *Et consumet eam, & ligna ejus & lapides ejus.* Quanto satiùs igitur futurum erat Parenti illi misero imitari antiquum Cliniam, etsi Idololatram, qui maluit numerare auri talenta tria millia, quàm in Judicio etiam verè jurare, se debitorem non esse; quàm sinere se induci à Dæmone ad pejerandum pro trecentis coronatis?

Zach. 5, 4

S. Basil. epist. ad Nepot.

V.

XVI. Accipite igitur, Dilectissimi, præclarum monitum, quo vos S. Augustinus ore meo hîc sub finem hortatur, *Falsa juratio exitiosa, vera periculosa, nulla secura.* Pejerare est animam certo exitij sempiterni periculo exponere;

Serm. de Decoll. S. Jo. Bapt.

exponere: duplici maximè ex capite. Primum horum est ipsius, quod admittitur, peccati atrocitas. Nôsse enim oportet, Perjurium esse peccatum ipso etiam Homicidio gravius & enormius, cùm præcepto nobiliori, & scilicet Religionis virtuti repugnet, & ita affirmante S. Thoma, secundum à peccato omnium maximo, ab Infidelitate inquam, quæ aversionem à Deo magìs apertam complectitur. Id quod nobis non humanæ tantùm, sed & Divinæ leges palàm faciunt: Divinæ quidem, quia Perjurium præceptis primæ Tabulæ opponitur; occidere autem hominem, præceptis secundæ Tabulæ: Humanæ autem, dum vetant, ne Judices omittant Juramentum etiam publicis latronibus deferre. Quæ autem hæc, pergit S. Doctor, foret prudentia, si majus Perjurio & atrocius esset Homicidium? Possent eo casu Judices sibi persuadere, eum, qui scelus ausus est enormius, publicis in viis homines enecando, non formidaturum admittere etiam minus, audacter pejerando. Sed Judices eâ in re prudenter se gerunt. Supponunt igitur vel naturâ magistrâ notum, Perjurium esse peccatum majus quovis alio, quod admittere Latro publicus possit, eáque causâ non debere unquam præsumi, inveniri in Mundo Mortalium aliquem tam perfidum, tam desperatum, qui, etsi enormium quorúmque facinorum reus, audeat tamen ipsum DEUM cælo evocare ad rem falsam suo testimonio affirmandam. Nec minorem in perjurio enormitatem agnoscit Ecclesia, quæ eâ causâ Sacris in Canonibus præcipit, ut non tantum Fideles hujus delicti gravitatem diligenter doceantur, sed insuper, ut perjurii reo eædem imperentur pœnæ, quæ homicidæ; septem nimirum annorum severissima à cibis abstinentia, non sine appendice multarum aliarum aspiritatum pœnalium, quæ parùm hodie notæ sunt, dum transgressionum multitudo fecit, ut indies aliquid de supplicii gravitate detraheretur.

Quodlib. 3. q. 9. art. 18.

quicunque 6. q. 3.

XVII. Alterum caput, ob quod patùm ab exitio sempiterno absunt Perjuri, est, quia hi vix aliquem è Cælitum numero inveniunt, qui causam eorum apud Deum Patronus agere velit. Sanctus Gregorius rem non prætereundam advertit: solitos nimirum suâ ætate ægros ad SS. Martyrum sepulchra ventitare, & sanitatem inde domum reportare: solitos ventitare energumenos, & pessimos ex iis hospites expelli: ubi verò & Perjuri accessissent, solitos ibi magìs quàm uspiam alibi torqueri malis, quibus erant obnoxii. S. Doctoris verba sunt: *Ad Martyrum sepulchra veniunt ægri & sanantur: veniunt Damoniaci, & curantur: veniunt Perjuri & à Damone vexantur*: perinde ac si Perjuris nulla porrò parata sit pietas, nulla miseratio, idémque iis accidat, quod nonnunquam causam agentibus contra suum Principem, ut nec auditor inveniatur, qui momenta sua proponentibus aurem accommodet, nec Advocatus, qui scribat, nec Procurator, qui causam coram Judice agat. Verè igitur, *Falsa juratio exitiosa.*

Hom. 32. in Evang.

XVIII. Sed nec illud quidem committendum, ut, quæ vera sunt passim, quantumvis levia, juramento affirmemus. *Vera Juratio periculosa.* Ecquod autem eâ in re est periculum? duorum omnino malorum, præsentis unius & alterius futuri. Ad primum quod pertinet, observat S. Joannes Chrysostonus, quomodo primorum seculorum Fideles magna quæque ac mira, divino Nomine invocato, patrârint; sedabant tempestates, morbos curabant, sistebant incendia, turbines ac tempestates dissipabant, eâ causâ, quòd nunquam Nomen illud Sacrosanctum proferrent, nisi illud glorificandi celebrandique studio. Hodie ipsum istud Nomen passim in conventiculis, & quotidiano sermone nullâ reverentiâ & timore pronuntiatur. Quid igitur mirum, si ejusdem virtute mira jam penitus non operamur? Vera Juramento adstruere, ad Religionis virtutem pertinet, ut notum est. Nequaquam tamē id ita est, cùm ad suos duntaxat fines privatos Juramenta ab hominibus referuntur, fines momēti nullius, terram sapientes, & qui excogitari possint, vilissimos, qualis est, in cunctis, quæ quis dixerit, authoritatem sibi planè inutilem velle conciliare. Inversus hic rerum ordo tam non Religionis effectus est, ut potiùs rectâ cum virtute hac pugnet, inter Christianos maximè. Si enim ad Christianos plus, quàm ad ullum aliud Mortalium genus pertinet, divinum Nomen exaltare, quæ æquitas sinet, ut Nomen hoc tam vile habeant, ut ad usum quemlibet, etsi minimè necessarium, temerè id sibi servire velint, perinde ac si Magnum hoc Nomen eum in finem destinatum sit, ut ipsi eo utantur pro arbitrio, non ut ipsi tanto Nomini exaltando serviant? Qui ita se gerit, indignus profectò est, qui ejusce Nominis favore, cùm res vel maximè poscent, adjuvetur. Quostamen ad fines, quas nostras ad necessitates in Sacris illud literis nobis revelatum est? non ad alias profectò, quàm quæ ad salutem æternam consequendam pertinent. *Non est aliud nomen sub Cælo, in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. 4. 12. Hæc est illa fortissima refugii turris in cunctis malis nostris. *Turris fortissima Nomen Domini.* Prov. 18. 10. Hoc nomen est asylum in Ærumnis; armamentarium in tentationibus; Anchora firmissima in tempestatibus. Quomodo autem ad fines hos sublimes, & homine dignos rectè invocabit Nomen hoc, qui illud identidem nullo reverentis Animi signo compellat? Nemo asylum invenit ad Altare, qui illud profanat. Atque hæc ad lucrum cessans pertinent, quod ex assuetudine, jurandi sine ullo metu, nascitur, etsi falsum juramento non affirmetur.

XIX. Emergens autem damnum, malum nimirum futurum, sunt vitia haud sanè levia, quæ assuetudo ista secum trahit. *Vir multum jurans implebitur iniquitate.* Eccli. 23. 14. Sic Deus ipse testatur, id indicans, quòd homo crebrò multúmque jurans, si non est jam plenus iniquitate, paulò post tamen certò futurus sit. A Juramento præstito sine judicio & Prudentiâ, transibit ad jurandū sine justitiâ, & â juramento sine ju-

justitiâ proficiet ad jurandum sine veritate, quorum malorum quodlibet altero majus est. Primo enim modo qui jurat, jurat ut temerarius, qui secundo, ut iniquus, qui tertio ut perfidus. Nec est cur quisquam speret meliora: ut enim, qui multum loquitur, non potest non sæpe labi, etsi conetur non labi, non uno genere sermonis; sic qui jurat multum, necesse est & ipsum sæpe impingere & prolabi. Hinc illud; *Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illâ.* Prolabi solent & qui volunt, & qui non volunt, maximè si quis ab equo freni impatiente ferri se sinat, quo fert impetus. Similis autem ejusmodi equo lingua est. Nihil proinde tutum satis, nisi omni jurandi usu sibi interdicere: *Nulla juratio secura.*

Eccli. 23. 9.

XX. Hoc igitur est, Auditores Dilectissimi, quod hodie vobiscum statuere vos decet; nunquam jurare deinceps. *Ante omnia nolite jurare Fratres mei*: quod est monitum Jacobi Apostoli, summam vobis allaturum utilitatem, si audire & sequi non neglexeritis: *nolite jurare.* Quid refert, an alii dictis vestris fidem adhibeant, an verò non adhibeant? exigui sanè hoc momenti est! quòd autem pejerandi quis se exponat periculo, hoc enimverò momenti est non levis: adeò ut securitatis eâ in re consequendæ gratiâ operæ pretium futurum esset, perpetuũ sibi silentium imperare. S. Joannem Chrysostomum Annales narrant in omni bene longâ vitâ jurâsse nunquã; id quod ab aliis quoq; magni virtute viris præstitũ legimus. Quid igitur prohibet, quo minùs id nos quoque facere decernamus, saltem si necessitas maxima aliud non suaserit? quæ est regula jam pridem à Magno Augustino proposita. *Quantum in te est*, ajebat iste, *non affectes, non ames, nec quasi pro bono, cum aliquâ delectatione appetas jusjurandum.* Cùm Principum aliquis publicâ præconis voce vetat quidpiam, aut jubet, videmus ejusmodi imperia reverenter à subditis observari. Dum ergo vetat Deus Sanctissimum Nomen suum in vanum assumi, quid eo præcepto spectat? An non ut lege, ritu solennissimo promulgata, Nomen hoc à linguis hominum parùm reverentibus nullo probro, nullo dedecore afficiatur? Ut quid igitur non omnes paratissimi, jussa hæc & audiunt, & faciunt? Audio vos sub isto Juramentis abstinendi decreto gemere haud aliter, ac sub onere viribus vestris longè majori & intolerabili, propterea, quod tot annorum assuetudo difficillimum vobis faciat non jurare. Sed dicite: antequam sua Princeps jussa promulgari curaret, an non potest quis in more positum habuisse venari per agros & nemora quot diebus? cur tamen is, hac licet illectus assuetudine, à promulgatâ lege Principis tam diligenter omni venatione abstinet? An non, quia prohibentem Principem metuit? Idem igitur in re nostrâ facite: Deum timete, & mox vel repugnante assuetudine emendatum videbitis temere jurandi morem. Si S. Joanni Chrysostomo fides, nulla est tam inveterata assuetudo, quæ timori non cedat, si hic verus sit. Est,

Jac. 5. 12.

De mendac. c. 15

cui volupe ac frequens sit fluminis undis æstate ablui : cùm hic audit ex Medico, valetudini hoc plurimum nocere in homine id ætatis, porrò non lavat. Est, qui vinum nullâ non die bibit ; non bibit tamen, cùm caloribus febrilibus tentatur : assuevit prodire in publicum, & liberiorem auram captare ; tum cubiculi se latebris abdit ; assuevit lusui, & aliorum mox consortio sibi interdicit ; & hæc omnia morbi augendi metu : *Vides* igitur, *vides*, pergit S. Doctor, *quod ubi est timor, facilè solvitur consuetudo, etiamsi valde diuturna sit & necessaria* : Hæc proinde prima est, pravam ejusmodi jurandi assuetudinem dediscendi ratio ac via, timorem concipere salutarem malorum gravissimorum, quæ secum trahunt ejusmodi juramenta ; hac enim causâ, cùm Sapiens pronuntiâsset : *Vir multum jurans implebitur iniquitate*, mox addidit, *& non discedet à domo illius plaga* : ut, qui tam detestabili à vitio non satis abhorret odio culpæ & fœditatis conjunctæ, illum efficacius ab eo metus pœnæ coërceat. Deinde ponite metum, quia non vestris viribus hic vobis devincendus est hostis ; Deo adjuvante vincendus est. Dura omnino lex est assuetudo ; sed malam vincit & evellit bona, sicut indies legem unam latâ lege aliâ repugnante abrogari videmus. Satis vos facietis muneri vestro, si iis diligenter usi fueritis mediis, quæ malo huic curando serviunt ; & sunt illa ipsissima, quæ Christus velut in imagine

Hom. 14 ad Pop.

proposuit in lingua muti illius Evangelici sanandâ. Matth. 7.

XXI. Primò in Cælum oculos Servator sustulit ; *Suspexit in Cælum.* Obtutum divinum ! qui tam bellè nos docet rationem ac modum suos intra limites continendi linguam nostram, non jam ligatam cum illa Muti lingua, sed nimium quantum solutam ac liberam in DEI sui Nomine profanando ! ad Cælum attollendi sunt oculi ; diligenter perpendendo, quanta quâmque sublimis sit illa ludibrio à nobis habita Majestas. Tum enimverò apparebit confestim, quàm graviter dedeceat hominem, saccum putredinis, uti nomine tanti támque verendi Monarchæ, tanquam re vili ac sordidâ ad exonerandam suam bilem, ad affirmandum mendacium à se prolatum, eo ipso temporis momento, quo omnis Cælestis Aula, tam numerosa, ter Sanctum appellat Nomen, quod homulus ille tam contemptim profert : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS Omnipotens.* Dirigendus dein in Cælum obtutus, ad illam inde opem flagitandam, quam aliunde frustra expectamus, ad domandam effrenem illam linguam nostram. Sic Sanctus Augustinus hortatur : *Si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram.*

Is. 6. 3.

Serm. 3. de Verb. Dom.

XXII. Secundò, antequam sanandæ linguæ manum Servator admove-

ret,

ret, *Ingemuit*: & hoc cùm nunquam ferè faciant Christiani, vix unquam etiam persanantur. Vix unquam seriò ipsis dolent peccata, quæ in contumeliâ afficiendo DEI Nomine admiserunt, sed blandiuntur sibi potiùs excusationibus illis familiaribus: *Nimis facilè mihi concitatur bilis: sic assuevi? non possum mihi imperare: non ita loquor, ut Deum ludibrio habeam:* & sic dum vulnus palpant, pro eo, quòd saniem non perfunctoriè abstergant, indies illud reddunt purulentius. Nihil deinceps horum ex vobis audiatur, AA. Dilectissimi: reputate potiùs animo, nullam defendendo abusui tam enormi, & tam pugnanti cum fine, propter quem linguam vobis Deus dedit, sufficere penitus excusationem: ac proinde pœnas à vobis atrocissimas repetendas, dum pondere ac mensurâ lenti ac tenacis ignis luetis noxas, quas nullâ non die tam facilè & tam nullâ curâ contrahitis. *Ingemuit.* Si tantus vos admissorum cruciaret dolor, cum pœnitudine junctus, quantum excusationum illis tegendis undique conquiritis; ausim dicere, vos jam ab hoc momento alios futuros, maximæ ejusmodi mutationi obtinendæ, aut ipsi vobis imperaretis, aut ab animi arbitro imperari vobis curaretis pœnale aliquod opus, quod freni instar vos, & lubricam vestram linguam coërceret; ut puta, abstinentiam à cibo, sui diverberationem, preces in Templo fundendas, stipem inopi porrigendam, & quæ sunt alia ejus generis. Miles nonnemo, qui assueverat temerè Dei nomen compellare, quoties bilis calore effervescebat, jussus est à Sacro Judice toties prono corpore crucem in solo linguæ ministerio formare, quoties in sacrilegas ejusmodi voces prorupisset. Hoc pœnæ genere & animi ille, & corporis vitam servavit: lite enim inter ipsum, & commilitones alios, ut huic hominum sorti id perfrequens est, obortâ, veteri ille more suo, & vitii impetu abreptus temerè Dei Nomen & contemptim protulit: sed mox peccati pœnitens in terram prostratus est, crucem, ut jussus erat, lambendo descripturus: cùm ecce globus ferreâ ex fistulâ explosus sic tergum rasit, ut thoracis & intetulæ partem avelleret, cetera innoxius: haud dubiè tamen trajecturus virum, si in pedes erectus constitisset. Agnovit favorem Numinis singularem miles, & grati animi ostendendi ergo ad ædem Deiparæ Lauretanam visendam profectus, suspenso inibi anathemate memoriam tanti beneficii perennem & certam reliquit. Lubeat militis hujus exemplum sequi, & omnem linguæ lapsum salubri pœnâ vindicare, & docebit vos experientia, quàm certò animum subitura sit delicti cavendi memoria. Canis si adverteret, quòd venator commissos errores mulcendo dissimulet, deinceps etiam peccare pergeret: at si errantem venator verberibus non perfunctoriè mulctet, videre erit, etiam bestiam ulmeæ grandinis metu haud paulò cautiorem reddi.

Pennequin de Amor. div. p. 3. c 17. §. 3.

Tan-

XXIII. Tandem Christus, postquam in cælum suspexit, atque ingemuit, infelicis etiam illius muti linguam beneficâ manu tetigit. Agite, ut & vobis hic favor obtingat. Agite, ut vestram etiam linguam crebro tangat Christus, sæpe divinum ad Epulum accumbendo, eo vobis fine singulariter proposito, ut hoc medio curetis malum longè gravissimum, linguæ inquam abusum tam noxium: & ipso discetis usu, quanta vi polleat Caro illa innocentissima Agni, labis omnis expertis, ad persanandam linguam lubricam, sic ut deinceps de vobis quoque verè dici possit; *Et loquebatur rectè.* Qui antea nec quatuor quidem verba proferre nôrat, quin ipso se Dæmone deteriorem demonstraret (nam etsi hic vicibus innumeris ad homines fallendos mentitus sit, jurejurando tamen mendacia hæc sua affirmâsse nescitur) qui inquam linguâ erat tam effreni, ut vel Luciferum sacrilegâ linguæ libertate vinceret, hunc mutatum in melius audire erit non nisi ea loquentem, quæ Christianum decent, nec aliis utentem res affirmandi formulis, quàm quas à Christo docti sumus: *est est, non non*: Jámque illud habebit persuasissimum, quòd quidquid *his abundantius est, à malo est*: à malo inquam aut vitii proprii, irreverentiæ in Deum, aut ab alieno, tarditatis in credendo. O quàm rectè, quisquis talis est, linguâ suâ utitur! servit hæc ipsi non ad aliud, quàm ad id, ad quod sui viris illustribus & Vasallis nobilibus enses, ad propugnandum inquam Domini & Principis sui honorem; non verò ad illum imminuendum. Ille idem Deus & Servator, cujus opera nostrorum normam esse decet & regulam, ille, inquam, ipse eadem in vobis etiam nunc denuo operetur prodigia, ut nemo non vestrûm dignus evadat beatitatis illius verè magnæ, quanta est, non peccare linguâ. *Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo.* Matth. 5. 37. Eccli. 24. 1.

DISCURSUS XI.

De Præcepto sanctificandi dies Deo sacros.

I. SUperbus Ille damnatorum spirituũ Coryphæus, qui inde à principio conatus est Altissimo Deo similis evadere, ipso subinde illo nisu suo ambitioso, geminando impetum, quo præceps in orcum actus est, jam non id agit tantùm, ut similis Deo habeatur, ut olim, sed ut illo major ac superior. Quare cùm Deus, tanquam debitum tot nominibus tributum à morta-

mortalibus exigat certorum dierum ferias, in id nefarius ille incumbit, ut tollat DEO penitus honoris & observantiæ debitæ tributum, sibique arroget: hinc conjuratis in divini honoris extirpationem sociis istud promulgat imperium: *Quiescere faciamus omnes dies festos DEI à terra.* Id agamus Socii, ut feriati dies non jam DEO, sed nobis sacri sint. Atque utinam verè dici posset, frustra illorum conatus esse! Sed si dicere volumus quod res est, fateri oportebit, nimio plus ista hodie re ipsâ inter Christi asseclas fieri, quibus feriati porrò non sunt, quia sacri non sunt. De hac funestâ rerum perturbatione hodie differere constituí, id unicè desiderans, ut tandem vos inducam, ad daram tam perfidè Dæmoni fidem sanctâ perfidiâ violandam, & debita diebus sacris DEO obsequia præstanda. *Ps. 73. 8.*

II.

II. Ut nullus est locus, qui DEO ob ejus Immensitatem non debeatur, sic momentum est nullum, quod non æternitatis titulo eidem sit debitum: quare si ad palàm ostendendum cunctis hoc locorum dominium certa sibi quædã servavit, uni suo honori destinata, & templa in iis erigi voluit; par utique erat, ut eodem modo ad temporum omnium dominium demonstrandum certa quædam servaret sibi, diésque nonnullos uni suo cultui & veneration sacros esse vellet. Hoc fundamento nititur, quod tertio loco in Mosaicis illis tabulis imperatur, ut sanctificemus dies à DEO designatos. Præceptum enimvero æquissimum, omni reverentiâ, omni obedientiâ dignum, geminâ simul præstantissimâ Naturali & Ecclesiasticâ lege inculcatum.

III. Naturalis lex imperat, ut cùm operibus nostris singulis, quæ quidem majoris momenti sunt, certi destinati sint dies, Religionis etiam negotia suos sibi vindicarent, quibus Animus religiosiùs quàm aliis DEUM coleret, & rem ipse suam studiosiùs ac solertiùs ageret. *S. Th. 2. 2. q. 122. ar. 4. ad 1.*

IV. Hos dies, quos Natura certos non designârat, Ecclesia subinde suo imperio definivit. Ex horum imprimis numero vult esse omnes Dominicos, eâ causâ, quia Dominico initium Mundo condendo factum est; dein, quia hanc ipsam diem natalem Redemptor noster in terris habuit, hac è tumulo redivivus prodiit, hâc Spiritum Sanctum, quem pollicitus erat, misit. His deinde, si varios alios Ecclesia anni decursu adjungit, id inde est, quòd desideret, & crebriùs, & ardentiùs Fideles sua Majestati illi infinitæ obsequia, cultúmque peculiarem impendere.

V. Ut autem ad usum & exercitationem ipsam præcepti, quod explicare constituí, propiùs accedam, dico; idem esse sanctificare dies feriatos, ac illos habere ut sanctos, quod duobus potissimùm modis fit: prior est, diem exigere in DEO religiosè colendo, qui hujus præcepti finis est. *Sabbatum est requies sancta Domino*: alter est, removere operum servilium obices, quod est medium ipso etiam præcepto imperatum: *Non facies* *S. Th. 2. 2. q. 122. ar. 4. ad 3.* *Exod. 31. 15.*

omne opus in eo. Ad hoc autem quod spectat, tres servilium operum species ad finem nobis propositum distinguere possumus. Alia enim sunt merè servilia, alia sunt quasi servilia; iterum alia plusquàm servilia. Opera merè servilia sunt, quæ, ob laborem iis perficiendis adjunctum, non Nobilium, sed abjectæ conditionis hominum propria sunt, qui labore sibi procurant, unde vivant. Hujus generis sunt, terram colere, artes omnes mechanicas & non liberales exercere. Quasi servilia sunt, quæ etsi corporis laborem magnum non requirunt, vetita tamen sunt propterea; quòd animum magnopere à divino cultu distrahant: ejusce generis sunt permutare, emere, vendere res non necessarias; lites forenses, vel criminales agitare, & quæ sunt alia ejusdem sortis. Et verò, si Ecclesia sacris illis diebus negotia ejusmodi non prohiberet, vulgus Christianorum tam altè se iis immergeret, ut negotiorum Animæ suæ penitus oblivisceretur: multíque hoc è numero eâ aviditate lucris inhiarent, quâ prædæ suæ accipitres; qui dum præda una adhuc hæret in unguibus, alteri imminent, quæ libera etiam-num per aera volitat, nec unquam à venatione nôrunt desistere. Sic mortalium non pauci, impulsi cupiditate caducorum bonorum cumulandorum, nunquam iis à studiis, iis ab artibus desisterent, quibus lucra sua, velut venatione longè gratissimâ, consectantur. Opera tandem plus quàm servilia dici possunt omnia & singula peccata, de quibus illud habemus divinum Oraculum: *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Nec enim aliud cogitari potest servitutis genus magis abjectum, aut magìs miserum quàm sit servitus peccati; quâ subdimur indomitis animi nostri perturbationibus, & ipsi adeò malo Dæmoni, qui has excitat. *S. Th. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3. lo. t. 34.*

II.

VI. Quæ si ita sunt, huc jam advertite animum, an dies DEO & Cælitibus inter nos festi, verè adhuc festi sint. Nam si de iis loquamur operibus, quæ vel merè servilia, vel quasi servilia sunt, tantus Christianorum est numerus, qui iis, diebus etiam maximè solemnibus, occupantur, ut illis Cæli decreto legis hujus gratia communis facta esse videatur, ipsíque penitus ejus nexu soluti. Negotia omnia in sacros DEO dies differuntur, hísque ipsis lucri & commodorum studium vires suas in duplum exercere, & ad oppugnandam pietatem artes omnes depromere videtur: tam multa passim in publico geruntur negotia, mercimonia exercentur & nundinæ, operum eduntur specimina, rationes ineuntur, curritur à multis & discurritur, & dummodo terra aratro, aut sarculo non proscindatur, omne aliud laborum genus dies sacros nequaquam profanare existimatur: unde prono semper in terram vultu & oculis, nunquam de Deo infelices isti cogitant, & vivere non possunt, nisi variis curis & occupationibus distenti sint, turbini non dissimiles, cui idem est, non gyrari & cadere. Eâne tantùm causâ, AA. Dilectissimi, nati estis,

estis, ut laboribus vos atteratis? an idcirco animâ donati estis immortali, ut corpori serviatis pleno sordibus & putredine, utque lucra & commoda DEUS vester sint? An ignoratis, mortali hac in vitâ, si suis res momentis æstimetur, non esse negotium, nisi unicum? *Rogamus vos, fratres, ut quieti sitis*, Apostoli verba sunt, *& vestrum negotium agatis*: negotium inquam salutis æternæ. *Vestrum negotium.* Alia negotia, de quibus cogitatis tam diligenter & anxiè, quæ curatis tam solicitè, promovetis tantis conatibus & laboribus, non absque valetudinis detrimento, ne quidem negotia appellari merentur. Nugæ sunt, ludi, &, si dicere volumus quod res est, crepundia puerorum sunt. Negotium homine dignum, non est nisi unicum; atque hoc est, quod vobis inculco: *Rogamus ut vestrum negotium agatis*, Salutem vestram æternam in tuto collocate. Hoc feliciter gesto, rectè gesta sunt omnia, quia ultimus finis obtentus est: hoc amisso, quid emolumenti ex omnibus, quæ facere videmini, consequemini? *Quid prodest homini, si Mundum universum lucretur*, sic Servator noster ipse clamat, *Animæ verò suæ detrimentum patiatur*? Nec tamen de toto Mundo lucrando agitur: de paucis nummulis tota est contentio, & horum causâ non viscerum tantùm nostrorum, sed Animæ adeò ipsius partem optimam impendimus ac consumimus, araneis miseriores, quæ ad telas suas pertexendas non aliud denique, quàm sordidas ventris sui reliquias insumunt.

2. Thess. 4. 11.

Matth. 16. 26.

VII. Observate proin rem planè insolentem! si Deus imperaret laborem, Mundus verò quietem, par esset ad explenda Dei jussa, repudiatâ quiete, amplecti laborem. Nunc cùm alia fiant omnia, malunt passim mortales obtemperare Domino tam barbaro, qualis est Mundus, quàm obedire Domino tam suorum amanti & studioso, qualis est Deus, cui unicè charum est, videre eos non mancipiorum instar, sed liberorum operantes. *Ite ad onera vestra*, sub ipsum illud tempus Pharao Judæis imperabat, quo à Deo jubebantur exire in desertum ad sacrificandum. Nec aliud Mundus, à malo Dæmone, sacrorum dierum hoste jurato, impulsus præcipit. Quid tot feriis opus est, tot à labore vacationibus? qui esurire non vult, industriâ suâ utatur: *Ite ad onera vestra.* Ite diebus ejusmodi in Molendinum, in sylvas, ad officinam, ad oneranda vestra jumenta, ut parcatis tempori, & ad alias aliis diebus occupationes horæ supersint. *Ite ad onera vestra.* Atque ita Mundus, etsi tam durus & imperiosus, ut sibi subditos sub onerum mole cogat fatiscere, auditur tamen promptiùs, quàm Deus, cui debitus cultus negatur, ut accedere liceat nundinas, locis etiam valde remotis institutas, ad domos annonarias, ad gregum caulas & stabula; aut quia à laboribus, quamlibet abjectis & vilibus, manus aliqui abstinere nec volunt, nec possunt.

Exod. 5. 8

VIII. Videor autem mihi audire non neminem hæc secum mussantem: Ad me quidem monita ista non perti-

nent: ego etiam diebus operariis non laboro, tantum abest ut feriatis. Et credo rem ita se habere: interim illud etiam perpendat, qui talis est, an non cùm otiosus ipse est, vel sinat, vel etiam jubeat, ut domestici ejus loco laboribus atterantur? Id si fiat, an satis iste se purgat? sic præcepit DEUS: *Non facies omne opus in Sabbato, tu, & filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, & jumentum tuum.* An non lex ista ad omnem familiam, quin ad ipsa etiam jumenta pertinet? quid ad hæc reponit, qui se tam bellè excusabat? Est enim verò res ipsissima, quòd Paterfamilias dies festos totos otiosus per forum inambuler; quin & nonnunquam in cauponis perpotando, aut in conventiculis ludendo absumat. Quid ad rem istud facit, si interim uxor, si filiæ acum ad ædium fores tractant? si filius pro eo, quòd adsit in templo de DEO verba facienti, doctrinæ Christianæ, aut alteri rei divinæ operam det, jumenta farcinis onusta comitatur; si servus pedem efferre stabulo non sinitur; si ancilla perinde occupatur, ac si non Ecclesiæ præcepto, sed arbitrio proprio sacra, aut non sacra dies illa foret; Hæc cùm fiunt, Paterfamilias negabit, se laboribus distineri? quin plus ille, quàm quicunque de ejus familiâ laborat, non enim geminâ duntaxat manu, sed tam multis laborat, quàm multos familiares habent, qui ejus imperio toti sunt in laboribus. *Quod quis per alium facit, per se ipsum facere videtur,* ita ad damnandos tam frigidè se excusantes Imperatorum leges statuunt. Hinc omnino scire vos volo, quòd perinde ac lege divinâ quisque teneatur, servili ab opere sacris diebus manus abstinere; ita qui familiis præsunt, id curare teneantur, ne domestici laboribus aut diuturnis, aut non necessariis occupentur: secus si fiat, lucrum quod sic laborando familia facit, illi absimile non erit, quod obtinet serra, quæ ad saxa secanda adhibita, parùm quidem lapidem, se autem plurimum atterit.

Exod. 20.

L. Ita autem ff de admin. Tut.

IX. Certum est eâ re DEUM gravissimè irritari, palámque is testatur, vindicaturum se severè illatam injuriam. Audite, quid olim Jeremiæ ore pronuntiârit. *Si audieritis me, ut non inferatis onera per portas Civitatis hujus in die Sabbati; ingredientur per portas hujus Civitatis Reges, sedentes super solium David. & habitabitur Civitas hæc in sempiternum. Si autem non audieritis me; succendam ignem in portis Jerusalem, & devorabit domos ejus, & non extinguetur:* an verba hæc parùm seriò & graviter præcipientis ac minitantis sunt?

Jerem. 17. 14.

X. Neque sit, qui sibi persuadeat, DEUM quidem olim ejusmodi pœnas minitatum esse violantibus legem tam justam, earum tamen minarum hac ætate ampliùs non meminisse. Qui ita argumẽtatur, Bellovacẽsis, authoris inciti, libros evolvat, & inveniet, Pagum integrum, cùm luce S. Jacobo festâ noluisset à laboribus feriari, proximè insecutâ flammis in cineres redactum esse, ita planè, sicut ingratæ Solymæ Deus fuerat comminatus. Si autem is dies sibi sacros violari tam non sinit esse impunitum, cùm tota aliqua peccat communitas, an singulis id patietur esse absque noxâ? Aliud experta est mulier,

Vinc. Bellov. l. 2. c. 11.

Ita Meyro. l. 2. Annal. an. 861. Sur. in vit. S. Kuneg. 25 Aug. S. Bonavent. in vit. S. Franc. p. 5 S. Greg. Tur. l. 1. de glor. Mart. c. 15. Ann. Soc. Iesa. 1580.

mulier, quæ dum feriato die interulam suam resarcire parabat, totam recenti sanguine imbutam vidit: id quod aliis etiam quibusdam accidit, qui omnes, quas luce Deo sacrâ messuerant segetes, sanguine etiam tinctas repetere. Alteri fœminæ, pœnâ haud paulò severiore, brachia penitus obriguêre: nec defuit, quæ Dominicum deum ad pinsendum panem expectare solita, brachia sibi igne cælitus delapso absumi dolens viderit. Rusticorum aliquis cùm die B. V. in cælum assumptæ sacrâ terram egereret ad fornacem construendam, ipsâ illâ, quam effoderat, in fossâ obtritus sepultúsque est ingentis saxi mole, quod repentè in eum operi suo incumbentem vi magnâ impactum est. Molitoris, qui molare saxum malleo tundebat, ut exasperaret, manibus non solùm mallei manubrium pertinaciter adhæsit, sed manus

Sur. 10. Maii.

ipsæ tam tetrum & putridum sanguinem stillare cœperunt, ut gravi odore vehementer offenderet. Cùm nonnemo fœnum à se collectum festâ S. Udalrico die fœnili inferre cogitaret, cumulum illum foris quidem intactum illæsúmque, intus autem occulto igne in favillas redactum aspexit. Bubulcus

Baron. an 993. n. 8.

etiam nonnemo, cùm boves aratro junxisset die feriato, cum bobus & ipse suis, nullius noxæ reis, vindicibus confestim flammis in cineres redactus est. Pauci hi è tam multis, qui in medium afferri possent, sinistri eventus, id in vobis efficiant, ut perspicuè cognoscatis, quàm seriò id agat Deus, ut qui suo honori ac cultui consecrati sunt dies, impiè & irreligiosè non profanentur. Si autem observaveritis, eo potissimùm pœnæ genere Deum in violatores hos animadvertere, quod omnium atrocissimum existimatur, igne inquam, mirum id vobis non videatur; hæc nimirum sacrilegis furibus pœna debetur: horum autem è numero utique sunt, qui debitum divino cultui tempus sacrilegi suffurantur.

XI. Non nescio, vos hæc suppliciâ vestris oculis non usurpare, atque idcirco parùm illa vobis timoris incutere. Verùm an ambigere prudenter potestis, messium sterilium, tempestatum, morborum, contagiosæ luis, sinistrorũ casuum aliorum, causam sæpe non esse aliam, quàm dies, cultui divino sacros, profanatos? Bavari veteres huic delicto graves omnino pœnas constituerãt, cùm huic magna ex parte adscriberent non leves pœnas, quibus Deus mortalium genus crebrò plectit: & verò rem ipsos haud dubiè tetigisse existimo. Deinde, an vos latet, sæpe Deum in nos animadvertere virgâ illâ ac flagro furdo, quo sensim nobis divinæ & adjutricis suæ gratiæ auxilia subtrahendo, sinit nos in ruinam præcipites ferri? Hæc est illa virga furoris, quam ipse appellat, tanto metuenda magìs, quanto minore strepitui in nos sævit: atque hâc eos potissimum DEUS punit, qui rationem honoris ejus vel nullam habent, vel exiguam. Quidsi proinde vos quoque, ne lucello pauculorum nũmorum excideretis, simili percussi virgâ perderetis animam? Non vos latet, postremum, quo hinc migrare continget, diem, Justis & ex Christianâ lege viventibus maximè solennem esse. Talis

Apud. Grets. de Fest l. 1. c. 13.

autem profectò pro vobis non erit, si extremo illo die suâ vos DEUS gratiâ destituat: hac autem vos destituendos, vero haud sanè absimile est.

Quid enim? an speratis Servatorem JESUM cum omnibus illis Beatis Cælitibus, quibus consecratos festósque dies tam nullo religionis cultúsque studio transegistis, tunc pleno agmine festinaturos, ut lucem vobis festam celebriorem reddant? Non est, quòd hos vobis favores polliceamini. Damnetur ad non consequendam beatam quietem, in DEO fruendo sitam, quæ in Cæli patriâ nos manet, qui ejus figuram & adumbrationem hac in vitâ nihili æstimavit. Ejus autem quietis, si hactenùs id nescitis, imago est cessatio à laboribus, diebus DEI cultui destinatis.

S Th. 2. 2. q 122. ar 4. ad 2.

XII. Utinam autem summum malorum diebus feriatis essent opera servorum propria! id haud paulo deterius est, quod horum loco, sicubi omittuntur, alia succedant, quæ plus quàm servilia dixim us; peccata inquam, quæ vulgo audaciùs & minore cum fronte admittuntur illis ipsis diebus, quibus DEUM religiosiùs colere oporteret, quàm quibus in servilia incumbere permissum est. Sicut dubium non est, quòd peccatum hominem à rebus divinis magìs avocet, quàm avocent occupationes & labores corporis alii, nullâ lege vetiti, ita, si Angelico credimus, ambigendum non est, quin magis ille præceptum de die religiosè transigendo violet, qui peccat, quàm qui laborat: labor enim non rarò pietatis, charitatis, decentiæ, aut etiam necessitatis titulo non excusari tantùm, sed & laudari meretur. At peccatum nunquam non pugnat cum tempore divino cultui consecrato, & quidem è diametro. Atque idcirco, etsi tertium hoc præceptum Decalogi non nisi illa peccata prohibet, quæ pugnant cum Religione, & culu DEO feriatis diebus debito; in sensu nihilominus mystico, quem dicimus, rectè asseritur, quòd omne etiam aliud peccatorum genus vetet: ut enim peccata omnia, cujuscunque demum sint generis, magìs pugnant, quàm quodlibet servilium operum genus, cum illâ dierum feriatorum Sanctitate, ita magìs etiam, quàm quæcunque alia vel maximè servilia opera, hujusce, de quo agimus, præcepti observationi adversantur. Atque hoc est, quod DEUS spectâsse videtur apud Jeremiam, dum simul semélque & ad Animam nostram curâ singulari custodiendam, & quàm maximè ad non ferenda onera adhortatus est: *Custodite animas vestras, & nolite portare pondera in die sabbati.* Ponderum horum nomine plures Interpretum peccata intelligunt; & rectè, ni fallor; cùm peccata sint onus tam grave, ut vel Angelicis imposita humeris in cælo, momento eos depresserint in centrum Abyssi; & imposita humeris Servatoris nostri JESU in horto Gethsemani, eum, etsi pectore esset tam robusto, inclinârint tamen & incurvârint, quin & prostraverint: *Procidit super terram.* Hæc tamen onera Christianorum non pauci tam nihili æstimant, ut nisi iis prægravati ne unum

2. 2 q. 122 a 4. ad 3.

Jer. 17. 21.

Marc. 14. 35.

qui-

quidem diem sibi vivere posse videantur: nec advertunt miseri, non diu post suo se pondere non opprimendos tantùm: sed planè conterendos. Trabem ingentem undis injicite; supernatabit, & filo duci se sinet, quacunq; libuerit, perinde ac si tenuis festuca foret; sed ad littus illam tantisper pertrahite, & ubi tunc illam loco movere conati fueritis, tum enimverò experiemini, quanti illa sit ponderis. Haud aliter modò peccata nostra nullius ferè nobis ponderis esse videntur, quia etiamnum aquis, ut sic dicam, fluentis temporis innatant: at cùm ad littus æternitatis pertracta fuerint, prô quàm tum sentiemus onus, sic ut absque spe eo oppressi ingemiscamus, nisi tempori Animæ onus tam molestum excusserimus! Interim si hæc ferre onera pugnant cum Sanctitate dierum divino cultui dicatorum, jure sanè meritò pronuntiabimus, dies festos Christianorum, jam festos non esse, dum tantus támque non facilè numerabilis eorum est numerus; qui ejusmodi oneribus toto anni tempore pressi incedunt; quin quod pejus est, aliarum aliarúmque identidem culparum mole illa exaggerant, iisdem omnino diebus, quibus illa vel maximè oporteret excutere. *Nolite portare pondera in die Sabbati.* Si quando suis è tumulis priorum ætatum Christiani attollerent caput, observaturi, quo ritu, quâ religione transigamus dicatos Deo dies, quid quæso, dicerent? illi, inquam, quibus solenne erat parare se ad dies sacros ritè transigendos multiplici pœnalium operum genere, ipsos autem dies tantâ innocentiâ & puritate exigere? videntúne vobis, ægrè mihi assensuri affirmanti, Christianorum dies festos, festos porro non esse, & jam id apud multos eorum assecutum Dæmonem, quod unicè spectabat, ut dies hi penitus tollerentur? *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terrâ.* Quomodo fieri potest, ut sacri ac solennes multis sint dies, quibus non solùm non invenitur DEUS, sed amittitur; non colitur, sed impugnatur, sed ab Animabus, peccatorum vi, ejicitur & expellitur? *Magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo, quàm qui aliud corporale opus licitum facit.* Quæ sunt ipsa Angelici Doctoris verba. loc. cit.

III.

XIII. Atque hoc etiam multò fiet manifestius, si alterius, quod proposueram, puncti meminisse voluerimus; finis inquam, quem spectat Lex, in obice servilium operum removendo. *Feriari nostrum*, ut affirmat S. Gregorius Nazianzenus, *aliud non est, quàm animæ aliquid eorum aggerere, quæ firma sunt.* Nimis quàm arctis limitibus humani animi facultates definiuntur, unde uno eodémque tempore rebus duabus gravioris momenti intendere, eásque efficere nequit: atq; hâc causâ aliis ab occupationibus otium nobis diebus sacris indicimus, ut tanto perfectiùs, impensiúsque totl simus in animi emolumentis, & DEI honore procurandis. Hoc nimirum est, sanctificare dies festos: tempus illud divino honori consecrare. *Illa enim dicuntur in Lege sanctificari, quæ* 2. 2. q. 122. a 4. ad 4.

cul-

cultui divino applicantur: teste Angelico. Crescunt nonnunquam cervo cornua tantâ mole & altitudine, ut non eâ, quâ res poscceret, celeritate surrere subinde valeat. Quid tum ille agit? Tamdiu ad saxum illa affricat, donec omnino excidant; atque ita molesto onere liber, celeritate summâ ad fontem, post pugnam cum serpentibus, qui invaserant, se proripit; nec lentiùs venatorum & canum insequentium eludit conatus, si fugientem apertis in campis persequantur. Imaginem in hoc habemus eorum, quæ spectat Deus & Ecclesia, dum sacris diebus servilibus nobis operibus interdicunt: id scilicet agunt, ut occupationum hujus Mundi impedimentis & tricis liberi, tantò promptiùs expeditiúsque fugiamus hostes nostros stygios, & majori celeritate festinemus ad fontem Gratiarum, ad quem nos Deus expectat. *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus.* Ideo à laboribus interquiescimus, ut meliùs cognoscamus Deum illíque colendo, destinato nos animo addicamus. Id si propositum Deus non haberet, tantum abest, ut laborum justitium indiceret, ut potiùs ad defatigationem usque iis nos juberet impendere. Otium siquidem tot Sacrarum Literarum locis aliàs prohibetur, tanquam mille malorum Doctor ac Magister: *Multam malitiam docuit otiositas.* Perinde ac si diceret. Ut mille discas mala ac peccata, satis est, ut agas nihil; haud aliter ac argentum ipso non usu situque sordescit. Quierem Christianorum otiosam ac inertem esse non decet: similem esse convenit quieti arcus, qui eâ causâ identidem remittitur, ut ad telum jaciendum aptior fortiórque reddatur. Igitur nec Deus id, nec Ecclesia spectant, ut corporis vires quiescendo reparentur; sed multò magis, ut otium istud, spatium vobis animi negotiis gerendis, indulgeat. Sic industrius horti cultor Platani aut Pinus ramos terræ viciniores amputat; ut tanto rectiùs cælum versùs caput attollat. An autem hunc in finem quiete suâ Christiani utuntur? imò verò, vel Sancto Augustino teste, *Otio abutuntur ad nequitiam.* Unde minore illi malo, toto die corpus laboribus attererent, quàm ut illi otium, tanto Animi detrimento, indulgerent. *Melius utique totâ die foderent, quàm tota die saltarent.* Sic Sacri & feriati dies non jam illos ad fines serviunt, ad quos divinâ lege destinati sunt; sed ad eos, ad quos eos malus Dæmon pervertit.

Ps. 45. 11.

Eccli. 33. 29.

In Ps. 31.

XIV. Apollonius, Regis Antiochi Archistrategus, Solymam ut amicus ingressus, inque ea tranquillè ad festam usque diem commoratus est; hac autem, cùm animi causâ incolæ secuti obambularent, eos repentè armatâ militum suorum manu aggressus, per omnia discurrens compita, strage & cruore implevit universa. Hæc corporum laniena imago est alterius Animarum, quæ diebus divino cultui destinatis, exercetur, dum malus Dæmon, post totam hebdomadam, velut domiendo exactam, rumpit catenas, & Christiani Orbis Provincias gravissimis flagitiis implet; sic ut non tan-

2. Mach. 1. 25.

tantùm diebus his minùs ejusmodi sanctarum exercitationum peragatur, sed ut multò etiam plura mala perpetrentur. Prorsus igitur hunc salutis nostræ juratum hostem longè Apollonio crudeliorem mihi imaginor, callidiorémque, qui expectet sacros DEO dies, quibus feroci assultu, Christi affectas adoriatur, sui in illo otio securos, quod cùm sanctum esse oporteret, planè ab ipsis profanatur. Videtur mihi aciem suam in tres numerosas turmas dividere; quarum primam, ut Jacobi Apostoli verbis utamur, appellare possumus *Terrenam*, alteram *Animalem*, tertiam *Diabolicam*: quibus cum quaqua versum discurrat, & omni ex parte strages edat ac funera.

Jac. 3. 15.

XV. Prima igitur turma Avaritia est, cujus, præter jam indicata prava studia, quibus turpis lucri causâ servilibus ab operibus interquiescere non finit, alia quoque perversa opera consideranda sunt, quibus actiones alias, quibus DEUS diebus sacris colendus esset, interturbat. Quàm multi illi sunt, qui, ut jumenta sarcinis suis onusta comitentur, aut aliis lucri occasionibus, quæ ceteroquin nec vetitæ, nec tam viles sunt, quàm illa, de qua dicebam, inhient, Sacrum non audiunt, aut certè periculo se exponunt, rem divinam & Missæ Sacrificium negligendi, id quod jam sæpius sibi evenisse non ignorant? Cras, ait ille, feriatus dies est: ibo igitur, & pecuniam à debitore illo meo repetam; ibo, & villam illam meam aut horreum lustrabo, & tempori ad sacrum audiendum revertar. Alius, cum meis, inquit, jumentis onustis pergam, ut mihi per sacrum Magistratum licet, & in itinere Sacrum hac aut illâ in Ecclesiâ audiam; sub eam enim horam, qua appellam, Sacerdos istic facere solet: & tamen subinde omnibus sic ad amussim commensis venitur ad illud templum, cùm peracta jam sacra sunt: tum autem promptum est malo remedium, si pro sacro tribunali obiter se accuset, & dicat: Pater, præter spem Sacerdoti sacrificanti adesse non potui. O insanos! si sciretis, quantæ opes uno in sacro lateant, volentes lubentésque subiretis jacturam omnium, quæ vel in crumenâ, vel officinâ aut tabernâ possidetis, potiùs, quàm ut vel unicum Sacrum omitteretis. Sed hoc nimirum Avaritiæ proprium est: quàm oculata est & solers ad lucra terrena, tam cæca & stolida est ad æterna & cælestia. Judas ad assem usque noverat æstimare unguentum à Magdalenâ Christi Servatoris pedibus superfusum, affirmando, facilè trecentos denarios ex eo divendito redigi potuisse: cùm autem subinde DEUS ipse justo illi prætio æstimandus esset, tam à verâ defecit æstimatione, ut triginta illum argenteis venderet, minore etiam pretio contentus futurus: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Idem non pauci, habendi cupiditate impulsi, factitant: eâ sunt judicandi perspicaciâ, ut justo pretio agros, pecora, frumentum, merces alias taxare nôrint; in Animâ autem propriâ, cælóq; æstimandis longè aber-

Joan. 12.

Matth. 26. 15.

aberrant. Nec tamen hæc graviſſima mala ſunt, quæ Avaritia circa dies ſacros perpetrat. Gravius eſt, quòd Chriſtianorum è numero bene multi, etſi Sacerdoti ad Aram facienti corpore adſtent, animo tamen à ſacro, quin & à Templo, multorum milliarium ſpatio diſtent. Immerſi graviſſimis negotiorum ſuorum momentis cuperent initium Sacri cum fine conjungi: Omnis paulò longior, quam ad Aram Sacerdos trahat, mora, ipſis eſt moleſtiſſima, & cùm ad Populum ſe ille obverterit, verba de divinis facturus, os contorquent, & non obſcuris admirationis indignationiſque ſignis zeli parùm prudentis ac moderati eum arguunt. Tandem, ſi Templo pedem extulerint, cavent ſedulò, ne unquam eo die revertantur; alia enim eos vocant negotia: curis diſtinentur, è quibus plus longè in eos redundet emolumenti, quàm ſi Beatorum Cælitum cultui, aut ſalutis ſuæ negotio ſe impenderent. Sic dicatos DEO dies oppugnat avaritia, quæ anxietatibus curiſque hoc illis infert damnum, quod vineæ, nullius ſepis præſidio circumdatæ, *illi*, qui propè illam tranſeunt; cùm hanc eò redigunt, ut nemini, præterquam Domino ſuo, ſterilis evadat. Sic pro ſolo DEO feſtis diebus horula ſupereſt nulla; aliis negotiis tempus abunde ſuppetit.

XVI. Magis tamen adhuc funeſta & cruenta eſt ſtrages, quam altera edit turma, quam *Animalem* diximus: nec enim altiùs illa ſe attollit, nec metam ſibi præfigit nobiliorem, quàm ut ſenſus oblectet, homini cum brutis communes. Juventus omnis ſub vexillo deliciarum & voluptatum militat, & ad hoc minùs impeditos dies ſacros expectat, ut commodiùs oblectamentis ſuis operam det: *Occaſio luxuriæ pietas deputatur*, ut Tertullianus aiebat: nec enim tam perulci ac ſalaces in prata equi emiſſarii & equæ feſtinant, quàm ad Templa ſe Juvenes ac Puellæ conferant. Juvenes Tribûs Beniaminiticæ ſacrum ac feſtum expectârunt diem, quo miſeris Siloitis inſidias tenderent, & ſuam quiſque ſibi Puellam raperet: *Ecce ſolennitas DEI eſt in Silo: & juxta numerum ſuum rapuerunt ſibi de his quæ ducebant choros, uxores ſingulas.* Utinam Juvenibus noſtratibus ſacri dies inſidiis etiam nocentioribus idonei non viderentur, dum deſideriis, colloquiis, quin factis ſæpe ipſis, ſacri dies fœdiſſimis non rarò libidinibus profanantur! Et tamen vel Leges Principum olim dies ſacros, *Tempus Caſtitatis* nominârunt. Sed tam præclaram nomenclationem hodie dies ſacri, pleráque certè, porro non merentur, cùm tam multi Chriſtianâ è Gente illos bello contra Caſtitatem movendo conſecrent. Et ut de illo aliquid attingam, quod locum iſtum non dehoneſtat; quando unquam vel diutius, vel liberiùs amatoriis artibus ac levitatibus indulgetur, quàm diebus ſacris? Hunc unum in finem deſtinati videri poſſent, dum aliquos non pudet ab his orditi diem, dum primo mane ad amaſias accedunt, ut eas ad Templum comitentur, úrque aurorâ tam turbidâ diem auſpi-

Judic. 21. 19. 23.

C. de Epiſc. aud. l. 3. §. Quis enim.

auſpicentur, quæ aliud, quàm diem ſubſequentem tempeſtatibus fœdam, ominari non ſinat.

XVII. De Choreis jam quid dicemus, quæ ſunt ars mali Dæmonis belliſſima, ad plures animas momento temporis breviſſimo in exitium impellendas? Affirmat Athenæus, Choreas principio inventas eſſe tanquam artis militaris rudimenta, ut diſceret Juventus, quàm dexterrimè ſe recipere in procurſionibus, quibus in orbem militum globi diſcurrunt. Quantò autem ſapientiùs affirmâſſet, excogitatas à Dæmone choreas tanquam præludium belli alterius multò funeſtioris; ad erudiendos inquam Juvenes, quomodo, poſitâ verecundiâ, tam non recipere ſe debeant, ut potiùs invadant? Sed ne longiùs. Certè rectiùs cenſuit, qui pronuntiavit, Dæmonem Idolum quodpiam Ægyptiorum, quod Apin dicunt, ingreſſum, variis illud modis motitando, nunc ſaltibus ordinariis, nunc celeri pedum in ſublimi agitatione, nunc mutuo occurſu, nunc in orbem rotatione, omnium primùm artem ſaltandi docuiſſe. Iſtud equidem certum eſt, nobis hinc innoteſcere, quid artibus iis à ſe excogitatis ſpectet Infernus, quæ non aliàs magis, quàm diebus ſacris à Chriſtianis exercentur; imò diebus maximè feſtivis, & vel glorioſo alicui Chriſti Martyri, vel Innocentiſſimæ Virgini dedicatis, non ad illos colendos, ſed novis tormentis diſcruciandos; ad Virginem non honorandam, ſed magis irritandã abuti docet. Verbo: hæc Feſta ſunt Juvenum Saltus & Amores.

XVIII. Sed quâ tandem ratione ſacros dies viri exigent? hi nimirum prudentiores ſunt, nec tempus his nugis inſumunt; utiliùs, ut ipſi quidem putant, impendunt illud ludendo, perpotando, convivia celebrando. Non ita durus & aſper ego ſum, ut poſt totius hebdomadæ labores quetis aliquid & oblectamenti vobis non indulgeam. Satísne tamen honeſta oblectandi vos ratio videtur, diem totam ludendo prodigere inter blaſphemias, jacturam faciendo omnis lucelli tanto ſudore conquiſiti, quo vivere deberet tota familia, & cum pecunia ipſam adeò animam amittere? *Non veto*, cum S. Gregorio Nazianzeno, *animi relaxationem, ſed petulantiam coerceo.* Orat. 6. An vos honeſtam animi relaxationem appellabitis illa conventicula Bibonum, quos S. Joannes Chryſoſtomus non Chriſtianæ tantùm Religionis, *ſed humani generis opprobria appellavit*? Hom. 1. ad Pop. Nam & ſordidiſſimæ beſtiæ bibunt quidem, ſed bibunt, quia ſitiunt, cùm iſti bibant, ut ſitiant. Animo proin vobiſcum reputate, quàm egregia DEUM colendi luce ſacrâ ſit ratio, ſpongiæ inſtar, vino ſe penitus penitúsque imbuere, nec alium DEUM, quàm ſuum ventrem adorare? *Idne eſt, ô Chriſtiani, celebrare diem feſtum, indulgere ventri, & inconceſſis voluptatibus habenas laxare?* l. 8. in Ioan c. 5. Attonitus exclamat S. Cyrillus: mox ſubdit. *Diebus ad exercenda opera ſervilia con-*

concessis, unusquisque suo intentus est operi, & abstinet à crapulâ, ludis & vanitatibus: Diebus autem festis passim concurritur ad cauponas, & ludos, ad spectacula & choreas in irrisionem divini Nominis, & diei prævaricationem. Visum mihi est totum hunc S. Doctoris locum, etsi bene longum, afferre: nam etsi de suis ipse temporibus loquitur, nostra tamen ad amussim videtur describere.

XIX. Ultima tandem Turma, quam contra dies DEO sacros malus Dæmon in aciem educit, mihi vel nominare paranti horrorem incutit: nam ab ipso suo Ductore, qui primos ordines præit, *Diabolica* appellatur. Est autem hæc superbia, quæ nunquam triumphat splendidiùs, quàm diebus summâ Religione sacris. *Gloriati sunt in medio solennitatis tuæ.* Ps. 73. 4. Sic ut jam dies DEO colendo consecrati, superbiæ & fastui consecrati videantur. Non nescio, ad ipsos dies sacros rectiùs honorandos pertinere, solito mundiùs & elegantiùs vestiri. Solenne id erat Heroi illi inclyto Thomæ Moro, qui vel in carceris squallore ac tenebris splendidiùs se diebus feriatis amiciebat: rogatúsque cur id faceret, cùm tamen videretur à nemine? Non assuevi, respondebat, elegantiùs vestiri diebus sacris, ut ego, sed ut DEUS ampliùs honoretur. Quomodo tamen non repugnabit cultui DEO debito, tantum temporis exornando capiti dare, nullâ animi curâ, & exornare illud non alio fine, quàm ut aliorum in oculos sic exculta incurrat, nec ob aliud ædem sacram accedere, quàm ut sui spectaculo, eò concurrere solitos, vanè oblectet? Hoc aliud non est, quàm corporis indumenta mutare in rem Animorum, & tempus DEO dicatum in venationem Inferni; sic ut si olim plangebant viæ Hierusalem, quia non erat, qui ad dies festos confluerent: *Viæ Sion lugent, eò quòd non sint, qui veniant ad solennitatem*; Thr. 1. 4. Ps. 143. nunc è diverso plangere oportet ædes sacras, quòd tam multæ ad eas confluant feminæ, quæ & suâ, & aliorum causâ rectiùs facerent, si domi abditæ laterent; cùm eò veniant peregrinis imbutæ odoribus, ad pompam & fastum excultæ, splendidiúsque ornatæ, quàm sit ipsa illa, ad quam ventitant, ædes sacra. *Circumornata ut similitudo templi*: Ut Vates Regius loquitur. Veniunt, ut mali Dæmonis se delubrum faciant, qui cùm prostrata hodie Idola cernat, in animatis his Templis aliud Elegantiæ, aut Vanitatis Idolum constituit, cui deinde Animas suas immolare Christianos non puder. Magnis interim vocibus sacri Mystæ in Templis ingeminant. *Gloria in Excelsis DEO*; vespertinæ autem Psalmodiæ tempore iterum iterúmque repetunt: *Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui Sancto*; cùm eodem planè momento, plena vanissimæ jactantiæ femina, mediam se Deum inter & populum statuat, sibique, quæ uni DEO debetur, gloriam vindicare laboret; sibi usurpet reverentes illas capitis inclinationes, illas totius

Beirlinck in Apoph.

tius corporis curvationes, & tantum non illud sibi thus immolari curet, quod Deo, Mundi supremo Monarchæ, erat destinatum. Sed væ his idolis, væ his Idololatris! væ illis fœminis, quæ sacras ad ædes veniunt, ut spectentur; & væ illis Juvenibus, qui veniunt ut spectent! Et cur væ? ideò, quia à DEO maledicti sunt. *Maledictum Idolum, & qui fecit illud.* Sap. 14. 8. Maledictus non solùm, qui, adorando hæc Idola, facit, ut sint idola, sed maledictum etiam Idolum, quod adorari se sinit: rationem dat Sacer textus: *Quia cùm esset fragile, Deus cognominatus est.* An nescit tandem femina, quid ipsa sit? novit utique, aliud se non esse, quàm parum luti conspersi nive: quomodo igitur non permittit tantùm, ut Dea habeatur, sed obtutibus, gestibus, vestium genere, quod conditionem longè superet, solerter id agit, ut debitus supremæ Majestati honor, diebus illi sacris, sibi impendatur? Maledictum igitur Idolum istud, & maledictus, qui sacro tempore abutitur ad illud adorandum.

XX. Et verò tolerabilis esset Arrogantia fœminæ, si non aliud hîc, quàm Vanitas aliqua reprehendi mereretur: sed vanitatem comitatur nuditas, quâ mulier fit telum, Dæmonis manu strictum, nudatúmque. Diebus operi destinatis domi se suæ continet, & est ensis suâ vaginâ tectus: sed die sacro, dum prodit in publicum nudis brachiis, nudis humeris ac pectore, nec nudis tantùm, sed ad nitorem excultis, ensis instar est nudi, imò exacuti, & ad feriendum omni ex latere aptissimi, sic ut aspectantium animos profundiùs vulnerare possit. Dicent quidem illæ, proprositum sibi haudquaquam esse tam luculentam stragem edere, sed tantùm aspici: quomodo âutem cohærent ista, si ipsum aspici idem planè est ac stragem hanc edere? Nolim quidem ego hîc definire, quam noxam, quámque gravem contrahant fœminæ, tam propudiosè se vestiendo, itáque occasionem præbendo tot peccatis, quæ feriatis diebus à Juvenibus sæpe admodum cogitatione ac desiderijs, non rarò etiam opere ipso admittuntur; neque enim satis mihi perspectum est, quantum placeat DEO huic in publicum noxiæ insaniæ indulgere. Illud tantùm dicam, eum, qui flante vehementiore vento stuppas suas accenderit, si flamma vicinas segetes corripuerit, Legum sententiâ insontem non haberi. *Si die ventoso id fecit, culpæ reus erit:* provideri enim tam præsens discrimen potuit, atque ita etiam evitari. Quomodo igitur in re nostrâ mulier vanitatis amans & studiosa, excusari meretur, & insons haberi? Si tranquilla circa nos essent omnia, si tempestas nulla, ventus vehementior nullus, ut erant res Innocentiâ nondum deperditâ, parum sanè incommodi afferret, *L. Qui occidit. ff. ad l. Aquil. §. in hac quoque.*

nudos ostentare humeros, brachia non tecta, sinum apertum: periculi esset nihil, ne tum concupiscentiæ ignis exardesceret in eâ tranquillitate: sed quia ætatem vivimus, in qua perturbationes animi & propensiones pravæ, ruptis habenis, ventorum instar furentium tumultuantur omni ex latere, quæ unquam satis sibi tuta videbitur, quòd nulla ipsi reddenda sit ratio ob sparsum in tam multos incendium genere isto vestiendi tam efficaci ad proritandum? *Qui occasionem damni præstat, damnum fecisse videtur.*

L. prædicta.

XXI. Revertamur ad id, quod principio proposueram: si hæc est ratio transigendi dies sacros multorum omnino Christianorum, an non rectè pronuntio; dies sacros jam sacros non esse? hoc non est dies hos religiosè colere, sed parùm piè profanare. *Non est hoc festivitatem Dei colere, sed inquinare.* Meritò dies hos Deus vocat Festa non sua, sed nostra, magisque illos quàm alios abominatur. *Odi, & projeci festivitates vestras, & non capiam odorem cætuum vestrorum.* Nec enim Deo sacri dies sunt, qui serviunt tantùm ad eum offendendum, non honorandum; nec materiam sibi in iis complacendi, sed eos execrandi & abominandi offerunt. Sic autem quam tandem salutis consequendæ spem concipere poterunt qui sic dies istos profanant, qui ex tam multis Deo destinati & servati sunt? Æger ille, qui deteriùs habere incipit, die quo remittere vis morbi deberet, vitæ spem habet nullam, aut vix ullam. Quare necesse est secum statuere, sanctiùs post hac feriatos dies transigere. *Qui quiescit, quiescat,* inquit Ezechiel: Qui diem feriatum agit, agat eum verè, & ab omnibus se abstineat, quæcunque cum die sacro non stant, ut sunt opera servilia & laboriosa; ea autem exequatur, quæ ad dies sacros referuntur, det inquam tempus DEO, non otio, non ventri, non licentiæ, non libidini, non ludis noxiis, non aliis vitiis quibuscunque.

Chrys. ser. 8. de Resurrect.

Amos. 5. 21. 27.

Ezech. 3. 27.

XXII. Feriati hi dies, sicut cessatione ab opere sunt figura & imago, sic illo obsequiorum genere, quæ DEO ut debentur, ita illi his maximè diebus exhibentur, non figura tantùm, sed principium ac præludium sunt diei illius sacratissimæ, quam in cœlo nox nulla consequetur: *Quando erit Sabbatum ex Sabbato*, ut Isaias loquitur, à die nimirum sacro brevi, per intervalla redeunte, & imperfecto, qualis est, quem hîc agimus, transibitur ad solennitatem beatissimam. Sic igitur aliquo modo transigendi sunt dies feriati in terris, sicut à Beatis Cælitibus transiguntur in Patriâ. Verum quidem est, Ecclesiæ præcepto nos ad plus non teneri, quàm ut Sacerdoti ad aram facienti adsimus. Sed si ea est Matris Ecclesiæ in filios suos benignitas, ut tam parum eos oneratos cupiat, par tamen non est, ipsos hinc pigritiæ & inertiæ occasionem sumere; sed potiùs, animos sibi addere, ut tanto plura non imperata religionis opera diebus sacris obeant ac peragant; id secum reputantes, actiones has ipsas, balsami instar, quod sponte manat,

Is. 66. 23.

nat,

nàt, multò fore Deo gratiores, quàm si præcepti vi essent extortæ. Quam igitur normam dabo vobis, juxta quam proportione quisque suâ, suæ conditioni respondente, festos dies exigat? non aliam planè, quàm illam, juxta quam primæ ætatis Christiani dies omnes ac singulos exigebant; adeò nos illi divini obsequii studio & ardore superabant. *Erant perseverantes in doctrinâ Apostolorum, & Communicatione fractionis panis, & Orationis.*

Act. 2. 42.

XXIII. Observant igitur primo loco Sacræ Literæ, Christianos illos constanter in audiendâ Apostolorum doctrina perseverâsse: *erant perseverantes in Doctrina Apostolorum*, id quod vobis quoque faciendum incumbit diebus feriatis; nec enim aliud tempus sacræ huic exercitationi opportunius. *Sapientiam scribe in tempore vacuitatis*; quæ sunt Ecclesiastici verba. Cujus rei ea est ratio; quòd cùm animus noster, quâ est facultatum suarum imbecillitate, pluribus simul rebus intendere non possit; tempus præ quovis alio opportunum ad altè inserendam animo divinam sapientiam, illud erit, quo facessere jussis caducarum rerum curis omnibus, quæ tantopere mentem implicant, melioribus tantùm animus addicitur: *in tempore vacuitatis.* Cunctis omnino Christianis incumbit obligatio feriatis diebus audiendi divini verbi: illis tamen, qui rerum divinarum, & Mysteriorum ac Dogmatum Religionis nostræ, etiam scitu necessariorum, rudes sunt, major incumbit: & fieri nonnunquam potest, ut majoris sub noxæ reatu Concionem, aut Christianam doctrinam audire, quàm Sacro Missæ sacrificio adesse teneatur. Nec disparem mihi eorum videtur conditio, qui vitiis quibusdam pessimè assueti, obducto jam in iis callo, absque gravi salutis suæ discrimine & contemptu, non possunt hoc tam præstans feriæ emendationis medium negligere. Et hi tamen ipsi sunt, qui nunquam in Concione comparent; sed proripiunt se, & fugâ subducunt, oderúntque illa potissimùm Templa, in quibus ad Populum verba fiunt; crederes, eos sibi timere, ne ad bonam frugem convertantur, haud aliter ac serpens incantatorem fugit: & interim miseris in mentem non venit, hanc divini verbi audiendi nauseam & horrorem argumentum esse minimè fallax hominis Reprobi, juxta illud Servatoris nostri: *Propterea vos non auditis, quia ex DEO non estis.* Absit procul hoc à vobis, Dilectissimi: vobis persuasissimum esse debet, dies feriatos, dies esse audiendis prælectionibus sublimis illius scientiæ, quam meliùs assequi non datur, quàm dum à negotiis & curis rerum caducarum otium conceditur: *Qui minoratur actu, Sapientiam percipiet.*

Eccli. 38. 25. vid. Corn. à Lap. ibi.

V. Trident. Sess. 24. c. 4. de Reform.

Bonac. l. 5. in 1. præc. p. 2. n. 28.

Jo. 8. 48.

Eccli. 38. 25.

XXIV. Altera primæ ætatis Christianorum occupatio erat creber Divinorum Mysteriorum usus: *erant perseverantes in Communicatione fractionis panis.* Hæc etiam, præquam ulla alia, sacrosancta est exercitatio, ob quam laborum institium indicitur. Si nostræ ætatis Christiani nôssent, ideò

ideò quieti à laboribus dies aliquos destinatos esse, Paschales Ferias, quibus ad Divinissimum Epulum accederent, non expectarent. Non desunt, qui ad negligentiam suam excusandam id afferunt, ex quo magis eorum palàm fit ignavia ; dicunt enim, ideo se crebriore Divini Panis usu abstinere, ne inter alios digitis monstrentur. Qui vestrûm sciret, quale quantúmque donum sit, quod in Divino Eucharistiæ Mysterio à DEO offertur ! *Si sciret donum DEI*, næ ille nunquam porro stultas has in voces prorumperet : *Rariùs divino Pane vescor, ne me alii digito monstrent.* Quæ hæc, per DEUM loquendi ratio ? Sicubi ursus in favum mellis inciderit, tantâ aviditate in illum fertur, ut tota apum agmina, aculeis in illum suis armata, facere non possint, ut inventâ dulcedine non fruatur. Quare illud certum habete ; si linguæ eorum, qui mortales, præcæteris religiosiores, jocis & dicteriis suis traducunt, non linguæ essent, sed gladii, vos non formidaturos eorum vulnera, ubi semel gustu percipere liceret suavitatem cibi Eucharistici, & fructum inexplicabilem, quem colligit Anima, ex cibo hoc crebriùs usurpato. *Comede, fili, mel, quoniam bonum est.* Ne, quæso, ne omittatis tam nullâ aut levi de causâ pascere vos melle, parato à Patre æterno, quem ad id ingens ille suus in nos amor impulit ; licèt enim par esset vos omni contentione Panem hunc petere, ipse tamen vos prior invitat ; quin rogat, ut acceptare ab ipso Panem istum non pigeat : *Comede, Fili mel, quoniam bonum est.* Ratio proin postularet, ut singulis saltem mensibus divinam hanc ad mensam accumberetis (hic enim inter præcipuos, dies festos agendi, ritus est, Conviviis illos solenniores reddere) sæpius verò animum noxarum apud Sacerdotem confessione expiaretis.

Prov. 24. 13.

XXV. Persæ Veteres non aliâ magis re præcipuos dies solennes reddebant, quàm sedulâ serpentum, aliorúmque pestilentium & publicè noxiorum Animalium venatione. O si Christiani quoque feriatis diebus cuncti in talem venationem, duce Fide, proficiscerentur ! Quot in animo noxas habent, tot illa venenatissimos serpentes in eorum quolibet detegeret, & armis insuper veræ Contritionis, Confessionisque eos instrueret, ad Monstra hæc tam pernitiosa occidenda, & extirpanda. Certum est, non defuisse Doctores, qui existimarent, ipsum Præceptum sanctificandi dies feriatos obligare eum, qui opus habere deprehensus fuerit, ad actus ejusmodi Contritionis Confessionísque producendos. Ego tamen medium hoc non proponam vobis tanquam rem severo præcepto imperatam, sed consultam ut utilem, præquam sit ulla alia, ad Animæ salutem consequendam ; certos vos faciendo, quòd si hoc meum consilium sequi non detrectaveritis, non difficilis futura sit illa vitæ morúmque emendatio, quæ absque illo sperari vix, si tamen ullo modo potest. Cùm recens est gluten & humidum, non magno cona-

Agat. Hist. Pers.

conatu opus est, ut quæ illo conjuncta sunt ligna, denuo separentur : at cùm morâ longiore induruerit, ligna arcte jam cohærentia franges citiùs, quàm separes. Haud aliter si semel quot mensibus, aut etiam crebriùs, Sacerdoti quis peccata sua aperiret, non admodum difficile foret animum avellere à commerciis pericul. sis, à fœdæ libidinis amore, ab habendi per fas nefásque cupiditate, à propensione ad inanem gloriam : nec enim vitia adhuc tenaciùs adhæsissent. At ubi quis expectaverit menses integros, aut annum; tam contumaciter adhærebunt, ut illa frangere possit, non evellere : tantâ inquam, cum difficultate vitam emendare, ut animi satis ad rem tam arduam non sit habiturus.

XXVI. Denique non aliud Christiani illi Sancti agebant diutius, quàm ut orarent. *Erant perseverantes in Oratione*; erátque hoc negotium ejus diei tam proprium, ut Constantinus Imperator diem Dominicum Orationis diem appellitaret. Et verò Oratio inter præcipuos religionis & proprios actus est, quâ homo magnum DEO honorem habet; orando enim se illi subjicit, faretúrque se eo summè indigere, & eum omnis boni authorem agnoscere. *Invoca me, & honorificabis me* : ait Sacer Vates. Interim ætatis nostræ Christiani rem eo reducunt, ut satis orâsse sibi videantur, si Deiparæ Salutationes ad globulos inter mille animi evagationes & gestus irreverentes decurrerint : & tamen isti inter religiosiores haben-

Euſ. in vit. l. 4. c. 18.

Pſ. 40. 15.

tur, si iis comparentur, qui ne linguâ quidem DEUM honorant. At hoc profectò nequaquam est dies festos sanctificare. Necesse est, dum Coronam Salutationum Deiparæ texímus, miserias nostras & inopiam eâ demissione proponere, quæ pauperem; eâ verò fiduciâ, quæ filium deceat. *In omni Oratione & obsecratione, petitiones vestræ innotescant apud DEUM:* & quia eodem loco addit Apostolus, *cum gratiarum actione*, mentem quoque applicare oportet ad reputanda secum DEI beneficia, & ad modum iis respondendi; cùm hoc re ipsa maximum sit obsequium, quod præstare Divinæ Majestati possimus, quódque ipse peculiari quadam ratione à nobis expoſcat. *Cultus DEI*, sic docet Magnus Augustinus, *in hoc maximè constitutus est, ut anima ei non ingrata.* Nec aliâ de causâ præcipit Ecclesia, ut feriatis diebus Christiani, Sacerdoti sacrificanti adsint : quàm ut divinæ miserationi divino illo Sacrificio gratos se exhibeant tam pro beneficio Redempti humani generis, quàm pro omnibus aliis ante, aut post illud collatis.

Philipp. 4.

XXVII. Præter hæc aliquid temporis dandum est componendis Animæ rationibus, lucris cognoscendis, damnis reparandis ! sic ut quivis intima sua perscrutatus probè perpendat, quomodo utatur tempore, quod illi DEUS ut sementem æternitatis credidit. Ajunt formicas uno aliquo mensis die (illo scili-

cèt, qui inter Lunam lumine imminutam, & denuo crescentem intercedit) feriati, eóque cessare ab omni prorsus opere, sic ut ne quidem è latibulis suis prodeant, ut (quod curiosi quidam deprehendisse se existimant) cognoscant, quantum cumulârint, & sicubi opus fuerit, latibula sua reparent ac restaurent. Si ita res se habet, constitutum mihi est, pigros illos, qui res animæ penitus negligunt, interiora sua lustrant nunquam, nec unquam, quo loco sint cuncta, perscrutantur, ad discendum, quid facto opus sit, ad formicam mittere: *Vade ad formicam, ô piger, & disce sapientiam.* Prov. 6. 6.

XXVIII. Auditores Amantissimi. Si Christiani primæ ætatis his exercitationibus totam propè dabant hebdomadam, an magnum quid erit, si plusculas sacrorum dierum horas vos illis tribuatis? Quæ tandem multorum insania est, nec feriatis quidem diebus posse à labore interquiescere? Animalia quæ non dormiunt, hoc ipso produnt, se cerebro carere: *Non dormiunt, quæ cerebrum non habent.* Plin. l. 25. c. 3. Ego non dubitabo asserere eos è Christianorum numero, qui à curis & solicitudinibus suis nunquam interquiescant, omni judicio, imò omni Fide destitui. His enim si non carerent, feriatis diebus uterentur ad rectè piéque operandum, quò sic emendent malum, quod per hebdomadam operati sunt, idque & ipsi spectarent, quod Deus & Ecclesia in ferendo hoc præcepto spectârunt. *Ut siquid negligentiæ per sex dies agitur, per diem Dominica precibus expietur.* S. Greg. ep. 3. l. 1. En igitur quid statuere hodie vos oporteat, priusquam his parietibus pedem efferatis: reddere nimirum deinceps DEO, quod DEI est: *Reddite quæ sunt DEI DEO.* Nemo deinceps furetur illi diem, honori ejus & cultui consecratum: non profanet avaritiâ, non fœdis voluptatibus, non aliis oblectamentis vetitis, id enim aliud non foret, quàm diem ejusmodi orco consecrare: expendat id tempus in exercitationibus pietatis Christianæ, ut idoneum quisque se reddat ad illa benefici largitoris DEI dona accipienda, quæ ipse promittit cunctis, qui dies ipsi consecratos verè sanctificant, in hac primùm, dein etiam alterâ in vitâ. *Si vocaveris Sabbatum delicatum, & sanctum Domini; cibabo te hæreditate Jacob Patris tui.* Isai. 58. Fuit autem hæc hæreditas, *de rore cæli & de pinguedine terræ.* Gen. 27. 28. *De rore cæli* quidem, propter bona cælestia, quæ alterâ in vitâ conferantur: *de pinguedine terræ* autem, ob bona transeuntia, quæ hac in vitâ adjungentur.

DISCURSUS

DISCURSUS XII.

De Sanctißimo Missæ Sacrificio.

I. NIl aliud contra DEUM malus Dæmon molitur studiosius, quàm ut adorandum Missæ Sacrificium è Mundo tollat penitus. Et quamquam certum sit, hunc ejus conatum ad postremum usque Mundi diem exitum non sortiturum; nunquam tamen ille, quantum potest, conari desinit: iis proinde locis, ubi plus efficere se posse desperat, id facit, quod belli tempore fieri assolet; ut, cùm hosti majores machinæ & tormenta eripi non possunt, impactis in nitrati pulveris scutellam clavis reddantur inutiles. An non omnium oculis patet, quòd inter nos Orthodoxos, quibus sacrificium ex toto nequit eripere, id saltem obtinuerit, ut qui illud faciunt, tam faciant luridè & negligenter, qui verò audiunt, tam absque pietatis sensu modestiâque auscultent, ut existimari possit, id apud multos omnino assecutus, ut telum hoc, quo nullum est ad expugnandam stygem potentius, infixis velut clavis inutile sit redditum? Utinam mihi contingat hodie vestris in animis unam excitare Fidei scintillulam circa Mysteria hæc sublimissima, quæ à nobis Sacerdotibus ad aram litantibus geruntur! enimverò rem magnam vestro commodo præstitisse mihi viderer. Conabor hoc efficere: & modicum illud, quod vobis proponere & explicare potero, modicum non erit, si illud saltem intelligatis: nam de re tantâ disserere ut par est, nec Seraphini alicujus lingua unquam potis erit. Velim igitur excitetis vos ad sic auscultandum, sicut rei gravitas postulat, dum ego me accingo ad duo vobis demonstranda: quorum primum sunt ingentia illa bona, quæ ex divino in nos Sacrificio redundant: alterum est modus, bona hæc largè admodum & abundanter consequendi. Ordiamur à primo.

Dan. 12. 11. Iren. lib. 5. adverſ. hæret.

I.

II. Quid tandem spectavit amabilissimus Servator noster JESUS incruentum hoc Sacrificium in Ecclesiâ instituendo? Dicam quàm paucissimis. Id spectavit, ne unquam deinceps his in terris animæ nostræ inopes essent: *In omnibus divites facti estis in illo*; ut Apostolus loquitur. Locupletati estis per Christum JEsum omni genere divitiarum spiritualium, sic ut omne nominum & debitorum genus possitis expungere. Quadruplici autem, si rectè Angelicus docuit, nominum genere DEO obstricti tenemur, sic ut quodlibet eorum infinitum sit: quibus proinde ex-

1. Cor. 1. 5.

pungendis quàm noſtra bona omnia non ſufficiunt, tam habemus abunde, unde ſatisfaciamus, in infinito theſauro, quem ex divino ſacrificio haurire licet. Honoranda inprimis nobis eſt Divina Majeſtas, deinde placanda, tertiò gratiæ illi agendæ pro acceptis, & denique ab eâ petenda, quibus porrò indigemus: hunc in debitis his enumerandis ordinem non absque ratione S. Doctor ſervavit: *Naximè enim*, inquit, *obligatur homo DEO propter ejus Majeſtatem, ſecundò propter offenſam commiſſam, tertiò propter beneficia jam ſuſcepta, quartò propter beneficia ſperata.* Perpendamus ſigillatim omnia hæc nomina, ut probè intelligamus inexhauſtas opes fodinæ nobis ad illa delenda donatæ.

S. Th. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 10.

III. Debemus igitur ante omnia DEO obſequium, nec qualecunque, ſed planè infinitum. Si enim honor debetur dignitati cuicunque; & major majórque debetur, quò magìs iſta creſcit; difficile profectò non eſt, inde colligere, cùm DEI Magnitudo & dignitas limites & fines omnino nullos habeat, honorem quoque illi deberi tantæ magnitudini reſpondentem, ipſum nimirum etiam fines ac limites nullos habentem: *Laudate eum ſecundùm multitudinem magnitudinis ejus.* Tantóque id magìs, quòd cùm DEUS iſte ac Dominus ſuâ naturâ mutationis omnis ſit expers, nihil etiam boni recipere in ſe de novo poſſit, ſed illud tantùm externum à rebus conditis bonum, quod in eum redundat ex cognitione perfectiore ſupremæ ac divinæ Majeſtatis ejus, quâ res creatæ donentur, & ex illâ æſtimatione, quam de illo ſe habere ipſæ profitentur. Atque hîc obſervare licet extremam hominis egeſtatem. Ubi enim invenire erit obſequium, ejúſque profeſſionem, quæ tam magni DEI dignitati reſpondeat? Tam ille perfectus eſt, ut nullâ ratione æquum ſit, nos vel in re tenuiſſimâ repugnare ejus voluntati, etſi ageretur de ſervandis tali voluntatis actu mortalibus omnibus ab atrociſſimis Inferorum cruciatibus, imò de iis liberandis, qui jam ad rogos illos deſtinati ſunt: quodnam igitur uſpiam erit donum æquale, quo nos agnoſcere demonſtremus excellentiam hanc infinitam? Fingite animo Regem totius aſpectabilis Mundi Dominum: quo tributo ejus dignitatem adæquabimus? An non mare foret egenum? An non fodinæ omnes ſteriles? An non elementa omnia paria non eſſent ſuppeditandis, quæ ad tale tributum requirerentur? Judicate nunc ipſi, quid Tellus omnis habeat, quo pro dignitate honoretur Mundi totius Conditor, cui comparatus non homo tantùm, ſed omnis aſpectabilis hic rerum apparatus, imò quæ exiſtere poſſent omnia, nihil ſunt? *Quid dignum offeram Domino?* Attoniti dicere poſſumus eo, quo Michæas Propheta, ſacro horrore perfuſi. Abjiciam me? prono in terram vultu reverebor? flectam genua? *Curvabo*

Pſ. 150. 2.

Mich. 6. 6.

genu

genu DEO excelso ? Quid autem hoc tantò Monarchâ dignum ? Offeram proinde illi munera splendidissima. *Nunquid offeram ei holocautomata* ? Sed hæc tantæ convenientia Majestati ubi tandem inveniam ? Circumferte oculos per res conditas omnino omnes; nec est, nec esse potest in omni hoc numero ullum dignum DEO munus. Munus DEO dignum aliud esse nequit, quàm ipse DEUS; & ille, qui sedet in sublimi Magnitudinis suæ throno, descendat oportet, ut fiat Victima in Altari, sícque id, quod offertur, ex toto respondeat excellentiæ Majestatis ejus infinitæ. Atque hoc est, quòd in tremendo Missæ Sacrificio perficitur, quo DEUS eo honore, eo cultu afficitur, quem mereretur, dum ab ipso adeò DEO honore afficitur; à Christo inquam JESU, qui, demissione omnem intelligendi vim superante, ponere se dignatur ut victimam in Sacerdotis manibus, paratus ad amittendum illud esse Sacramentale, verbis consecratoriis obtentum, & quidem ad amittendum eo fine, ut palàm profiteatur supremum DEI in res omnes conditas Jus, summámque, quâ ab ejus potentissimâ virtute dependent, indigentiam ac necessitatem. Sic, ut si, quò Monarcha quisque major est, ac dignior, hoc majori obsequiorum genere colitur, DEUS majori obsequio & latreutici cultûs argumento coli non possit, quàm illo, quod in Altaris Sacrificio ipsi defertur, in quo DEUS ipse Sanctissimam adorat Trinitatem omni illâ possibili ratione, quâ adorari potest, ejúsque in conspectu ita se demittit, ut modica panis tenuis subtilísque portio, quam hostiam dicimus, esse videatur. Affirmant Sacræ Literæ, quòd si: *Magna potentia DEI solius, & ab humilibus honoratur.* Quantumcunque tamen seres aliqua creata abiciat, nulla est hæc ejus abjectio, si divinæ magnitudini comparetur. Ille revera cultus, ille honor magnus est, quando coram Majestate illâ Omnipotens se prosternit, sic ut omnis honor, omnis cultus, quem res quæcunque, quæ DEUS non sit, exhibet, illi honori cultuíque collata minùs aspectabilis sit, quàm aspectabiles sint Stellæ reliquæ, cùm solis in conspectu se sistunt. *Eccli. 3. 21.*

IV. Animam quandam ardentissimo DEO amore accensam ajunt mille argumentis ac desideriis conatam esse vim amoris sui prodere. Dicebat, exempli gratiâ: O si mille linguis essem prædita, quibus extollerem perfectiones illas, quibus tu, ô DEUS meus, præfulges! O si cor meum mille myriades cordium adæquaret virtute ac potentiâ amandi te, DEUS meus! Utinam subditæ mihi essent, meóque parerent arbitrio res conditæ omnes; ut omnes ac singulas tuis substernere pedibus possem! erigerem me eò usque, ut sola plus te venerarer, quàm te venerentur Beati *S. Iren. p. 3. c. 10.*

omnes Cælites, cunctíque Beatorum ordines Spirituum! His, aliísque ejuſce generis ſanctis deſideriis æſtuabat felix illa Anima, quæ, quo intus flagrabant vehementiùs, tanto etiam luculentiùs foris ſe prodebant, haud aliter ac montes illi ſolent, qui ignes vomunt: cùm autem die quâdam præquam aliàs majora ſancti incendii ſigna proderet, hæc ſibi reſpondentem DEUM audire merult: Filia, æquo animo eſto; unum ſiquidem ſolum Miſſæ ſacrificium omnem mihi honorem cultúmque exhibet, quemcunque mihi optas; imò absque comparatione plus mihi exhibet, quàm tu quoquo modo votis tuis aſſequi poſſis. Æſtimate hinc, Dilectiſſimi, quæ quantáque res ſit Miſſæ Sacrificium, dum plus ex eo gloriæ in DEUM redundat, quàm ex omnium, quotquot ſunt, feliciſſimi beatitatis Regni incolarum cultu & amore. Sic ut ſi Triumphans Eccleſia ad exhibendum quàm maximum ſanctiſſimæ Triadi cultum, ſplendidiſſimam adornaret legationem, cujus caput eſſet Virgo ſanctiſſima, comitata omni Beatorum Cælitum numeroſiſſimo choro, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum; quin comitata Geniis cæleſtibus planè omnibus, Angelis, Archangelis, Principatibus, Poteſtatibus, Cherubinis, Seraphinis; parte autem alterâ Eccleſia Militans Sacerdotem mitteret poſtremum omnium ad unum ſacrificium offerendum; unum hoc ac ſolum ſacrificium majus DEO honoris tributum penderet, quàm eſſet omnis ille honor à Matre Virgine, & innumerabili illo, quem audiſtis, Cælitum exercitu exhibitus: tantóque eſſet majus, quò major eſt Chriſtus JESUS, DEUS vivus verúsque, rerum conditarum omnium cumulo, infinitis intervallis ab eo remoto. Amplus aliquid majúſque dici poteſt ad explicandas opes illas maximas, quibus nos Chriſtus in Miſſæ Sacrificio locupletavit? *In omnibus divites facti eſtis in illo.*

V. Nondum tamen totum dictum eſt. Magnus ſi quidem ille DEUS, pro eo, quòd eum debito cultu veneraremur, contemptus à nobis eſt, & injuriis affectus, audaciâ, quâ major alia eſſe non poſſit: unde quis eſt, qui ſatis explicet debitum, quo obſtricti ſumus ad iram ejus placandam, ſatisfaciendo ipſi ad aſſem pro tot injuriis, quibus à nobis eſt laceſſitus, quibúsque identidem laceſſitur? Hoc autem quî tandem absque divino illo ſacrificio fieri poſſet? Divinæ Juſtitiæ ſatisfacere, meritámque iram mitigare, opus eſt tam arduum, ut efficere illud poſſet omnino nemo, qui ſequeſter & arbiter divinus non eſſet, qualis eſt DEI Filius hominem indutus. *Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt Anima mea ad populum iſtum; ejice illos à facie mea.* Sic olim ſublimi illo ſuo è Throno iratus DEUS fulminabat. Quæ cauſa fuit, cur Legis antiquæ Prophetæ ac Patriarchæ, horum DEI judiciorum ſenſorúmque conſcii magnîs identidem clamoribus

Jer. 15. 1.

in-

ingeminarent : *Mitte quem missurus es.* Placeat tandem, ò DEUS mittere de Cælo Agnum illum immaculatum, cujus gratiâ statuisti ponere iram, quâ contra opera manuum tuarum justissimè exarsisti. Atque hæc est illa victima, quæ Miserationem impetravit & veniam Peccatoribus, cruento primùm illo in Cruce sacrificio; deinceps verò altero incruento Altaris, quod nobis relictum est in memoriam ac restaurationem perennem illius, quo olim perlitatum est. Quid proinde, quid quæso fieret naturâ nostrâ humanâ, nisi Servator noster morte suâ sedâsset animum divinum, justissimâ vindictâ paratum permittere totius Mundi excidium ac ruinam ? Et verò quid Mundo ipso fieret, Christiano maximè, si hoc, etiam post exantlatam à Christo mortem, gravius atrociusque peccante, in Ecclesiâ Dei Sacrificium non esset, quod furorem denuo irritatum excitatúmque mitigaret ? Nihil equidem dubito, quin Mundus peccatis ad hanc diem patratis oppressus pridem in nihili profundum abiisset, utpote tam immenso tot noxarum oneri impar. Uno nimirum firmissimo Divini Sacrificii fulcro nititur, quo minùs pessum eat, eóque Justissimæ Dei iræ vim & impetum frangit.

Ex 4. 13

VI. Quam porro causam esse arbitramini, Auditores Dilectissimi, cur Deus nunc in gubernando hoc Universo tanto plus Miserationis ostendat, quàm ostenderit seculis antiquis ? Ad sumendam de uno adulterio vindictam viginti quinque millia Beniaminitarum gladiis cædi voluit : & tamen tunc Matrimonium non erat nisi contractus quidam civilis, non autem Sacramentum, ut est hodie. At nunc, cùm ad Sacramenti dignitatem evectum sit, & adulterium, præter fœditatem Intemperantiæ atque Injustitiæ, complectatur etiam quodammodo malitiam Sacrilegii, DEUS non unum, aut alterum, sed plura centena admitti sinit, quin domos & familias, quin urbes integras evertat funditus, ut tamen ob delicta tam atrocia everti mererentur. Ob levem Davidis Regis in numerando Populo vanitatem ac superbiam, pestem DEUS immisit tam funestam, ut modico temporis intervallo septuaginta mortalium millia eâ extincta sint. Nunc è diverso ille patienter fert non vanitates tantùm, sed noxia graviter in publicum exempla, sed perjuria, sed, quod plus est, tot detestandas blasphemias, quas Christianâ è gente aliqui omni ferè momento, in injuriam divini nominis tartareâ linguâ evomunt. Obtutus unus curiosior, aut minùs reverens, quem in Arcam Bersamitæ defixerant, strage quinquaginta millium ex eâ gente vindicatus est : & nunc tantus eorum est numerus, qui non verentur ore indigno manducare carnem Filii DEI in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, & tractare illam manibus conspurcatis mille fœdissimis libidinibus, mille spurcitiis, sic profanando non aliquam è ligno insensili arcam, sed membra illa purissima & sanctissima, quæ sunt vivus Divinitatis Sacro-

2. Reg. 24. 15.

1. Reg. 6. 19.

Judic. 20. 46.

sanctæ

sanctæ thronus: & tamen, haud secus ac si etiamnum crucis trunco clavis suffixæ hærerent manus, sensum nullum prodit, & immania sui Populi sacrilegia tolerat majori longanimitate, quàm olim leves contra debitam sibi reverentiam noxas tulerit. Quæ autem tanti in Mundo gubernando discriminis causa? An fortassis animi ingratissimi scelera, tanta beneficiorum interim accessione factâ, minùs jam habent malitiæ, & veniâ atque excusatione magis digna sunt, quàm olim? Nihil minus. Vera tam stupendi discriminis & clementiæ causa est Sacrificium Missæ, in quo nullo non tempore Patri æterno, Sacerdotum manibus, magna illa victima Christus JESUS immolatur: atque hic est arcus ille cælestis, qui divinæ Justitiæ tempestates sedat, & potentissimis sanguinis sui sacratissimi vocibus pro toto mortalium genere misericordiam & implorat, & impetrat, cujus ille, etsi caput ac Princeps est, Advocatum tamen ejusdem clementissimè agit, ut ab exitio illud redimat sempiterno.

VII. Atque hoc olim Hebræo Populo deerat; qui, etsi tam diversorum rituum, tot haberet, etiam pro peccatis, sacrificia, nullam tamen habebat, quod ejus esset virtutis ac potentiæ, quantam suspicimus in illo Sacrificio, de quo nobis sermo: quin imò quidquid in illis inerat, virtutis & efficaciæ, ex eo inerat, quòd antiquæ illæ victimæ, umbræ essent ac figuræ ejus, quæ hodie offertur, victimæ ac Sacrificii. Idcirco DEUS infelicibus illis exprobrat, quòd tot suis hostiis ac oblationibus id efficere non possent, ut furorem ejus ac indignationem mitigarent. *Adipe victimarum tuarum non inebriâsti me.* Is. 43. 24
Nil tale jam DEUS exprobrare potest Populo Christiano, apud quem vel unum Missæ Sacrificium usque adeò illi placet, ut inebriare quodammodo ejus Justitiam possit, & ita quidem inebriare, ut manibus ejus extorquere possit fulmina, quæ jam jam in Peccatores intorquebat. Hinc vestro bono discetis, cùm iratus DEUS vel privatum quemlibet, vel Rempublicam aliquam flagellat, non aliam certiorem iræ ejus mitigandæ rationem esse, quàm multa sacra facere, multis facientibus adesse. In Græciâ quondam tam pestilens erat aëris infecti contagio, ut mortales mortui in publicis compitis haud aliter caderent, ac arborum Folia, cùm hiems sævire incipit. Ad malum tam perniciabile emendandum suasit Hippocrates, ut succisis per campos arboribus prægrandes lignorum strues colligerentur, quæ subinde accensæ contagiosam illam auram purgarent: id quod re ipsa dein factum est. Reputate igitur animo, cùm DEUS publicis calamitatibus in nos animadvertit, totam passim Provinciam contagiosâ velut lue infectam esse, aut nimiâ Morum licentiâ, aut fœdâ libidine, aut blasphemiis, aut alio aliquo magis vulgato peccatorum genere. Nullum proinde præsentius malo remedium est, quàm plu-

ribus

ribus in templis Sacerdotum operâ ignem hunc divinum excitare, cujus suavissimus odor, & amoris flammæ contagionem nullis aliis remediis sanandam, purgent, & salubritatem restituant.

VIII. Quamquam hic non est præcipuus Sacrificii incruenti effectus, divinæ Justitiæ quodammodo frenum injicere: plus est, quòd illi planè ad æqualitatem satisfaciat. Et verò in hoc nominum nostrorũ consistit magnitudo, quòd identidem divina Justitia Peccatorum quemlibet iis verbis compellare possit: *Redde quod debes.* Redde mihi, redde honorem illum, quem tanta temeritate, dum obedire mihi renuebas, abstulisti. Quis tamen honorem istum redder, si divinus est? *Mich. 6. 7.* *Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo?* Si ego tanquam Abrahamus alter, in holocaustum obtulero dilectum meum & delicatum filiolum, eóne ego sanguine, quamlibet innocente, abluere ex toto potero peccati mei sordes, & totum reddere DEO, quod ipsi abstuli? sed qua tandem ratione unius hominis, imò omnium simul hominum vita faciet satis pro peccati illius arrogantis fœditate ac malitia, quod naturâ suâ tendit ad vitam ipsi DEO eripiendam? Quanto verò minùs id poterit vita bestiarum, si cunctæ pro unico unius peccato immolarentur? *Isa. 40. 16.* *Animalia non sufficiunt ad holocaustum.* Verum quidem est; ejusmodi bestias, tanquam nullius peccati sordibus infectas, non tam parùm idoneas fuisse futuras ad satisfaciendum pro nominibus, quæ Peccatores contraxerant, quàm futuræ fuissent ipsorum Peccatorum, jam aliàs mortis reorum, vitæ: delicta nihilominus nostra exigebant Sacrificium valoris infiniti, quale nobis in Missa facto ipso Servator noster amantissimus præparáre dignatus est. In hac sistit se Christus JEsus habitu & vestimentis tam abjectis, propter accidentium congeriem, quorum involucro tectus comparet; sistit etiam se gestu & compositione tam demissa, victimæ instar, non tantùm jam immolatæ & jugulatæ, sed etiam, paratæ promptæque, quantum est in se, ad vitam denuo, pro æterni sui Patris gloria, amittendam; ut Pater nihil porro pro injuriis sibi illatis exigat, imò ut plusquàm satis ipsi fit factum. *Non sicut delictum, ita & donum.* *Rom. 5. 15.* Plus ipsi honoris reddit hæc obedientia, hæc abjectio divini hujus Filii, qui se demittit, ut ipsi se subjiciat & substernat, quàm ipsi abstulerit refractaria illa perfidia Peccatoris, contra Sanctissimas ejus leges perduellis: atque ita noxæ planè omnes in puro purissimi & innocentissimi Agni sanguine submerguntur: non quidem quasi Missæ Sacrificium per se & absque medio deleat nostra peccata, sicut id Pœnitentiæ Sacramentum præstat; sed quòd illud præstet mediantibus auxiliis necessariis ad seriò & efficaciter dolendum de peccatis, quæ auxilia nobis impetrat, & quod faciat satis pro offensa DEO illata, & pro pœnis offendenti ceteroquin debitis; quâ de causâ etiam de hoc incruento Sacrificio verum sit illud Danielis: *Occiditur Christus, & finem accipiet peccatum.*

IX. Horum verborum litera de Servatoris morte loquitur, accipi tamen etiam possunt eadem de Missæ sacrificio, quod sacra Tridentina Synodus definivit esse & ipsum sacrificium Propitiationis, te nullâ, ob victimam quæ in ipso quoque offertur, sacrificio in arâ Crucis immolato inferius, sed tantùm dissimile in modo offerendi. *Docet sancta Synodus sacrificium istud verè propitiatorium esse &c. Una enim eadémque est hostia, sola offerendi ratione diversa.* Concipite proin animo sacrificium Crucis causam fuisse universalem ad mortem peccatis inferendam, sacrificium verò Altaris particularem quandam causam esse, quæ sanguinis à Christo JESU profusi vim virtutémque huic atque illi applicat. Mors & Cruciatus Christi thesaurum collegerunt, Missæ sacrificium illum distribuit: Mors Christi ærarium est publicum; Missa clavis est, quâ illud reseratur. Observate proindè, quid sit sacrificium peragere, quid illi, dum peragitur, adesse. Idem est, ac facere, ut Deus ille, qui pro cunctis mortalibus in genere mortuus est; nunc denuo quodamodo moriatur pro me & vestrûm quolibet, perinde omnino ac si nostrâ singulorum causâ denuo moreretur. Hic tenere me non possum, quin exclamem: Prô Munde hebes & insensate; quàm nihil intelligis de Mysteriis tam sublimibus! quî fieri potest, ut tam multi Aram circumstent oscitantes, garrientes, jocantes, ridentes, dum tremendes adstant Angeli, terum, effectorúmque tam prodigiosorum contemplatione attoniti! Sed non evagemur ante tempus à proposito scopo, sed progrediamur ad tertium, quo DEO obligamur, nominum genus, quod est gratiarum ipsi pro beneficiis acceptis debitarum.

Sess. 22. c. 1.

X. Magna quidem sunt hæc nomina, etiam cùm in se spectantur; multo tamen evadunt majora, si illa etiam perpendamus, de quibus paulò antè dictum est. Neque enim Deus beneficium tantùm, infinitéque bonum erga nos se semper demonstravit, sed talem tum quoque se exhibuit, postquam à nobis & toties, & tam graviter offensus est. Hinc consequens est, quod si verè infinita ejus est in nos bonitas, infinita ejus in nos beneficentia, nos quoque summo jure debeamus ipsi gratitudinem infinitam, & agnitionem liberalissimâ ejus beneficentiâ non inferiorem. Verùm ubi tandem locorum inveniemus ærarium tam locuples, & opum tam immensarum? *Minor sum cunctis miserationibus tuis*, verba sunt Jacobi Patriarchæ sanctissimi. Non habeo, ô DEUS, unde gratias tibi referam vel pro minimo beneficio in me vilissimum homuncionem collato. Equidem si non aliâ nos DEUS dignaretur gratiâ, quàm ut vel semel blando nos obtutu respiceret, fieret profectò, ut cùm ipse sit Dominus tantæ Majestatis, nos autem creaturæ tam miseræ, tam abjectæ, nunquam dignas & promeritas gratias agere possemus, etsi toros

Gen. 32. 10.

nos

nos ejus conservaremus honori, & millies quotidie vitam pro ipso profunderemus. Quæ igitur gratitudo sufficiet ad dignè respondendum, non jam blando obtutui, sed bonis ac beneficiis innumeris, quà naturæ, quà gratiæ, sed liberationi à malis innumeris quà culpæ, quà pœnæ: sed præmio, quod per omnem deinceps æternitatem promittit, & non est aliud, quàm Ipse, bonum illud infinitum; atque hæc quidem impensis vitæ suæ, quam duxit inter ærumnas tam graves, exegit tot inter cruciatus & dolores, finivit tot inter injurias & opprobria, nostri amore, ferali in ligno! *Quid dignum esse poterit beneficiis ejus?* Consulite, si placet, cunctas illas felicissimas Cæli mentes; omnes ore uno respondebunt, non esse uspiam, unde DEO satisfaciamus, unde gratias promeritas rependamus: velimus, nolimus, necesse est nos vivere ac mori ingratos. Parte tamen alterâ exigit DEUS, ut omnino reddamus, quod debemus, & Ecclesiastici, tanquam publici Præconis ore promulgat nobis imperium, quo jubet reddere, quantum accipimus. *Da Altissimo secundùm datum ejus.* Sic ut omni ex parte conjiceremur in angustias nobis inextricabiles, nisi Missæ foret Sacrificium, eo, si S. Irenæo credimus, fine potissimùm institutum, ne DEO ingrati esse cogeremur. *Divinum hoc sacrificium ideò institutum, ne nos ingrati simus erga Deum.* Cum hoc sacrificio, spe bonâ ac fiduciâ pleni, sistimus nos oculis Patris æterni, & his eum alloqui fidenter possumus: Novimus, ô Pater, Miserationes tuas omnem numerum, omne pondus superare, en tamen donum, quod ipsum solum tantum valet, quantum valere possunt dona tua omnia: en Deum, qui nostris se manibus offert tibi, æqualis omnino ac sufficiens ad rependendas vices Divinæ tuæ beneficentiæ, quamlibet immensæ ac infinitæ.

Tob. 12. 2.

Eccli. 35. 12.

Lib. 4. cont. hær. c. 32.

XI. Quantum proinde nos, Dilectissimi, debemus Servatori nostro Christo JESU pro sacrificio hoc Eucharistico, quo sine, vellemus, nollemus, cogeremur vivere ingrati Patri nostro cælesti? Sed hic fuit modus sine modo Divini in nos Amoris; devincere nos sibi beneficiis immensis, & dare præterea, unde illis ad æqualitatem responderemus. Quamquam vel tum, dum in incruento sacrificio expungimus nostra nomina, suum DEO filium offerendo, alia denuo apud eundem ipsum nomina contrahimus, cùm non alius, quàm ille ipse sit, qui tantâ nos sorte beavit, ut hunc Filium ipsi offerre possemus. Nec tamen refert; nam etsi dum reddimus, accipimus; tamen etiam dum accipimus, reddimus. Accipimus, dum facultas datur offerendi Deo thesaurum tam inexhaustum; reddimus, dum illum offerimus. Atque utinam tanti sciremus æstimare sortem hanc nostram, quanti æstimari meretur! Spectandum se obtulit Venerabili Franciscæ Farnesiæ Virgo Sanctissima, & brachiis ejus filium suum Divinum Infantulum inserens, Accipe eum, ajebat, est enim tuus; & vide, ut illo rectè utaris.

In vita ejus.

Noster est JEsus. Dilectissimi: *Parvulus datus est nobis*: & si noster ille est, nostræ quoque sunt opes illæ nunquâ exhauribiles Meritorum ejus: noverimus igitur iis sic uti, sicut oportet, offerendo illa quàm crebertimè æterno Patri ad onns, quo premimur, sublevandum.

XII. Sed quid agemus, cùm ea sit gratitudinis Lex, ut jubeat non solùm æquale accepto muneri reddi illi, qui donavit, sed etiam majus? *Qui recompensat æquale*, S. Thomæ doctrina est, *non videtur facere gratis, sed reddere quod accepit.* Qui prior benefacit, suo planè agit arbitrio, nullo titulo obligatus: qui vices beneficio rependit, jam id agit, ad quod decori & beneficentiæ alienæ respondendi titulo adstringitur: atque inde necessarium est, ut qui beneficium accepit, tanto plus reddat, quantum satis est, ut spontaneam illam largitoris benefici voluntatem ac studium compenset. Præterea hoc ipsum, primò donare, est donum quoddam ultra ipsum donum: æquum proinde est, ut Gratitudo nostra, dum donanti aliquid reddit, non donum tantùm reddat, sed aliquid insuper, quo compensetur illud, primum fuisse in donando. *Ideò gratiæ recompensatio semper tendit, ut, pro suo posse, aliquid majus retribuat.* Id quod in re nostrâ sperari nullo modo potest; cùm enim Deus ipsum nobis Filium suum donârit, non potest vicissim ipsi donari aliquid, quod ipso majus sit. Ita planè est. Non potest re ipsâ reddi Deo, nisi æquale; potest tamen

S. Th. 2. 2. q. 106. ar. 6.

reddi plus ratione quadam apparenti. Semel enim tantùm à Patre datus nobis est Christus, cùm carnem nostram induit; nos autem sæpissimè illum Patri in Missæ sacrificio reddimus; unde videmur quodammodo in reddendo vincere ipsum DEUM, legem Gratitudinis implendo ultrà doni accepti mensuram, ut requiri dicebam: sic ut non tantùm grates rependamus DEO; quantas ejus beneficia merentur; sed etiam quantas meritus est, dum nos beneficiis suis amoris infiniti vi planè prævenit. Qui igitur fieri potest, esse Christianorum è numero quemquam, qui hæc vera esse profiteantur, nec tamen perpetuus Templorum sit inquilinus, in tot sacra, quàm multis ibi interesse potest, intentus?

XIII. Cujus quidem rei obligatio inde vel maximè crescit, si titulo gratias pro acceptis referendi, addatur & alter ea, quæ desiderantur, demissè petendi. Postremam hanc obligationem inducit Religionis virtus, quæ nobis imponit onus, precibus nostris obsecrationibúsque profitendi DEUM unicum ac solum esse omnis boni nostri authorem, nósque ab ejus manibus, in quocunque bono impetrando, totos velle pendere. Hac veritate cultus ille nititur, quem DEO quotidianis nostris precibus exhibemus, ut ipse apertè indicat, ejusmodi sui cultum à nobis postulando illis verbis: *Invoca me in die tribulationis, & honorificabis me.* Quamquam ipsæ illæ nostræ miseriæ, quæ nos cogunt, ut opem à Deo supplices flagi-

Ps. 9. 16.

temus,

temus ipsæ, inquam, illæ eâ nos ope indignos faciunt: quare, si Missæ sacrificio destitueremur, quæ tandem sors nostra esset, dum quâ mensurâ in nobis nostra crescceret inopia ac necessitas, eâdam planè etiam crescceret indignitas, ad opem vel minimam accipiendam? Accedit, illud commercium, quod Deum inter ac hominem Gratiâ mediante stabilitum est, toties quotidie peccatis interrumpi; ut tam protritâ fronte esse non possemus, ut absque JESU non vereremur divino nos conspectui sistere cum nostris libellis supplicibus, repulsæ illius severæ metu: *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Benedictus proinde sit millies Servator noster, qui dignatus est in Ecclesiâ suâ relinquere sacrificium virtutis infinitæ, quo mediante Peccatoribus non minùs, quàm Justis & Amicis divino Tribunali offerre liceat libellos suos supplices, & omnem gratiam ac veniam impetrare.

Prov. 28. 9.

XIV. Enim verò si solus Christi Jesu Servatoris nostri Amor arbiter fuisset omnium, quæ pro salute nostrâ ipse gessit, existimo libentius eum non tribus duntaxat horis, ut modò, sed omnibus deinceps seculis ad finem usque Mundi, perseveraturum fuisse, ferali è Crucis ligno pendulum, ut suarum semper & lacrymarum & sanguinis vocibus peteret non salutem modò nostram, sed media planè omnia, quæ illi consequendæ magis fuissent profutura. Verùm quia id neque necessarium, neque conveniens erat, spectatis iis finibus, quos Divina sibi providentia præfixerat, id circo ut genio illi suo, ad amandum tam prono propensóque, faceret satis, hanc Servator novam invenit rationem manendi in terris, etiam postquam ad Superos abierat; ut relinqueret nobis divinum suum Corpus, tanquam hostiam pacificam ad gratiosam admissionem impetrandam; obirétque munus Sacerdotis æterni, ad supplices nostros libellos Patri porrigendos, quibus summâ benignitate ille responderet: nostrisque votis clementissimè annueret. Nôsse proinde vos oportet, quo momento Sacerdos ad Aram litat, aut vos litanti adestis, eodem Christum Jesum Servatorem dextræ Patris in Cælo assidentem, offerre nostro nomine illas preces ad vota, quæ vel privato, vel publico nomine Sacerdos inter sacrificandū proponit, & tum, cùm ab hoc ille sacrificatur, & immolatur, vulnera ad plagas suas Patri in cælo monstrādo, nostrum se Advocatum constituere. Videte proinde, quâ fiduciâ nihil non bonorum à Deo petere possimus, dum litanti adstamus; cùm soli haud quaquam simus; sed eâdem cum illo Advocato, qui Deo ipsi æqualis est, voce pro nobis peroremus.

Suar. 3. p. t. 3. disp. 29. p. 2. B. Laur. Justin. ser. de Corpore Christ.

XV. Si ipsa Dei Parens Cælo delapsa filium pro vobis supplex interpellaret, quantum spei in ejusmodi precibus reponeretis? Et tamen non DEI Parens, sed DEUS ipse, ipsum Verbum, humanâ vestitum carne, Advocatus noster esse vult, & minus bene de rebus nostris adhuc speremus? Quid tandem divina Miseratio Christi Innocentiæ negare poterit? Alphonsus Albuquerchius celebre

in Lusitanorum Annalibus nomen, ob illustres, quibus de Barbaris in Indiâ triumphavit, victorias, dum omni suâ cum classe præsenti in exitij discrimine versabatur, ventis ac mari atrociter sævientibus, felici consilio utraque manu innocentem puerulum complexus, qui tum fortè in navi aderat, cælum versùs sustulit, & si nos, ajebat, gravibus obstricti peccatis ad pœnas meritò deposcimur, at hic parvulus certè noxæ omnis expers est. Parce igitur, ô Deus, & tot nocentibus unius innocentis amore vitam serva. Quis crederet? adeò gratus irato DEO innocentis infantuli aspectus fuit, ut mare posito furore imminentis jamjam mortis horrorem subitâ ingentique vectorum lætitiâ mutaret. Quid jam putatis facturum Patrem æternum, quando Sacerdotes, consecratam attollentes hostiam, sui innocentiam & puritatem Filii illi ostendunt? Quomodo tranquillitatem ac malaciam negare poterit tempestatibus, quibus jactamur? opem ac subsidium necessitatibus, quas proponimus, illo maximè tempore, quo innocentissimus hic Filius non tacet, ut ille Albuquerchii, sed precibus nostris suas jungit, & humili ac venerabundo gestu omne nobis bonum exposcit? Negari non potest, si rectè S. Joannes Chrysostomus sensit, quin Sacrificii tempus sit tempus Miserationum, & quin illud exspectent tam Cælestes Genii, quàm alii Advocati nostri Beati Cælites, tanquam occasionem longè opportunissimâ ad nostras miserias ac necessitates divinæ Miserationi proponendas.

XVI. Diffiteri non possumus, quin Divina quoque Justitia multum in hoc negotio habeat quod agat, quæ dum nostris è manibus accipit donum tam pretiosum, debet ipsa quoque cum divinâ Misericordiâ ratas habere, & suâ velut manu signare petitiones nostras. Omnibus Legibus, non humanis minùs, quàm divinis, vetitum est graviter cunctis Judicibus, acceptare munera, etsi illi, de quorum causis discepratur, aut qui accusati sunt, sponte ipsi suâ ea offerant: nec enim, ipso Deo affirmante, tantùm *Munera excæcant oculos Sapientum; sed & mutant verba Justorum.* Ajunt quidem vulgò; ferro domari omnia: sed rectiùs diceretur, omnia domari Auro: nec enim ulla bilanx tam recta, ut non eam in partem incliner, in qua aurum ponitur. Quod si ita est, quomodo non etiam Divina Justitia mutabit sententias vel maximè ad rigorem exactas, dum dona nostra ac munera in Altari recipit? Non dicam quidem, quòd ipsa quoque excæcetur; cùm sit ipsa Sapientia, in quam minùs, quàm in Solem, quidquam caliginis cadere potest; dicam tamen, quòd donis his inducta aliter sentire, aliter judicare incipiat, & ipsa quoque, collatâ cum Misericordiâ operâ, etsi tam ceteroquin æquitatis studiosâ omne in nos bonorum genus conferre cogitet. *Munera mutant verba Justorum.* Et verò reputare animo, qualia sint, quæ ipsi offerimus munera, Offerimus ipsi Deum humilla-

Deut. 10. 17. & 16. & 17.

liatum; offerimus munus, quod ipsâ S. Increatâ Triade nihilo inferius est: unde plus damus DEO Missæ sacrificio litando, quàm petamus nostris precibus: atque adeò non apparet, quare aut quomodo, dum bonesta petimus, repulsam possimus metuere. Sacerdotum è numero aliquis, magnâ & singulari virtute vir, dicere solitus erat; quòd quamlibet insignes planéque singulares à DEO vel pro se, vel pro aliis peteret, dum sacris operabatur; nunquam tamen quidquam alicujus momenti se sibi petere visum, ubi ea, quæ peteret à DEO; cum illis contuitiet, quæ offerret, offerendo Christum JEsum. Et verò affirmat viri dictum ratio: cuncta siquidem, quæ petimus, aut petere à DEO possumus, aliud tandem non sunt, quàm conditum ac creatum quidpiam: quæ autem offerimus munera, Divinum quid sunt: unde munificentissima DEI benignitas, ne si velit quidem, tantis unquam bonis ac donis cumulare animam poterit, sive gratiæ illa sint, sive gloriæ, ut majora absque comparatione illi non offeramus in hoc sacrificio incruento. An igitur ille Dominus, qui paratus est dare mercedem plenissimam vel pro calice aquæ frigidæ, quem quis ejus amore dederit; an, inquam, non reddet quod justum est pro omni Filii sui sanguine, quem in Missæ sacrificio offerimus? Maximè cùm sub illud ipsissimum tempus viva hæc hostia, Holocaustum illud operationum, Sanguis ille Divinitate plenus, nobiscum, ut ante innuebam, clamet, pro omnibus nostris delictis intercedendo: *Semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Et dubitabimus, an velit Cælestis Pater audire voces Sanguinis hujus sacratissimi, cùm, ut sacer Vates testatur, corvorum pullos audiat, à matre in nido derelictos?

Ofer. conc. 8. tom. 4.

Hebr. 7, 27.

Ps. 146. 9.

XVII. Sed quod tantorum bonorum usum impedit, id est, quòd sacrificantibus non animo, sed corpore duntaxat præsentes adstemus, &, parum abest, quin dicam, non aliter in Templis versemur, quàm canes; nisi fortè etiam modo damnabiliore: canes certè à Templis exeunt, quales intraverant; at nos à sacro audito revertimur haud paulò deteriores, magísque infelices, quàm ad illud audiendum nos contulerimus. Ceterum solum Missæ sacrificium sufficeret ad totam stygem debellandam, & in eo solo haberemus antidotum præstantissimum contra omnes ejus suggestiones. Me nihil exaggerare eventus docebit, quem narro. Refert Æneas Sylvius (is, qui postmodum Pii secundi nomine Petri sedem tenuit) in urbe quadam Germaniæ è primariâ nobilitate virum à maximis opibus eas esse redactum ad inopias, ut in villâ quapiam suâ ad quam se receperat, quàm parcissimè vivere cogeretur. Hic gravi oppressus mœrore parum à desperatione aberat: quare Dæmon pro suo Mortales opportunè in exitium impellendi studio nullo non die stimulabat miserum, ut laqueo in collum injecto miseriis &

vitæ

vitæ finem imponeret; cùm ut versutus hostis suggerebat, arborem aridam nihil rectiùs, quàm securis exspectet. In hac tentationum & tristium cogitationum pugnâ Nobilis opis petendæ gratiâ ad Animi arbitrum, à singulari virtute commendatum, accessit: & verò promptam, consilio hoc perquam opportuno suggesto, invenit. Id age, ajebat vir sapiens, ne ulla unquam tibi dies elabatur, quâ Sacerdoti ad Aram facienti non adsis, ibique magno animi ardore exposcas, ne te adeò insanire sinat; ut brevi cruciaru æternum auspiceris. Audiit consulentem Nobilis, &, quod suadebatur, tantâ constantiâ executus est, ut animi integri decursu diem sibi nullum sine Sacrificio eripi pateretur. Sed anno uno elapso, nescio quomodo præpeditus, tam serò ad Templum se contulit, ut ex obvio rustico intelligere debuerit, jam omnes, qui inibi erant, Sacerdotes sacris operatos esse. Lacrymas is nuntius, viro attonito expressit: & quid, inquiebat, me fiet, quid me fiet die hac? malè metuo, ne illa vitæ meæ postrema sit. Sic ille acerbè iterum iterúmque querebatur; cùm admirabundus Rusticus, ne fleveris, dixit; Domine; quod enim ego paulò ante audivi Sacrum, tibi vendam, siquidem emere placuerit. Næ tu, respondit alter, rudis admodum es: an nescis sacrum vendi nulla ratione posse? cùm Rusticus: vendi, non vendi possit Sacrum, non multum laboro: tu tamem penulam hanc tuam rubeam, qua tegeris, mihi cede, tu Sacrum à me auditum accipe, seu dono, si mavis, seu emptione, ego illud tuum esse facilè patior. Atque ita conventum est, magnâ partis utriusque lætitiâ, Rustico quidem domum, viro illustri ad Templum iter prosequente. Inde dum is non diu post, fusis ad DEUM precibus, revertitur, vix locum, in quo paciscí placuerat, tenuit, tùm oculos attollens non procul inde, nescio quid rubrum, in aëre pendulum conspicit: propior factus (prô funestum spectaculum!) miserum illum Rusticum videt, qui, Judæ instar, cum penula illa rubra è quercu se suspenderat, ab illo utique malo Dæmone superatus, qui Nobilem aliàs ad infame hoc supplicium impellebat: eo autem spectro eruditus Nobilis ambigere porro non potuit, quæ vis esset remedii, quod prudens ille Sacerdos suggesserat, dum suasit, ut quotidie ad Aram operanti religiosè adstaret.

XVIII. Ad duo hac in historia animum advertite; ad primum quidem obiter; id autem est turpis illa Christianorum inscitia, quâ tam non intelligunt opes immensas in Missæ Sacrificio absconditas, ut etiam ad eas sordido lucello permutandas descendere eos non pigeat. Tam præclarè de vobis sentio, ut neminem unum tam stolidum fore existimem, cui tam malè paciscí allubescat: probare tamen non possum, certas quasdam absonas, ne impias dicam, loquendi

loquendi formulas ; quibus nonnemo ad Sacerdotem aliquem accedens uti non veretur, & dicere : Vir Reverende , placetne ut Sacrificii tibi hodie pretium annumerem ? Itane pretium Sacrificii ? vósne vestris in loculis tantum æris ? Pretium unius Sacrificii ne totum quidem Cælum habet : unicum enim tantum valet, quantum valet DEUS, qui est & Victima in eo oblata , & offerens, saltem præcipuus. Pauci illi nummuli , qui Sacerdoti numerantur , dantur, si id hactenus nescitebatis, ut ille indè vivat : æquum enim est de Altari vivere , qui Altari servit : unde non sunt offerendi illi ii nummi verbis tam ineptis, quasi dentur in pretium Sacrificii : quod nullo pretio æstimari potest. Altera, quam hâc historiâ doceri debetis , & ad rem propiùs facit, veritas est, vis & efficacia Sacrificii, quâ istud præditum est ad impetrandum omne bonorum genus , ad retundendam tentationum vim , imò ad eandem etiam superandam, si quis illi religiosè piéque adstiterit.

XIX. Ut ad propositum redeamus : En quàm verè principio dixerim , Christum Servatorem , relinquendo Ecclesiæ hoc admirandum Sacrificium id spectâsse , ne unquam amplius inopes essemus, dum in illo fodinam nobis reliquit , nunquam exhauriendam, ad expungenda omnia cum divinâ Majestate contracta nomina ; tantopere nos parte unâ sibi devinciens Beneficentiâ suâ limites omnes prætergressâ, quantopere parte alterâ nos exsolvimus, & nomina delemus dono, rebus omnibus creatis præstantiore oblato.

II.

XX. Sed quid agendum nobis, ut in fodinas has tam nobili metallo fœtas penetremus ? quomodo, inquam , rectè adstabimus divino huic Sacrificio, ut aliquod inde in nos emolumentum redundet ? Thesaurus enim absconditus rectè thesaurus esse negatur : *Thesaurus invisus, quæ utilitas?* Eccli. 20. 30. Sciendum proinde : Christianum , Missæ Sacrificio præsentem, geminis personis fungi : una est Assistentis illi, altera Offerentis : in eo autem, si rectè quis personas has gerat , totus consistit fructus, quem hinc haurire nos oportet, juxta id , de quo secundo loco me acturum promisi.

XXI. Primò igitur assistimus. Hoc autem assistentium munus & corporis & cordis compositionem profundissimâ reverentiâ plenam postulat. Refert S. Ambrosius , Sacrificanti Alexandro vicinum adstitisse Ephebum , qui ardentem manu facem præferebat ; cùm autem Sacrificii ritus diu admodum protraherentur, fax illa eo usque consumpta est , ut jam manum nobilis adolescentis adureret & absumeret : is autem , ne quid turbaret, ad finem usque sacrorum immotus tulit acerrimum lenti ignis sensum ac dolorem. Quod si ita est, necesse erit Ethnicos vocare , ut Christianos doceat, quæ reverentia Sacrificio debeatur.

debeatur. Nos inter non bos aliquis Idolo & ficto DEO immolatur; sed Agnus ille sine macula, Dei Filius adorandæ Triadi: & tamen Christi Cultores ne modicam quidem illius reverentiæ partem præseferunt, quam Ethnici in ejusmodi occasionibus exhibeant. Ipsum adeò imum terræ centrum patùm profundum nobis videri deberet ad nos coram DEO satis abjiciendos. Et tamen, quàm multos videre est uno tantùm poplite incurvato, habitu magis insultantium Christo, cum scelestis illis in Pilati atrio, quàm eundem cum geniis cælestibus adorantium; qui & ipsi etiam cum metu & tremore tanto Monarchæ assistunt; illi, inquam, *quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates.* Observate prodigium non vulgare. Cælestes illi Genii, quo eorum quisque altero nobilior est, atque excellentior, hoc alterum magis superare nititur reverentiæ & cultûs præstantiâ: unde Angeli laudare tantùm Deum dicuntur, Dominationes autem adorare, Potestates denique formidare ac trepidare: & tot mortales, abjectissimos terræ vermiculos, non pudeat adstare illi, Morionum instar ac Sannionum, Altari tergum obvertere, minore se modestiâ componere, quàm canis coram hero suo se componat? Et fit deinde, qui miretur, se hujus arboris vitæ fructus non experiri, & tot inter opes adhuc egenum esse? sibi quisque id imputare debet. Quare, qui majore emolumento adstare sacrificanti deinceps voluerit, aliam & ipse rationem teneat; & cùm Templum ingreditur ad Sacrum audiendum, Cælum ipsum quodammodo intrare se existimet, ut totius hominis, ad reverentiam compositione Seraphinorum imitetur reverentiam, quâ illi Dei throno assistunt.

XXII. Imò necesse est hac exteriori compositione contentos non esse, ex qua appareat, quanti Deum æstimetis: opus est huic addere non minorem compositionem ac modestiam animi, cujus exterior illa sit argumentum. *Sacrificium visibile, invisibilis Sacrificii est signum*, ut S. Augustinus loquitur. Siquis vestrûm prælens adfuisset, quando Servator noster sua è Cruce pendulus, pretiosissimum illum cruorem effundebat, quo religionis sensu, quâ teneritudine intimâ, quâ modestiâ decentiâque opus tantum spectâsset? Nunc non aliter assistendum esset illi Aræ, in qua eadem planè hostia immolatur: *Opus nostræ Redemptionis exercetur*, ut ait Ecclesia. Est autem opus hoc tantum, ut si Christus Jesus, pro eo quòd divinum suum sanguinem Calvariæ in clivo profunderet, maluisset Missæ sacrificio litare ad satisfaciendum divinæ Justitiæ, solum illud suffecturum fuisset ad faciendum satis pro peccatis totius Mundi, præteritis perinde ac futuris. Nos ista credimus, nec animo linquimur, imò sacro horrore perculsi animam non efflamus? *Pavete ad sanctuarium meum*, dicebat olim ad

L. 11. de Civit. Dei c. 5.

Dom. 9. post Pentec. Orat. secret.

Levit. 26. 2.

ad Judæos Deus. Quanto magis pavere nos oportet, dum sacra intra limina pedem inferimus, & dum illud ad Altare propiùs accedimus, in quo Deus immolatus est, imò in quo tum ipsum immolatur? Quin si sensum hunc pietatis ac reverentiæ in nobis non excitat honor DEO debitus, ad illum saltem movet nostri amor, & propriorum emolumentorum studium! An æquum cuiquam videtur, dum non Seraphini tantùm, & beati Cælites pro nobis DEO supplices accidunt, sed Christus ipse suâ linguâ, suo cruore pro nobis perorat, nos vocibus tam salutaribus obstrepere, & divinam Justitiam sub ipsum illud tempus novis animi irreverentis & contemnentis noxis contra nos vehementissimè irritare? Enimvero reus nemo ad hanc diem, dum illi redimendo Advocatus coram Judice adlaborabat, in risum, jocos, ac inanem garrulitatem se effudit, sed potiùs cordis suspiriis, corporis gestu ac conformatione ad demissionem, Advocati verbis vim addere conatus est.

XXIII. Alterum munus, quo Christianus sacrificio præsens fungitur, offerentis est. Dei Filius tanto in mortalium genus amore exarsit, ut non solùm bona sua cetera in illos beneficentissimè conferret; sed magnam etiam officiorum ac munerum partem, quæ ipse gerit; cùm eos omnes socios vellet in nobili illo divinæ gloriæ promovendæ fine ac scopo. Et quia munerum, quæ ipsi ut Redemptori conveniunt, postremum non est; quòd sit *Sacerdos in æternùm*: eâ causâ communem aliquo modo cunctis esse voluit nobilem hunc titulum, eos omnes certâ quadam ratione suo cruore in sacro lavacro initians, id quod Beati Cælites grati agnoscunt, palámque iis vocibus profitentur: *Fecisti nos DEO nostro regnum & Sacerdotes.* Non solus igitur ille Sacerdos, quem Aræ admotum cernitis, Corporis Christi sacrosanctâ victimâ DEO litat: *Non solus Sacerdos sacrificat*, ait Guerricus; *sed cum ipso Fideles omnes sacrificant*; *sed totus Conventus fidelium, qui adstat, cum illo sacrificat.* Sacerdos ille, quem præsentes intuentur, Legati munere fungitur, tam communis totius Ecclesiæ, quàm singulorum fidelium, qui præsentes sunt, séque arbitrum ac sequestrum constituit cunctorum apud Sacerdotem illum, qui oculos fugit, quique est Christus ipse; cum hoc æterno Patri tam communi omnium, quàm particulari singulorum nomine offert totum illud abundantissimum Redemptionis humanæ pretium. Atque hac causâ Sacerdos Missam appellat Sacrificium suum, & aliorum præsentium: *Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat*: neque enim Altaris sacrificium privatus Sacerdotum, sed publicus omnium, qui illi adstant, thesaurus est ac ærarium.

Ps. 109.

Apoc. 5. 10.

Serm. de Purific.

XXIV. Quapropter vos quoque, Dilectissimi, vestro in ordine ac gradu Sacerdotes dici potestis: eâque causâ oportet vos, dum sacro adestis, divinam istam victimam offerre ad quatuor illos fines, de quibus supra est actum, ad DEUM scilicet honorandum, ejus iram mitigandam, gratias pro acceptis beneficiis agendas, & nova beneficia petenda. Quod cùm ita sit, cogitet quisque vestrûm, se, cùm in Ecclesiam ingreditur, servum illum esse debitorem decem millium talentorum, ad quem divina accedat Justitia, illíque verbis illis minimè mitibus, *Redde quod debes*, solutionem imperet. Hoc ubi audierit, procumbat in genua, & demissione quidem summa, sed non minore fiducia, sine mora respondeat: *Patientiam habe in me; & omnia reddam tibi.* Tantum mihi moræ, ô DEUS, indulge, quantùm satis est, ut Sacrum, cui adsto, peragatur, & modico hoc temporis intervallo reddam tibi, quidquid debeo. Debeo Majestati tuæ supremæ honorem ac reverentiam infinitam; & tamen bona, quæ habeo omnia, his nominibus delendis non sufficiunt. Scio, & confiteor; summam tamen istam ex vulneribus accipio Redemptoris mei. *Quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei.* Id quod facit Christus in ara illa, id ipsum & ego facere paratus sum: cum ipso me abjicio, cum ipso me in nihilum quodammodo redigo; cum ipso Patrem colo tam profundè, quàm demisse ille coli honoratíque meretur. Debeo pro noxis meis satisfactionem infinitam: ita est: Majestas, quàm offendi, summa est; mea offendentis conditio abjectissima: sed tamen: *omnia reddam tibi.* Offeram tibi donum, quod plus tibi honoris reddet, quàm peccatis meis abstulerim: unde necesse erit, ut omnem in me iram & indignationem ponas. Si enim ignovisti, cùm Regem Ninive demittentem se, abjicientemque cerneres, quomodo non ignosces, mox visurus abjectum coram te Regem Cæli, non cinere opertum, ut illum olim, sed eam in conditionem redactum, qualis est sacrificati, jugulati, mortui? *Vidi Agnum stantem tanquam occisum.* Sit licèt ira tua similis Leoni horribili, non tamen formido. Etiam Leones, fame omni expletâ, non nocent; quare quamdiu non renuis è manibus nostris victimam hanc accipere, tutus omnino mihi videbor. Gratias tibi debeo infinitas: sponte fateor: Beneficiis, quæ modum & finem nullum habent, non nisi gratitudine infinita rectè respondetur. Sed tantillum moræ indulge, & novissimum quadrantem expungam: *Omnia reddam tibi.* Offeram enim tibi Sacerdotis manu calicem JESU: *Calicem salutaris accipiam*, & cùm rationes debiti datíque inierimus, inveniemus, quod ego dedi, omnes opes possibiles pretio & valore adæ-

Matth. 18. 26.

Apoc. 5.

Bern. ser. 61. in Cant.

adæquare, & omnia dona, quibus identidem me cumulas, quæque in sinum meum effundis. Tandem ope tua ac beneficiis summè indigeo, & tamen meriti in me agnosco nihil, quo tam necessarios mihi favores conciliem. Reddam tamen etiam hîc quantum debeo, ut rogem te fidenter, & rationem inveniam, quâ repulsam non patiar, sistendo me oculis tuis indutum vestibus fratris mei Primogeniti. JEsu Christi, sicque, si non aliud, benedictionem saltem mihi nullo titulo debitam, extorquebo. Mea est illa victima, meâ illa merita bona, meus ille sanguis: *Parvulus datus est nobis.* Unde sicut hæc recipere & repudiare non potes, ita neque me, eorum nomine supplicem, repellere potes, ac repudiare.

XXV. Hæc hisque similia oportet animi vestri sensa esse, ut magno illi Offerentium muneri, sicut par est, respondeatis; sic cum ipso Sacerdote operam vestram in tremendo illo Mysterio peragendo conjungentes. Sed, quod dolendum. Christianorum in animis tam languet Fides, ut minore externi internique hominis compositione sacrificanti adsint, quàm si lapidi aut ligno thus adolerent. *Qui recordatur thuris, quasi qui benedicat Idolo,* de nobis dicere potest attonitus Propheta. Longa non paucis est omnis mora, quæ in Sacro peragendo ducitur, perinde ac si nullum aliud tempus tam sine commodo abeat, quàm quo Sacrum auditur, videntúrque & ipsi cum Scribis illud Christo ingeminare; *Descende de Cruce.* Age, festina, alia nos manent negotia; labores domestici, mercimonia, agri, jumenta tantam moram non ferunt. Quin, quod deterius est, nonnulli tam nullo ipsi devoti animi sensu perfunduntur, ut aliis quoque impedimento sint, garriando, etiam alta voce, corridendo, varia offendicula præbendo. Feminæ sic exultæ adventant, tanquam sic ad locum choreis & saltibus dest natum properarent: viri adsunt ut videant, ut ad amores provocent, ut mutua illa dilectarum sibi studia foveant ac nutriant, præferendo hac ratione infame & probrosum obscœnitatis convivium, quod parte una ab Orco ipsis paratum est, Convivio illi sacerrimo ac divinissimo, quod parte altera Christus in Ara instruxit. Ita nimirum ætate hac nostrâ illacrymantur multi memoriæ cruciatuum ac Mortis Servatoris nostri, non jam fideles, sed perfidi & impii. Sic miseri adstant operi illi supremo mortis Servatoris sui, quod mysticè quidem, sed re ipsa in Missæ Sacrificio nobis denuo exhibetur. Sic iratum DEUM mitigamus; sic illi offenso satisfacimus! Heu Mundum cæcum ac stolidum! hîc enim, dum agitur opus operum omnium Maximum, quod agi in terris possit, dum cæli cives omnes amoris & admirationis in extasin rapiuntur, dum infernū ipsum

Ps. 66. 3.

Luc. 24.

horror ac tremor occupat ; dum peragitur Mysterium , quo augustius Catholica Religio nullum habet , dum DEUS ipse se ipso litat SS. Trinitati ad supremam ejus excellentiam agnoscendam , ipse inquam incredulus, ignorans, oberrat oculis, ridet, fabulatur , tam liberè , támque nullo respectu, ut medio in foro in turbâ otiosorum stare videatur. Ubi tandem gratiam ac veniam peccatis tam enormibus , tam debitæ observantiæ repugnantibus inveniemus ? *Jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Si aliàs peccabimus , sperare poterimus veniam Sacrificii tempore obtinendam ; sed si hoc ipso Sacri peragendi tempore delinquemus, ubi inveniemus & quando , quo expiemus admissa ? quò recurremus ? quis nos proteget ? Discamus igitur sic Sacris nostris interesse , ut omni ex parte & ad amussim fungamur officio tam Assistentium , quàm Offerentium , ut dicebam , ut tandem illius Gloriæ , quam nunc in Altari velatam adoramus , capaces redditi , illâ per omne deinceps ævum fruamur in Cælo , non jam velatâ , sed clara & aspectabili , *in splendoribus Sanctorum* , quò si unquam DEO miserante pervenero , neminem unum ex omni hoc numero ibi velim desiderari.

Hebr. 26.

* * *



DISCUR-

DISCURSUS XIII.

De necessaria Liberorum Educatione.

CUm hodie curæ vestræ commendaturus sim rem, quam habetis omnium carissimam, liberos, inquam, vestros, tempus omnino me perditurum existimarem, si probare contenderem; vos ad rectam eorum educationem esse obligatos. Natura ipsa, cui tantopere utilissima hæc educatio cordi est, ut non aliâ magìs causâ perpetuum esse voluerit conjugii vinculum, ipsa, inquam, Natura documentum hoc Parentum omnium animis profundissimè inscripsit; quòd si dederunt liberis ut essent, id agere etiam debeant, ut boni sint, custodiendo illos à periculis peccandi, corrigendo cùm delinquunt, & tam salutarium hortationum, quàm rectorum exemplorum vi impediendo, ne pravi fiant. Quomodo igitur ferri potest inexplicabilis socordia, quâ non pauci hodie obligationem tam gravem penitus negligunt, cùm hæc non cum Fidei tantùm & Rationis sed ipsius adeò Naturæ principiis tantopere pugnet? Sinite igitur, ut siquis vestrûm fortassis est, qui dormiat somnum tam profundum, támque noxium, illum excitem, demonstrando; Parentes planè omnes, qui educationem hanc laude dignissimam negligunt, crudeles & atroces esse in se ipsos æquè, ac in suos; & veluti ancipiti gladio, ictu uno plagas geminas infligere, unam saluti suæ propriæ, alteram saluti eorum, quos genuerunt. Si unquam linguam desideravi igneam, illam hodie desidero; cuperem enim insculpere veritatem istam tam necessariam, non in eorum duntaxat, qui mollis instar ceræ ad recipiendam etiam à frigente sigillo figuram maximè idonei sunt, sed in illorum quoque animis, qui durissimo quovis ligno contumaciores non nisi candenti ferro cedunt.

I.

II. Primò igitur assero, ex rectâ educatione boni plurimum in ipsos liberos derivari. Affirmant hanc assertionem meam, non divinæ tantùm, sed humanæ etiam literæ; id quod argumento est, esse longè certissimam atque evidentissimam. Sapientes inter homines sibi persuaserunt; sine solicitâ hac liberos rectè educandi curâ vanas esse omnes leges, decreta nihil profutura, documenta fore inutilia; ipsam autem solam sine aliis præceptis ac legibus sufficere

Plat. l. 4. de Leg.

sufficere ad continendos in officio Populos. Hinc Lacedæmonij, à Lycurgo, quo celebrior inter antiquos, Legislatores alter non fuit, edocti, tam constanter rei hujus momenta æstimârunt, ut cùm liberi deliquissent, non hos, sed Parentes eorum ad pœnam vocarent. Unde præter alia ejusrei exempla aliquando duos Parentes magno ære mulctârunt, propterea quòd eorum filii inter se in rixâ ad manus venissent; excusando Adolescentes ob ætatis illius incogitantiam; senes verò ob neglectum educationis officium acculando. Tam vixum eorum animis erat, à vigili Majorum oculo ac curâ, tanquam â radice, omnem Minorum felicitatem, aut calamitatem nasci ac generari.

Plutarch. in Lacon.

Eccli 30

Prov 13.

III. Ipsam hanc veritatem majori deinceps authoritate Sanctus Spiritus divinis in literis iterum iterumque inculcavit: adeò, ut nisi studiosâ malitiâ luci claudere oculos malimus, necesse sit fateri, cùm à rectâ Juventutis educatione ejus salus pendeat, hanc scilicet rotam illam esse primam atque præcipuam, à qua motus omnis familiæ bene constitutæ initium ducat. Nec multum dixi, dum hac à curâ & liberorum, & familiarum salutem præcipuè pendere dixi; debebam dicere, inde pendere unicè. Ita DEUS ipse censuit, familiariter cum carâ sibi quadam Animâ locutus. Exedebat illam Sanctus dolor, dum perpendebat Christianorum hujus ætatis mores

Eccl. 7.

Lud. Carb. lib. de Doctr. Christ.

conscelerates; & DEUM identidem cum lacrymis rogabat, dignaretur eos ad illam morum honestatem ac sanctimoniam reducere, quæ primis ortæ Christianæ Religionis seculis floruit. Ad solatii aliquid mœstæ afferendum apparens illi CHristus pomum monstravit putridum, cum dicto: Difficile est pomo huic gratiam reddere ac venustatem: quam habuit, cùm matureseceret: facilius proinerit, seminis, quæ continet, grana terræ committere, q æ suo dein tempore maturos ac salubres fructus progerminent. Intellexit hoc facto Animailla, emendationis morum studiosissima; aliter illam rectius sperari non posse, quàm si educationi teneræ ætatis seria opera impenderetur: ex hoc enim totos passim Populos meliores futuros. Certum est, Sapientissimos Synodi Tridentinæ Patres, post multas ac longas deliberationes, quibus inter se de moribus Christianæ Reipublicæ corrigendæ, quod tantis studiis desiderabatur, egerant, medium fini huic obtinendo utilius non invenisse, quàm rectam ætatis teneræ institutionem; id quod verbis gravissimis in ipsis Concilii Actis declarârunt. Quare parùm abest, quin dicam, & Concionatores, & Confessarios, & Parochos oleum & operam perdituros propè omnem, nisi Patresfamilias rem etiam adjuvent: ab his enim magis, quàm à quibuscunque aliis, aut salus, aut exitium liberorum pendet sempiternum.

IV. Au-

IV. Authoritati summæ, quâ hactenus assertionem meam stabilivi, accedunt rationes duæ, quæ eandem faciunt manifestissimam. Prima est, quòd à primis annis bonum & honestum sequi sit facillimum: altera, quòd ætas adultior illud cum summa difficultate consectetur. A prima ordiamur; Statuæ alicujus perfectio unde pendet? pendet magnopere à primis scalpri ictibus, & lineamentis rudem in materiam inductis. Est autem ætas Juvenum saxi instar, è quo statua effingenda sit, apta ad admittendos ductus omnes vitiorum, aut virtutum, qui primis ictibus inducantur; & authoritas illa, quâ Parentes erga liberos natura ipsa instruxit, id efficit, ut hortationes auditæ, exempla oculis usurpata, longè efficacissimè influant in bonum perinde, ac malum. Eam ob rem tantum potestatis DEUS contulit Parentibus increpandi & castigandi, ne quidquam hi præterexere excusationis possint, si ab honesti semita Liberi devient: haud aliter ac Ducibus Exercituum, ne quid & ipsi prætexere, & in alios culpam conjicere possint, jus ac potestas plena & independens in milites concedi solet. Si cui vestrûm beata hæc sors obtigit, ut rectè honestéque educaretur, nullo non die gratias DEO agat, quia id ab eo raro postulat: absque hac enim educatione foret, vero est longè simillimum, nullam indolis propensionem ad bonum quidquam fuisse profecturam. Nullius plantæ indoles dulcior, quàm vitis: inventus tamen modus est, quo radicibus veneno infectis hæc quoque venenatas uvas progignat. E diverso, lacte semina emollite, & experientia vos docebit, suaviores semper inde fructus nascituros. E re foret, vesperi, cùm omnis familia congregata est, crebrò repetere pulcherrima illa Sancti Senis Tobiæ verba, quæ mox referam. Prô quàm dulcis lactis loco illa forent! disertè pronuntio, multos etiam, & seros post annos suavitatem eam in moribus ipsorum se profituram: *Omnibus*, ajebat ad filium, *diebus vita tua in mente habente Deum: & cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri*; aut omittendo bona, quæ præcipit; aut perpetrando mala, quæ vetat. *Omni tempore benedic Deum: & pete ab eo ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando feceris alteri. Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere, ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo poteris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum, etiam exiguum libenter impertiri studе*: animus suppleat, quod marsupio defuerit. Fuge periculosum pravorum consortium, & in cunctis negotiis tuis *consilium semper à Sapiente perquire*, qui si ad manũ tibi non fuerit, etiam ex longinquo illum consule. Hæc erant optimi illius Patris sensa, quæ vel dum vobis recito, lacrymas ægrè teneo: & si ejusce generis documenta atque monita

Theophr. de plant. l. 2. c. 19.

Tob. 4.

identidem in familiis Christianorum audirentur, ò quàm faciem suam non multorum annorum spatio Orbis Christianus mutaret! Regnaret in domibus singulis Pax, non discordia: Templa forent locus Orationis, non garrulitatis; & verbo, Christiani futuri essent Christiani, pleni inquam amore mutuo ac caritate, pleni observantiâ & reverentiâ erga communem Dominum. At si liberi pro eo, quòd ejusmodi documenta audiant, sicque instituantur, ex Parentum ore audiant verba, quæ vel Mahometi sectatorem, aut Atheum aliquem dedecerent; mirúmne esse potest, si vitam eorum magis bestiæ, quàm hominis vitam esse inveniamus? Plantæ istæ venenum ipsis in radicibus imbiberunt; sperari aliud non potest, quàm ut fructus ex iis nascantur venenati. *Surius in vita.* Wenceslaum observate & Boleslaum, Boemiæ Duces, fratres Germanos. Ille, quia ab Avia Ludmilla, femina Sanctissima, educatus fuit, evasit & ipse Sanctus: hunc quia à teneris instituit Mater Drahomira, mulier conscelerati ssima, tam & ipse in scelerum palæstra profecit insigniter, ut vel fratrem parricidali ferro mactaret. Videmus nonnunquam hominem Indole optima moribus esse depravatissimis, & in publicum exemplo noxiis: qui ejus rei causam ad unguem exquireret, domi illam inveniret, in qua is est educatus. Ibi, quæ vidit mala, & quæ non audivit bona, fecerunt, ut indoles præclara in mores corruptissimos degeneraret: sic & tellus malè culta pro hordeo avenam, pro tritico siliginem, quin & infelix lolium quandoque gignit. *Matthiol. in Praf. Dioscor.*

V. Multum proinde dixit, qui Matrem dimidium liberorum dixit: *Dimidium filiorum est Mater*: nec tamen satis dixit; sæpe enim non dimidium tantùm, sed plus, & propè totum est. Cùm rumor percrebuerit de filiâ, plenum dedecoris facinus ausâ, nemo jam culpam omnem in filiam conjiciat? prò quantum in ea Mater habet? si hæc pro eo, quòd omnes illam ad saltus & choreas duceret, vultum aquis odoriferis ablueret, januam domestico Dæmoni, personam amantis induto, aperiret, à primis mox illi annis sedulò instillâsset odium peccati, ignominiæ metum, publici fugam, cautam agendi rationem, pietatem in Superos; si eam docuisset non crispare capillos, sed animum confessione ritè expiare; non arridere transeuntibus ex fenestra, sed manè ac vesperi DEI Matris opem implorare, an creditis ita turpiter fuisse lapsuram? Non nascuntur scorpioni chelæ, cùm mordet: jam ante ijs armatus erat. Quisquámne sibi persuadet, prava hæc in publicum exempla tùm cœpisse, cùm proruperunt? non unus sæpe annus abit inter tam probrosorum facinorum meditamenta & apparatum; & nemo monet: tùm solùm, cùm ignem jam concepit cuniculus, ad fragorem illum *Arist. l. Politic.*

Illum cohorrescit mater, pater evigilat, & uterque eum proditorem appellat, qui tantum dedecus in familiam intulit, & agnatos omnes turbavit, atque aliorum ludibrio exposuit. Si autem ille perfidus est ac proditor, cur, cùm nocturna accederet ad conventicula, tam festivè illi plaudebatis, tam excipiebatis hilariter? Quare cùm familiaritatem non optimam parabat deserere, non tantùm eam ad rem non juvistis, sed studiosè impedivistis etiam, ac retinuistis? Ingemiscite modò & flete; sed alios à me quærite, qui vestras vices doleant: ego bonâ vestrâ veniâ, ne si velim quidem, facere id possum; cùm videam vosmet ad securim illam, quâ afflictæ prostratæque res vestræ sunt, manubrium aptâsse. Qui nunc clamores, qui strepitus post casum! minore sanè impendio ille caveri poterat. Disertè pronuntio, filios vestros ac filias tales semper fore, quales illos vultis, Deúmque plus minúsve collaturum gratiæ, ut boni sint, prout magis minúsve ardens vestrum in ijs educandis studium fuerit. Observate modum, quem olitor tenet in aquis ad rigandas horti sui plantas derivandis; canalem initio, seu fossulam excavat, per quam illæ decurrant. Idem vos institutum tenete: vestrâ paranda industriâ est divinæ gratiæ via; eáque non minore curâ, quàm copiâ in Liberorum vestrorum animos derivanda. Et verò, qui in Ecclesiasticis factis hospes non est, meminerit se legisse, Matres illas, quæ sedulò in id incuberunt, ut Sanctos Deóque quàm maximè charos haberent liberos, tales eos etiam effecisse. Mater S. Clementis Ancyrani filium suum Martyrem desiderabat à teneris annis, eâque causâ identidem ei narrabat certamina aliorum inclitorum Martyrum; ac triumphos; & Martyrem tandem, & ipsum celeberrimum, habuit. Mater S. Ludovici Galliarum Regis optabat unicè, ne ullâ graviore noxâ filius Deum offenderet; & idcirco cùm ad somnum capiendum abituro bene precaretur, inculcabat identidem: Fili, mortuum te his in brachiis videre mallem, quàm lethali noxâ obstrictum: & habuit quem voluit, inter Regni florentissimi, quale erat Galliarum, pericula, ac illecebras innocentem. S. Edmundi Mater & ipsa virginem cupiebat filium suum, & talem ut haberet, lineæ, quam ipsi mittebat, suppellectili & vestibus, dum literis operam dabat, adjungebat nunc flagra, nunc vestem aut cingula setosa; obtinuit autem & ipsa Virginem in paucis illustrem. Et sic aliæ identidem aliæque extitêre Matres prudentes; quas singulas enarrare longum foret, quibus beata ejusmodi sors obtigit: DEUS enim sanctos earum fines promovebat; conatus, subministratis opportunis auxiliis, adjuvabat; cælestísque suæ gratiæ dona tantâ mensurâ ac copiâ communicabat, quàm ampli ac capaces erant sulci, quos ipsæ effoderent. Atque adeò hinc rectè arguo, vestras de liberis

liberis vestris querelas, querelas esse de vobis ipsis; tales enim filii vestri erunt, quales vos tandem illos sedulâ educatione effeceritis.

VI. Ut autem evadant ita boni, necesse est maturè ordiri; priùs nimirum, quàm aridum jam durúmque sit lutum; quàm enim est facile initio, & ab annis illis, in omnem partem cereis flecti, bonos reddere, tam id difficulter obtinetur, cùm jam obduruêre. Atque hæc altera est, quam proposui, ratio, ut vestris animis insculperem emolumenta, imò necessitatem, educationis salutaris. *Filii tibi sunt*, DEI verba sunt, *erudi illos & curva illos à pueritia.* Aliquot post annos agnoscunt non rarò parentes, etiam magno malo suo, quàm noxia toti familiæ fuerit negligentia, quâ usi sunt, eámque emendare, sed serò nimis, desiderant. *Curva illos à pueritia.* Ubi occalluerint, omnis jam disciplinæ intolerantes erunt: si reprehendere voletis, ipsi respondebunt duriùs: si increpare vehementiùs, ipsi vix, ac ne vix quidem manus à vobis abstinebunt; sic ut miser Pater, misera Mater, majori malo cavendo, sibi ipsis attendere debeant. Atque hic est insignis ille fructus negligentiæ in educando, quâ factum est, ut malo remedium jam nullum superet. Et ingemiscant subinde, acerbéque doleant quòd liberos tam immorigeros experiantur! Canem culinæ, patinis & ollis assuefacitis; & conquerimini deinde, quòd à venatione abhorreat; aut ad eam ineptus sit. Cui id imputandum? si suo illum tempore alligasseris catenæ, si sicco paviſſetis pane, nec feras consectandi aviditatem, nec eas odoratu pervestigandi vim perdidisset. Refert S. Basilius, obtinuisse olim consuetudinem, ut liberorum, cùm tertium annum explessent, statura exploraretur, ut inde conjectura desumeretur, ad quem magnitudinis terminum grandiores essent perventuri: experientiâ enim compertum est, parvulum trimum tertiam habere staturæ partem, ad quam olim vir excresceret. Videor mihi non aberraturus à vero in divinandâ mensura, non staturæ corporis, sed morum malitiæ, si simili conjecturâ uterer, & viso filiolo inobediente, nullâ in superos, nullâ in Majores reverentiâ ac pietate, & insignitè nequam; nullo errandi metu pronuntiarem; triplo nequiorem, frenique magìs impatientem fore Juvenem, quàm nunc sit puer, aut adolescens. Liberaret me mentiendi, fallendíve periculo Spiritus ipse Sanctus, qui non Juventutis tantùm, sed & ætatis decrepitæ prognosticum desumit ex adolescentia. *Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Avertat bonus DEUS; ne liberi vestri à teneris assuescant vitiis: plerumque Juvenes deteriores erunt, &, quod pessimum est, ne senes quidem á se ipsis alij evadent: Montium eorum instar, qui sinu suo ignes fovent, qui, quantumcunque multa nive hiemis tempore undique obtegantur, non mi-

Eccl. 7. 27.

Hom. 10. in Hexa.

Prov. 22, 6.

minùs tamen intus flagrant, quàm in mediis caniculæ æstibus flagrârint. Nimis quàm rarum, ac arduum est, ut vitia, quæ nobiscum à cunis creverunt, nobis præmoriantur. Id ferme usuvenit, ut altiùs penetrent, & duris nostris ossibus pro medulla sint, nec nisi cum frigido cadavere tumulo inferantur. *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient.* Job. 20. 11.

VII. Heu miseros Parentes, qui tam grave malum tam parùm curant occupare; & miserandos liberos, quibus obtingunt Parentes tam ignavi! Nulla non Eclipsis naturæ noxia est; aliæ tamen aliter nocent: nulla autem illa nocentior, quâ Sol primo mane à Luna obtegitur. Non aliter omnis quidem noxa gravis, quæ DEUM nobis aufert, nocet gravissimè, quis neget? nulla tamen dici potest detrimenti plus afferre, quàm illa, quæ in prima ætate admittitur, in iis, qui sibi ejusmodi culpas familiares reddunt. O Eclipsin funestam! in seros annos sua damna prorogat, *cum eo in pulvere dormient.* Quare cùm quis vestrûm audierit amicum de liberis suis conquerentem, ex eo id quærat, quod Christus Servator ex infelici illo Patre, cujus meminit S. Marcus; & non errabit. Duxerat is filium suum energumenum ad Apostolos, ut potestate, à Christo in ipsos collatâ, ejicerent possessione suâ malum genium: sed frustra id fuit: Dæmon, præter morem, tunc vicit, nec loco cessit. Parens proinde tum, quàm unquam antea, mœstior ad Christum recurrit, & opem infimis precibus postulavit. Et, à quo tempore, quæsivit hic, nequam Spiritus filio tuo infestus est? *Ab infantiâ*, respondit Parens. Itane ab infantiâ? ô nuntium infaustum! Sed sistamus nos hic, & investigemus, quâ causâ Christus id interrogavit, quod eum minimè latebat: hoc ipsum responsum manifestat: voluit enim, ut qui gratiam supplex petebat, ex antiqui & inveterati mali magnitudine, magnitudinem disceret prodigii, quo ad illud persanandum opus erat. Quare vos etiam cùm queritur Parens aliquis, filium in blasphemas voces prorumpere; id agite: quærite ex eo, à quanto tempore protervus ille ejusce sortis Dæmonem secum circumferat, qui linguæ hominis Christiani voces ejusmodi suggerat, quibus magis impiæ vix Luciferi in regno audiantur? si reposuerit: *ab infantiâ*: à primis inde annis vocibus tam sacrilegis assuevit: suadete, quæso, mœsto Parenti, ut ad Christum opem rogaturus se conferat; nec enim vir ullus Religiosus suis Concionibus, non sacer Arbiter monitis non hortationibus, aut aliis remediis Curio, quidquam in eo curando proficient. Si Matrũ harum aliqua queratur; filiam suam effrontem esse; sermonibus pessimis ansam præbere; gravem ignominiam familiæ accersere; fateatur autem, non tunc recens natum malum, sed *ab infantia* traxisse originem, jam pridem amâsse, spectare & spectari è fenestris, jocari cum adolescentibus, solam cum solis versari, cùm id clam & insciâ Matre fieri poterat.

Hom. 10. in Hexa.

Prov. 22, 6.

Marci, 9.

Prol. prædict. l. 1. c. 7.

O te infelicem, reponite, doleo vices tuas! malo tamen tuo remedium in terris non supperit; in cælo illud quære; à DEO opem postula; Matris Virginis implora patrocinium: stipem in pauperes eroga, jejuna, ora, promitte DEO, quæ speres placitura: id nî fiat, Stygius hic lasciviæ Genius cruciabit filiam hanc tuam non tantùm Juvenculam; sed cùm Marito nupserit, vim ac impetum geminabit: & si misera eò usque vitam produxerit, ut ipsa jam famulari suo corpore Stygi non possit, internuntiam agere volet; domi suæ teget infanda flagitia; faciétque ut habeant, ubi sine interpellatoribus alij precent, ut horum saltem in personâ rem gratam Orco faciat. *Ab infantiâ.* Quotidiana experientia in bono perinde ac malo affirmat illud Jurisperitorum axioma: Principium plus semper esse, quàm principium; sæpe bonam totius partem esse, & tantùm non ipsum totum. *Cujusque rei potissima pars, principium est.* Fidâ proinde memoriâ tenete, quidquid hactenus inculcavi. Si salutem eorum amatis, quos genuistis, id ante omnia agite, ut sic eos educetis, sicut oportet; agite autem hoc maturè, idque ob duplicem hactenus explicatam causam: primò quidem, quia facile est id obtinere, cùm tempori incipitur: deinde verò, quia mora omnis noxia est, & obtineri jam nullo modo potest, quod suo tempore fuit neglectum,

L. Faturus. ff. de Orig. Juris.

II.

VIII. Quod si quis vestrûm adeò omnem exuisset humanitatem, ut primum istud vulnus, quo liberorum suorum Animas pravâ educatione vulnerat, sentiret parum, ad alterum saltem, quod priore haudquaquam minus est, animum advertat, quo se ipsum lædit: atque ita omni ex parte rebus suis invigilet. An enim est quispiam, qui sibi persuadeat, fieri difficulter posse, ut, quemadmodum non pauci filii Parentum suorum noxas in Inferno luunt, ita & Parentes plurimi luant noxas suorum filiorum? Nimis quàm pronum est id accidere; atque utinam rarò accidat! Reſipuerat Florentiæ infamis mulierecula, cui Benedicta nomen: hæc aliquando aſpectabilem DEI Matrem habuit, ut in bene cœptis firmaretur, & hæc ab ea audiit. Repura animo, filia, quàm benefica in te fuerit DEI miseratio, quæ te retraxit à flammis inferni, in quas præ multis digna eras agi, & permittit, ut in eas præcipites ruant, qui paucioribus, quàm tu, flagitiis sunt obnoxii. Hac ipsâ nocte Florentiæ quaterni morientur, & æternis addicentur suppliciis. Suis etiam singulos nominibus expressit, indicavítque, quæ exitij eorum futura esset causa: has inter nominavit infelicem Patrem, qui rogo illi erat addicendus ob neglectam liberorum suorum curam. Quid jam vobis videtur, an rara sunt ob neglectam educationem æternùm pereuntium

Lib. Mirac. SS. Rosar.

tium exempla, si quaternos inter hujus noxæ reus unus est! Neque causam assequi arduum est. Gemino ex capite censeo facile esse, ut multi Patres, multæ Matres æternùm pereant: primò, ob peccata à liberis eorum admissa; secundò ob peccata, quæ ipsi liberorum causâ admiserunt. Et quia non pauca peccatorum ejusmodi occulta sunt, tanto gravius est periculum, propterea, quòd hoc ipso vix ulla eorum habeatur ratio; nemo de illis coram Sacerdote se accusat, nemo illa detestetur, multóque minus seriò illa emendet. Quare, ne muneri meo desim, vestræ salutis promovendæ studio texam hîc catalogum bene longum, primæ perinde, ac secundæ sortis peccatorum, ipsum rerum ordinem secutus.

IX. Quod igitur ad peccata spectat, quæ filiorum gratiâ & occasione Parentes admittunt, contingit non rarò, ut hæc ipsos etiam liberos prævertant. Primum, quod stulta illa Puella, dum nubit, sibi propositum habet, est, ne liberos pariat; & quamvis hoc animi decretum planè perversum sit, crescit tamen semper cum tempore; vel quia familia plus, quàm vellet, aucta est; aut quia pariendi difficultate sæpius jam ab ultima vitæ lineâ parùm abfuit. An liberos non vis? cur igitur, cùm hic sit princeps conjugii finis, nubere voluisti? si Mater tua & ipsa sic delirâsset, quomodo tu nata esses? Itáne igitur Turcarum, aliorúmque Infidelium conjuges non desinent proles innumeras gignere, quibus Infernus impleatur, Matres autem Christianorum effætæ nullam Cælo sobolem gignent? Terrent te dolores partûs, & non magìs terret te pudenda peccati tui fœditas, quod Tertullianus existimavit genus homicidij tanto atrocioris, quantò magis festinati? *Homicidij festinatio est, prohibere nasci: nec refert, natam quis eripiat vitam, an disturbet nascentem.* Apol. c. 35 An terrent te difficultates educandi partum, quem genuisti, & non magìs vires suggerit spes animam cælo lucrandi? Quis unquam Agricola tam insanivit, ut metendi laborem, manipulorum pinguium & messis ubertate compensatam non existimaret? Pessimum autem est, quod nonnunquam viri quoque non minùs desipiant; in quibus perturbationis vis adeò vel ipsas ijs ingenitas à naturâ veritates pervertit, ut plane væcordes reddat. Insevit natura Parentum animis ingens & vivum prolis desiderium, quæ meritò & flos thalami conjugalis, & fructus amoris mutui, quo se Conjuges complectuntur, potest appellari. Hoc autem non obstante, fit materia timoris, quod spei esse debeat, & non pauci, vilissimo timore adacti, sponte renuntiant privilegio supervivendi in posteris, & vel post mortem in filijs à se progenitis sese conservandi. *Mortuus est Pater, & quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se.* Eccli. 30. 4.

X. Quis deinde explicet flagitia, quæ

quæ conjuges excogitant, ut assequantur, quod propositum habent, ut inquam, familiam (sic enim loquuntur) non evertant sobole plus æquo numerosâ? satis sit dixisse, abominanda, quæ eâ causâ patrant, facinora, vel ipsis bestiis ignota esse: unde homo, qui, phrasi loquendi SS. Literarum, similem se facit jumento insipienti, his flagitiis equos effrenes & omne aliud magis indomitum bestiarum genus superat. Ponite deinde, Matrem illam fœtum concipere; tum illa haud secus, ac si utero circumferret pondus inutile, & non Animam rationalem, nullo satis pretio æstimabilem, nulli non periculo se exponit, nullum laborem devitat, &, ne devitet, etiam nequam Maritus imperat. Atque ex hoc hominum genere nonnulli tam nihil hominis habent, ut uxorem gravidam verberibus malè mulctare non vereantur. Sanctus Cyprianus aliis Novati Hæresiarchæ flagitijs etiam istud annumerat, quòd uxorem calcis ictu abortire fecerit. Et verò tam indignè tulit vir Sanctus atrox hoc facinus, ut illud non levius duceret eorum scelere, qui Diis immolârant, & pedem, tam immane ac barbarum flagitium ausum, magis consceleratum pronunciaret, quàm illas manus, quæ metu adactæ Idolis thus adoleverant? quarum tamen manuum crimen Novatus ipse nullis expiari lacrymis, nullo quantumvis serio perfectóque dolore purgari posse affirmabat; *Et damnare nunc audet sacrificantium manus, cùm sit ipse nocentior pedibus, quibus filius, qui nascebatur, occisus est.*

Eph 8. v. 2.

XI. Progrediamur porro, & cogitemus fœtum nasci: non hîc peccatorum finis, sed initium est. Multæ siquidem Matres, ad evitandas, quæ in sedula educatione exantlandæ sunt, molestias, eodem cum tenellis infantibus lecto accumbunt; quo fit, ut subinde illi à dormientibus opprimantur; aut uberibus tamdiu admotos retinent, donec ipsâ lactis copiâ suffocentur. Nec nulla Maritorum eo in genere culpa est; Hi enim nec uxores talia factitantes seriò corrigunt, nec, quo par est, verborum pondere admonent; nec advertunt, etsi re ipsa soboles aliquando non præfocetur, id tamen incogitantiam hanc non satis purgare; sed hoc ipsum potiùs, quòd nullâ necessitate, nullâ verâ causâ tali discrimini se & fœtum exponant, argumento luculento esse, non paucos è Christianis progenitores exiguo DEI offendendi metu teneri; cùm in vitæ à se electæ conditione, voluptates tantùm & commoda consectentur, ejus tamen onera ferre recusent.

XII. Crescit exinde soboles, & ex infantia eluctatur; cùm illam Mater secum in Templum ad rem divinam defert, & ipsi præcipuè Matri, & aliis inter preces impedimento futuram, Totum rei divinæ peragendæ tempus impendit illi componendæ, blanditiis delinitendæ, arridendo, corollâ præcatoriâ strepitum ciendo; eo scilicet

ejus noctu alienis ex vineis auferunt aliqua, & partem eorum domum afferunt, quid agit? Quid agit, cùm pecora illi, aliena magis quàm sua in prata agunt, ibíque saginant? An verbis eos, ut decet, castigat? An verberibus, an virgis in eos animadvertit? an verò putidè dissimulat omnia, perinde ac si non videret? Qui connivet, parùm se purgat, cùm dicit; Non furor: furum enim supplicio mactabitur ab eo, qui fures non ex manibus solùm, sed & ex animo & voluntate dignoscit. Sic etiam alius ipsemet non blasphemat, ita est: cur autem cùm blasphemiis tam horrendis filius ejus auram incestat, verberibus eum egregiè non mulctat; aut domo saltem suâ non expellit? An pœnæ genus nimis crudele suadeo? Quàm multi interim Parentes domo filios ejecerunt, propterea quòd invitis ipsis puellam aliquam in conjugem adoptâssent; sic ut subinde eos omni etiam patrimonio spoliarent, hæreditatis jure in alios translato, & indignatione ultra vitæ dies prorogatâ? Quis Parentem mihi dabit, qui tam severè in filium blasphemum animadverterit?

XVII. Atque ita exemplæ vobis aliqua enarrata videtis, in quibus ut filiorum noxæ in Parentes redundant: ita nec ab eorum pœnis poterunt esse eximii. Nec verò queri de DEO potestis, tanquam nimis severo ac rigido; cùm & vos non dissimilem sententiam contra alios identidem pronuntietis. Cùm horologium horas malè indicat, statim in hujusmodi verba prorumpitis: Quid agit tandem, cui horologii cura commissa est? cur pulveres, & quæ adhæresunt sordes crebriùs ac diligentiùs non abstergit, ut rectè ambulet; cur istud constanter non ita dirigit disponítque, ne tam fœdè aberret? In re autem nostra, cùm puerum videtis distortis cruribus; quid egit tandem, mox dicitis, mater, cur filium tenellum etiamnum non ita strinxit fasciis, ne vitium tibiæ traherent? cùm verò balbutientem aliquem auditis filiolum; ut quid, subirati exprobratis, tam ignava fuit obstetrix, ut linguam non sicut oportebat solveret? Non disparem sententiam feret Judex ille supremus, cùm ad tribunal vos suum evocabit. Cùm filiam audierit tam non verecundam modestámque in loquendo, ut vel conjugatis aliis ruborem excutiat, dicet nimirum Judex: Quid egit tandem hujus filiæ mater, ut eam sic loqui non doceret, prout virginem decet? cur permisit, ut verbis assueseeret vel meretrîciæ linguæ pudendis? Cùm verò Juvenem aliquem dissolutum viderit, tam fœdè distortis in via DEI gressibus incedere, ut ne uni quidem DEI mandato obtemperet, dicet: Cur Pater tam pensi non habuit, ut filium hunc tenerum doceret formare gressus in calle Mandatorum DEI; cur non ad crebrum Divinorum Myste-

rlorum usum adhortatus est? cur non timorem DEI tenello instillavit? cur non crebriùs ad focum, quæ pro concione audierat, quàm inania fabularum commenta recensuit? Ad hæc autem. AA. Dilectissimi, quid tandem reponetis? jam nunc, quæso, hac de re cogitate, vos, inquam, qui cùm liberorum aliquis figlinum mensæ orbem frangeret, totam clamoribus viciniam replebatis; cùm autem filia turpi se flagitio contaminaret, tam non dolebatis, ut excusaretis etiam, cum dicto: *Juvenis est: sic hujus ætatis fert genius.* Altè in animum descendat oportet illud Oratoris aurei: *Magnum habemus depositum filios; ingenti illos servemus curâ.* Unde si non donum, sed depositum sunt, nobis reddenda erit ratio, si nostrâ socordiâ pereant: verè enim pars longè maxima, si non omnis earum, quas liberi admittunt, noxarum adscribenda est Parentum in iis educandis & corrigendis ignaviæ: haud aliter ac Medici potissimam abortuum causam esse asserunt, hiemes nimis mites & tepidas: *Hiems australis & clemens, facit abortus, vel partus morbosos.*

S. Chrys. hom. 9. in 1. ad Timoth.

Hippocr. de aëre & aquis.

XVIII. Evigilate igitur, Dilectissimi, & posito omni torpore, strenuè agite negotium tanti momenti, seu vos, seu liberos vestros spectetis. Cavete, ne tam perniciabili negligentiâ ingratum invisúmque ipsis reddatis, quod ceteroquin vobis debent, vitæ beneficium: & si vobis illorum vel commoda vel salus tantopere cordi non sunt, vestræ vos saltem salutis cura teneat, de qua non ob proprias magis, quàm alienas noxas vehementer periclitamini. Audite loquentem DEUM: *Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum suum.* Qui filium rectè educat, summum in furorem agit hostem suum, malum inquam Dæmonem; qui satis prospicit, duarum se eâ re animarum jacturam facere, Filij nimirum bene rectéque educati; Patris verò sapienter ac naviter educantis. Parens ejusmodi lætus volénsque hinc migrabit; sic enim pergit DEUS, *in obitu suo non est contristatus:* nec enim ex vano sperare poterit felicitatem sempiternam, tam propter bona, quæ fecit ipse, quàm ob ea, quæ fecit, ut fierent. Vos proinde, qui hactenus tam nullo numero habuistis peccata, quæ in liberorum educatione admittuntur, hinc pedem efferre ante non decet, quàm coram DEO palàm & sine fuco fateamini, esse hæc delicta haud sanè levis momenti, statuatísque ea seriò ac constanter emendare; id enim ni fiat, non dicam jam vos in præsentissimo salutis vestræ versari discrimine, sed de Anima vestra planè jam actum esse; cùm in oculis illa vestris præceps ruat, nec tamen ejus servandæ ulla vos cura ac studium tangat.

DISCURSUS XIV.

De magnis duobus peccatis, quæ in prædictâ Filiorum Educatione committuntur.

I. SI quando antiquæ Romæ tempore contingebat, ut canis ipsos, quos genuerat, catulos devoraret, totam urbem rumor commovebat, adeò, ut ceu gravissimo portento attonita, illico publica Sacrificia edicto Senatûs imperaret, quibus Deorum iram ac indignationem placaret. Quod si etiam inter Christianos fieret, quotiescunque Pater aut Mater naturalem in filios amorem exuti non tam vitam illorum temporalem, quàm æternam animæ, ad exitium & mortem sempiternam impellunt, non major malo luctus ac metus foret. Quis sine intimo animi sensu ferat, quòd, cùm hujusmodi casus tantùm non sint quotidiani, nemo ferè turbetur; nemo plangat: imò nemo mutiat ad eos, vel impediendos, aut saltem reprehendendos, satis animosus? me quod attinet, tam damnosi non ero reus silentij; plùs quàm unquam, ac altiùs clamabo, ingentésque illos errores, quos identidem committitis in filiorum vestrorum Educatione, ac illorum Patricidæ constituimini, magnis vocibus detegam ac increpabo. Hoc Discursu de duobus tantùm peccatis sermo mihi erit; quæ tamen multa alia complectuntur. Alterum committitis, dum filios vestros non docetis bona: alterum, dum docetis mala: quibus fit, ut utraque ratione eorum mortem (culpæ primum, dein etiam pœnæ) procuretis, occasionémque eis subministretis, quâ coram DEI tribunali verbis S. Bernardi in vos, querebundi invehantur, *non parentes sed peremptores* vos appellando. *Epist. 3.*

I.

II. Quærunt Doctores sacri, quæ ratio fuerit: ob quam DEUS non simul eodem tempore omnes homines creârit, iísque Mundum replerit, cùm id non minus facere potuisset, ac cùm Paradisi cælestis Incolas Angelos simul omnes creavit; sed à primo illo creati Mundi exordio voluerit esse Patres ac Matres, totúmque genus humanum à Viro uno & una Femina Principium suum nanciscí. Variæ sunt opiniones ac responsa, quæ in medium afferuntur. Si mihi quoque dicendi locus foret, dicerem, DEUM gemino ex capite hoc fecisse, scilicet, ut partim Filiis, partim etiam Parentibus consuleret.

His quidem ingens bonum conferebatur, quòd à DEO assumerentur ceu instrumenta, quæ & in ordine Gratiæ, & in ordine naturæ quàm plurimos juvarent. In ordine naturæ quidem, dum illis vitam temporalem generando communicant; Gratiæ verò; dum ad eorum salutem educando cooperantur. Ex altera parte ingens Filiis beneficium exhibeatur, dum ratione ac modo omnium suavissimo, à Magistro visibili salutis monita, & rectam ad finem ultimum semitam erant docendi: ad eum ferè modum, quo rivulus quandoque in longum extenditur, ut aqua & lentiùs decurrat, & florida prata ac plantas frugum feraces suaviùs alluat. Quæ etiam fuit ratio, cur DEUS Matrimonium ad Sacramenti dignitatem eveheret: quia Matrimonia Providentiâ quâdam tantùm naturali fuissent constituta ac directa, credere ac persuadere sibi potuissent Christiani, DEUM ab iis aliud nihil exigere, quàm ut familias suas propagarent; at verò ubi Sacramento adeò nobili maritum ac uxorem consecravit; manifestè intelligitur, utrique incumbere ut soboli, quæ ex ipsis nascitura erat, bonum Gratiæ & Gloriæ procuret. Videtis altissimos DEI nostri fines & intentiones, sed videtis etiam, à quàm multis eæ Parentibus Christianis negligantur ac contemnantur; qui dedisse vitam temporalem contenti, quasi omnem generando operam complêssent, solicitudine prorsus nullâ tanguntur, ut etiam bene vivere, quos genuêre, erudiant. Eâdem igitur operâ, quâ obligationem vestram, quâ filios vestros bene instituere tenemini, vobis ob oculos pono, demonstrabo primum erratum, quod committitis, dum officium illud vestrum facere prætermittitis.

III. Duplicis generis institutiones sunt, quibus Patres Filios suos erudire tenentur. Primi generis illæ sunt, quibus ea sciant, quæ Christianis scitu sunt necessaria. Alterius generis, quibus intelligant, quid Christianum facere oporteat. Quod ad primum attinet, ipse Spiritus Sanctus sæpenumero filiis inculcat, ut attentè Patres Matrisque institutionem percipiant, ac animo retineant: *Audi, fili mi, disciplinam Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ*: Quam admonitionem ijsdem ferè verbis sæpiùs repetit. Argumento id est; quod contentos vos esse non velit, ut unam alterámve precatiunculam mutilam & deproperatam iis præeatis, & omnem postmodum illorum curam abjiciatis. Quid enim juvat, Symbolum Apostolorum memoriâ tenere, & non intelligere, quid eo contineatur? Hæc ratio educandi similis foret illi alendi, quâ panem filiis solummodo ostentaretis, ut videre possent, aut ad summum ejusdem odore perfrui. Tribus primis annorum millibus Mundi, libri non erant; si quidem primum, qui librum scripsit, verisimile est fuisse Moysen. Triginta his primis sæculis,

Prov. 1. 8. & 4. 1. & 6.

lis, ait S. Joannes Chrysostomus libri non erant alii, quàm Parentum, linguæ, per quas posteris ad salutem scitu necessaria communicabantur. Quî igitur fieri potuisset, ut filii ac familiæ credenda nôssent, si eorum Patres ac Matres, eâdem quâ nostri ratione egissent? hoc est, si contenti fuissent, certa aliqua verba, quæ nec qui docent, nec quî docentur, intelligunt, præire? Aliud longè requiritur, quo vestræ obligationi faciatis satis. Oportet Mysteria Fidei præcipua iis explanare, & illud inprimis, quo credere debent Sacrosanctæ Trinitatis, ac Dominicæ Incarnationis grandia Mysteria, sine quorum clarâ notitiâ longè verisimillimum est, nemini salutem obtingere. Pejus adhuc est, quòd nonnulli ne hoc quidem faciant, ut modicum illud, de quo dicebamus, filios suos doceant; sed totam harum rerum curam uxoribus relinquant, haud aliter ac illa bruta animalia, quæ peracta generatione omnem amorem obliti, totum educandi laborem matribus transmittunt

S. Thom. 2.2 q. 2. art. 7. & 8.

VI. Respondebitis docere vos ea filios vestros, quæ ipsi scitis, ultra autem, quàm sciatis ipsi, docere vos nihil posse. Verùm hoc ipsum est, quod mihi vehementer dolet, tantam scilicet in Mundo ignorantiam dominari. Quàm parûm plebs Christiana de Christo, quàm parûm de DEO scit? Nomen scit, quod in omni dein re levissima invocet, quibusvis in occasionibus jurando contemeret, ac execrandis in omni pene siniſtro eventu blasphemiis conculcet. Fidei sanctæ Mysteria aut non apprehenduntur; aut si apprehenduntur, ita confusè percipiuntur, ut mille non levibus erroribus permisceantur. Fermè sicut res, quæ remotæ nimium sunt, licèt in sphæram globentur ac rotundæ sint, planæ apparent, ita plerique interminatam illam bonorum malorúmque futurorum sphæram non aliter apprehendunt, ac superficiem quandam bonorum ac malorum parùm aut conducentium aut officientium: adeò eorundem consideratio iis nihili aut vilis est. Et in hac magna rerum ignoratione quid boni fieri poterit? non tantùm non Christiani, sed ne hominis quidem vita sic vivitur. *Ubi non est scientia animæ, non est bonum.* Hoc igitur inter omnia Christianorum mala maximè me affligit, nec ejus recordor unquam, quin me acerbissimè crucier. Verùm non abripiamur inutilibus questubus, ne fortè à via nobis proposita aberremus. Ad id, quod prætexebatis, porrò respondeo; quòd, si vos ipsi plurium scientiam non habeatis, nihilominus tamen adhuc obligemini filios vestros aliis instruendos committere, nisi ipsis etiam vobis incumbat necessitas ad Christianæ doctrinæ institutionem accedendi. Mater, quæ tantum non habet lactis, quo prolem suam alat, sine Numinis offensâ non potest eam propterea morti addicere; ac prætendere: Natura non instruxit ubera mea copiosiùs: in hunc enim finem Nu-

Prov. 19, 2.

trices sunt, ut defectum suppleant Matrum. Jam verò in casu nostro Nutricum vice Sacerdotes funguntur, qui lac vitæ Christianæ necessarium suppeditent. Quare igitur filios vestros non mittitis, aut ipsimet ad Ecclesiam instituendos non adducitis? an ab ipsis vos feris vinci patiemini, eoúsque truculenti, ut proles vestras fame interire sinatis? Refert Plinius de Panthera, quòd cùm vidisset catulos suos in altam fossam præcipites actos, jamjam fame emori, tanto dolore fuerit agitata, ut in viam publicam, relictâ sylvâ, prodiret, & coram primùm obvio Viatore tanti doloris indices gestus ederet, ut eum omnino commoveret ad se sequendum, qui postmodum ad fossam delatus, fœtus mortuis quàm vivis jàm similiores, extraheret, ac Matri restitueret. Oportebit itaque Patres Matrésque ad tam novam scholam amandare, in qua filiorum suorum animabus compati discant, ac subvenire, ne fame absque ullo remedio enecentur. *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Scitis, quis antiqua in Ecclesia, antequam quis Sacro Baptismate tingeretur, mos fuerit? Inter Catechumenos per menses, quin & annos accensebatur; tamdiu scilicet, quamdiu necessarium erat ad ediscenda Fidei Mysteria, quæ credere eum oportebat. Postmodum verò temporis lapsu, cùm quidàm sine Baptismo decederent, Ecclesia Benignè indulsit, ut infantes sacrâ undâ abluerentur, spe freta, fore, ut Parentes, cùm proles ad idoneam ætatem esset perventura, necessariam institutionem non omitterent. Quin & majoris securitatis gratiâ Compatres ac Patrini eundem in finem fuerunt introducti. *Qui alium in sacro Fonte suscipit, pro illo apud Deum fidejussor existit*, uti Sacri Canones loquuntur. Unde Patrini vades sunt, qui sanam institutionem in vicem Parentum spondent; Parentes autem ad illam maximè præ aliis omnibus obstringuntur. Et tamen ex horum, illorúmque parte tanta est negligentia & incuria, ut satis deplorari non possit. Agamus itaque, & saltem ad illos recurramus, qui hac in parte vicariam possint operam præstare. Ad Doctrinam Christianam, filij mei, ad Doctrinam: ad hanc enim cùm non veneritis, nulla suppetit ratio modúsve innumeras, quæ periclitantur, animas æterno exitio subtrahendi. Bene me intelligite: non dico, quòd si una quadam vice eos ad Christianam Doctrinam amandare negligatis, illico peccato mortali inquinemini; sed dico: quòd, si in hoc negotio notabilem admittatis negligentiam, certò grave peccatum non effugiatis; nec possit vos, nisi vos emendare parati sitis, ullus Confessarius porrò absolvere. Communis hæc Doctorum mens est, qui insuper addunt; quòd, quemadmodum Episcopus potest Curatum illum sacro Anathemate ferire, qui suos negligit docere, ita possit etiam illos Parentes

l. 8. c. 17.

Thren. 4. 4.

Sanchez. in Dec. l. 2. c. 3. Manual. t. 1. sum. cap. 88. Castro. t. 1. tr. 4. disp. 1. p. 11.

tes

tes Sacris interdicere, qui filios suos ad Catecheticas institutiones non mittunt. Si Doctrinam hanc meam ceu novam obstupescitis, signum est, vos necdum intelligere, quantum ex ignorantia Cacodæmoni lucrum accedat, & quàm copiosè in aqua hac turbida piscetur, ubi retia illius fraudulenter deliteſcunt.

V. Rem miram audite, ad propositum nostrum apprimè facientem. Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo octavo celebrabatur in Gallia nescio quæ Synodus, jámque Sacerdos quispiam designatus erat, qui publicum Sermonem juxta morem haberet. Sacerdos autem hoc in munere parùm exercitatus non poterat ne istud quidem secum statuere; quodnam potissimùm argumentum tractandum susciperet: quare multùm perturbatus, magnam temporis partem dolendo exigebat, quòd hanc in se provinciam susce-pisset. Interea Dæmon truci aspectu se ei sistit, superbè interrogat doloris ac perturbationis causam, & intellectâ, ait: bono animo esto, argumentum enim ego tibi suppeditabo, de quo ad Synodum dicas. Sic igitur loquere: Rectores tenebrarum Infernalium, Rectoribus Ecclesiarum Parochialium salutem dicunt, & plurimas agunt gratias ob magnam in docendis populis socordiam & negligentiam: ex ignorantia siquidem nascitur peccatum, ex peccato damnatio. Et subjunxit: Dæmon ego sum coactus à DEO hæc tibi dicere. Cui Sacerdos: Non credent mihi, & somnia me narrare dicent. Et dæmon: ut fidem tibi habeant, ecce signum: & illico nigris suis manibus faciem ejus tetigit, quæ ad Diaboli attactum ita fuit denigrata, ut atro carbone nigrior videretur. Lava te, prosequebatur Dæmon, quantum volueris, omnis in cassum labor ibit; & quoad istud meum thema ad concionem dixeris, colorem pristinum non recipies. Ubi verò hoc munere perfunctus fueris, & publico in templo aquâ lustrali te laveris, in omnium præsentia candorem vultûs tui postlimínio recuperabis. Nec aliter, quàm Cacodæmon prædixerat, gesta sunt omnia, tanto cum Sacerdotum stupore, ut nemo Prædicatorum qualicunque suo clamore majorem motum concitâsset. Imò dicunt, solam facti hujus relationem, Parisijs vulgatam, immani horrore omnes etiam Laicos repleviſſe. In veritate dico, quòd nostro hoc tempore præstaret, legationem istam ad Patresfamilias instituí; quia quantumcunque Sacerdotes omnem operam adhíbeant instruendo, Patres reciprocam diligentiam non exerunt, quâ filios suos ad istam Sacerdotum doctrinam compellant. Unde præ aliis Patres hanc à Dæmone gratiarum actionem promerentur, utpote qui, dum ignorantiam hanc fovent, præ omnibus filiorum suorum exitium sempiternum promovent. Et postmodum putatis, posse vos leviſſima hac excusatione Ecclesiæ DEI lacry-

Cantiprat l. 1. c. 10.

mas

mas extergere, quas hæc ex intimo pectore evocat, cùm videt, ipsos etiam Hæreticos, quò filios suos pestiferâ suâ doctrinâ à teneris inficiant, majori studio contendere quàm Catholici, ut suos imbuant sanâ. Ordinaria hæc vestra excusatio est, incumbere vobis necessitatem, pecora vestra pascendi. Verùm quàm justam Propheta causam habet, bilancem nostram injustitiæ arguendi, cùm in illa majus pondus pinguis quædam vacca, quàm Rationalis Anima habeat! S. Joannes Chrysostomus quietis partem capere nullam potest, tantam videns iniquitatem, quâ Patres majorem jumentorum suorum, quàm filiorum rationem habent. *Majorum asinorum, & equorum, quàm filiorum, curam habemus.* Non sola posthac Herodis domus erit, de qua cum veritate dici possit, id quod Imperator Augustus fertur pronunciâsse; quòd in ea cuivis meliùs foret porcum, quàm hominem nasci. Etiam in Christianorum domibus idipsum dici poterit, cùm in iis major sordidissimi porci cura habeatur, quàm innocentis & Angelicæ Animulæ. Quid dubitatis igitur, quin hujusmodi excusationum vela non magis apta sint ad vos coram DEO obtegendos, quàm tenuissimæ aranearum telæ? Si filios vestros omnes ad Christianam Doctrinam dimittere non potestis, mutatis vicibus modò unum, modò alterum mittite. Quid inde? si interim pecora vestra jejunent, dum filij vestri ad sacra se pascua conferunt? quin etiam, dum puerorum, qui vobis serviunt, memoria animam meam subit non possum non admonere vos, quod, dum Heri ac Patroni in illos munus exercetis, officium quoque parentum in bona eorum educatione explere debeatis. Ad summam, modum aliquem excogitate, ut cum honore coram DEI tribunali stare possitis; secus enim, quanta erit Ignominia vestra?

Hom. 60. in Math.

Macrob. l. 2. Saturn. cap. 4.

VI. Altera institutio quam filiis vestris debetis juxta DEI intentionem, quâ vos Patres constituit, ultra id, quod est orthodoxè credere, in eo consistit, ut & benefacere eos doceatis. Hanc ob causam magnopere laudatur in Sacris Paginis Sanctus Tobias, quòd filium suum à teneris timere DEUM docuerit: *Ab infantiâ timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.* Oporteret igitur maturè illorum animis veri Christiani pectoris Maximas & Principia imprimere; summam scilicet existimationem de DEI Majestate, singularem amorem JESU Christi Redemptoris nostri; teneram devotionem erga Sanctissimam ejus Matrem; insignem reverentiam in res Sacras, Sacramenta, Sacerdotes, Templa, & Missæ Sacrificium, ad quod auscultandum accedunt. Nôsse deberent, quòd omnia illa, quæ aut prosperè, aut infeliciter eveniunt, à manu DEI proficiscantur, propter quod etiam sine murmuratione illa accipere conveniat. Scire etiam, quod omne bonum, quod facimus,

Tob. 1.

non

non à nobis fiat ceu à nobis, sed auxilio Dei adjutis, sine cujus Gratiâ ne minimæ quidem tentationi, quâ infestantur, resistere possimus. Scire, quòd peccatum omnium malorum maximum sit, unde etiam plus quàm ipsam mortem illud fugere debeamus. Hæc in alia similia præcipua sunt principia, juxta quæ Christiani cujusvis vita instituì debet ac dirigi: quare pueris & adolescentibus identidem instillanda ac inculcanda sunt, ut nunquam eorum animis elabantur. Neque velim, mihi objiciatis; hanc vos curam Sacerdotibus relinquere ac Prædicatoribus. Vehementer fallimini. Omnes simul Sacerdotes, ac Verbi Dei Præcones non possunt tantum in filiis vestris efficere, quantum unus Pater, si institutionem suam maturè auspicetur, & postmodum sine cessatione continuet. Non sine causâ Patres titulo *Deorum Visibilium* compellati sunt: siquidem filii filiæque ab ætatis suæ principio neminem gradu altiore constitutum credunt, quàm Parentes suos, à quibus vitam acceperunt. Et ideo magna illa auctoritas, quam Patres in Filiorum suorum animos habent, facit, ut singula verba, ab eorum ore profecta, profundissimè eorundem corda subeant, ac intima penetrent. Præterea ipsa institutionis hujus continuatio magnum robur habet; id quod in simili videmus: flores enim plantæve longè majorem ex rore matutino quotidie delapso utilitatem capiunt, quàm ex unâ singulorum mensium pluviâ. Accedit, quòd Parentes omnia sua verba longè efficacissima reddere possint operum suorum exemplis; dum sub oculis familiæ, haud aliter ac horologium quoddam, versantur, quod ea, quæ sono denuntiat, indice demonstrat. Denique non linguam solùm sed manum habent; illâ docere, hâc etiam castigare possunt. *Educate filios vestros in disciplinâ, & correctione Dómini*, ait S. Paulus. *Eph. 6. 4.*

VII. Sæpius tamen longè gravius peccatur ex parte illorum Parentum, qui sicut bona docere non possunt, & *educare in disciplinâ filios suos*, ita etiam mala non sciunt reprehendere, *& educare illos in correptione*. Imò ex amore quodam, qui amor non est, sed odium, multa illis indulgent absq; respectu ad damna illa, quæ & filiis, & ipsismet inde emergunt. *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella.* Amásne verè filium tuum, quem genuisti? ait Dominus, fac, ut ferulam sentiat; secus enim si ei corrideas, miserum te! veniet dies, quo planges. *Lacta filium & paventem te faciet; Lude cum eo, & contristabit te.* Priscis temporibus, ut S. Hieron. refert, vix dum in lucem prodierant infantes, cùm illico sale aspergebantur, eo Medicorum consilio, ut illorum membra firma magis ac dura efficerentur. Nostrâ verò ætate Patres filios suos saccharo potiùs inducerent. Quid mirum deinde, si, cùm adoleverint, omnium domesticarum amaritudinum fons & origo sunt? *Tunde latera ejus, dum infans est* (verba sunt Sancti Spiritûs sanè pulcherrima) *ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* Dum parvulus est, castiga filium tuum; cùm adultior *Eccli. 30. 1.* *In c. 16. Ezech.*

fuerit, volet esse sui juris, nec verbis tuis fidem adhibebit, ratus, se præ te sapere, & pro pane, quo eum nutristi, non nisi fel reddet & amaritudinem, *erit tibi dolor animæ*. Avertat Deus, ne ventos illos experiamini, qui concitantur mane ad Solis ortum; diu enim tumultuari solent. Si pueri vestri assuescant ab infantiâ, imperia vestra detrectare, jussis vestris obmurmurare, extorquere quod volunt, tempestatem mihi præsagiunt, quæ domum vestram, heu nimiùm diu gravirérque, concutiet ac quassabit. Nemo mihi dicat, filios suos indolis esse admodum pravæ omnémque eorũ castigationem in irritum cadere. Pergite vos, illos etiam verberibus coërcere, & videbitis, an non fructum severitatis vestræ sitis relaturi. *Stultitia colligata in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.* Ita disertè Spiritus Sanctus pollicitus est. Demus, filium tuum non bonæ esse indolis, correctio tua naturam etiam perversam corriget. Etiam mel naturâ candidum non est; albescit tamen, cùm percutitur sæpius & agitatur.

Baccon. histor. Vent.

Prov. 22. 15.

VIII. Verùm non parvus Parentum numerus loco manuum, quibus uti in castigandis liberis deberet, quid agit? Linguam exerunt, & ad res etiam leviſſimas, graviſſimis in liberos execrationibus feriunt, nec mentem advertunt ad ingentia illa damna, quæ in eos, quos execrantur, redundant: *Maledictio matris eradicat fundamenta domûs.* Refert Surius, feminam, quæ unius noctis spatio omnino triciès ægro filiolo lac præbuerat, denique in furorem versam potum dedisse cum dicto: accipe, & malum dæmoné bibe! Eodem temporis momento malignus spiritus infantem invasit, nec eum dimisit, donec ad tumulum S. Zenobii Archiepiscopi Florentini adductus excedere denique coactus sit. Et quem, quæso, fructum inde speratis? etiamsi boni quid maledicta vestra consequerentur, timorémque aliquem injicerent, longè tamen majus scelus, dum minus eos dedoceris, hisce executionibus vestris docetis. Præterquam, quòd incussus solis verbis timor paulò pòst in proterviam degenerat, si tempestates illæ domesticæ non nisi in cassum tonitru desinunt.

Eccl. 3. 11.

IX. Nostisne, quando nimia hæc, quâ erga adulescentulos perpetram utimini, indulgentia cum fructu, & commendatione adhiberi possit? cùm filii vestri jam juventutis annos attigerint. Id quod Deus per os S. Pauli vobis insinuat: *Patres nolite provocare ad iracundiam filios vestros*: in his enim plus plerumque efficit mista rigori lenitas, quàm indiscreta austeritas, quæ irritat magis, & exacerbat. Si hanc vobis quæstionem proponerem: quænam aqua melius citiùsve maculas abstergat & eluat, marina salsa, an fontana dulcis? illico responderetis: marina salsa, tanquam magis acris. Neque tamen rem tangeretis, cùm oppositum prorsus contingat: & ratio est, quia ad hoc, ut maculæ eluantur, necessarium est, ut aqua pannum ac linteamina penetret ac pervadat: quia verò aqua marina crassa nimium, fontana verò tenuior est, fit, ut illa

Eph. 6. 4.

Arist. probl. sect. 23.

illa minùs, hæc magis lavet ac mundet. Idem in correctione contingit. quæ hominibus jam rationis & discursûs capacibus, quales filios vestros adultiores suppono, adhibetur. Etenim si illa verborum quadam dulcedine cõdiatur, & austeritas temperetur, longè altiùs se in corda insinuat, & maculas, quas ibi reperit, abstergit. At verò si dura nimium, & oppidò cruda est, nec penetrat omnino, nec bene emundat.

S Thom. 1. 2. q. 49. a. 4.

X. Et ideo hæc duo extrema evitari necesse est, quæ S. Thomas in ebriorum irâ ac furore considerat. Et ille, eos, qui omnino & penitus ebrii sunt, non irasci, eò, quòd usu rationis careant, quæ injuriam recèns illatam ipsis manifester, Illi verò, qui ebrii sunt, sed non ira, ut rationem obruerint totam, irascuntur, eóque ardentiùs, quia tantum adhuc rationis ac luminis habent, ut injuriam agnoscant, non autem tantum, quantum sufficeret ad hoc, ut se, & iram suam in officio continerent. Ita planè in nostro casu se res habet. Nonnuli Patres usque eò amore in liberos suos occœcati, & , ut ita dicam, inebriati sunt, ut ceu stolidi & excordes omnem iis licentiam permittant absque eò, quòd unquam contrà mutiant. Alii contrà eodem amore, velut semiebrij, malum, quod eorum liberi moliuntur, non ignorant, at cogitatione tam confusâ, ut impossibile illis accidat, intra justæ correctionis limites permanere: quo fit, ut modò increpando rationis limites turpiter transiliant, aliàs in Blasphemias prorumpant: ut non immeritò de iis illud dici possit, quòd *in Principe dæmoniorum ejiciant dæmonium*, & dum unum diabolum domo exturbant, pejorem longè accersant.

II.

XI. Hactenus animum meum vobis aperui, quo in illos feror, qui Filios suos bona non docent, mala non corrigunt. Sed cogitate, nihil me adhuc dixisse, adeò multum restat, quòd contra alios afferam, qui quasi destinato consilio liberos suos prava docent, & quæ recta sunt, pensi non habent. Quapropter si dicenti fervore abriperer in verba, quæ rem luculenter ob oculos ponerent, rogo, ut mihi compatiamini, sic enim rei indignitas poscit. Quinam autem sunt hi Patres perversissimi? Illi ante omnia, qui malo præeunt exemplo. Exemplum tantò efficaciùs persuadet, quàm verba, quantò faciliùs est oculis, quàm auribus credere. Nisi etiam velimus dicere, verba imaginem quandam ac operis adumbrationem esse; exemplum autem ipsum opus, ac rem ipsam. Unde quantò efficaciùs rem aggreditur, qui rem per se, non per alium facit, tantò etiam efficaciùs aliquid persuadet, qui facit, quàm qui dicit. Ex quo facilè videris, quàm reverà omne malũ exemplum, à quocunque veniat, sit pernicioſum ac exitiabile. Quantò igitur magis, si eo Parentes præeant? præterquam enim, quòd cuncta opera universim vim quandam habeant permovendi ad imitationem, duabus insuper ex causis opera Parentum potenter alliciunt ac trahunt. Prima te-

net se ex parte Parentum; hi enim ob magnam illam, quam à Deo in filios, ut causa in effectus, habent auctoritatem, in summâ apud suos sunt veneratione. Audiunt quidem liberi Principum, Prælatorum, Regum & Imperatorum nomina; quia tamen hujusmodi personæ Principes eorum oculis non observantur; non eam in iis venerationem excitant, quantam Superioritas Patris, quàm suis identidem oculis contemplantur. Unde quævis Parentum actio filiis lex quædam est, quæ absque ulteriori examine ut bona recipitur. Altera causa ex parte ipsorum Filiorum se habet: qui, cùm parvuli sunt, ob immaturitatem judicii ac rationis omnia imitantur, & velut artis pictoriæ tirones nonnisi ectypa formare & exprimere nôrunt. Quapropter verbis explicari non potest, quantum robur habeat mala bonáve Parentum vita, ut filios suos in sui trahant imitationem: ita ut longè sit faciliùs, eos in ratione vivendi similes efficere, quàm in vultûs lineamentis. *De insect. 1, pag. 60.* Ait Aldrovandus, eos, qui studiosiùs ac curiosiùs Apum formam figurâmque explorârunt, caput Bovis, ex quo prognatæ sunt, in ijs deprehendisse. Ego autem mihi persuadeo, si quis intimas animi latebras Juvenis alicujus, aut Puellæ curiosissimè introspiceret, veram in iis Patris Matrisq; à quibus educati sunt, effigiem deprehensurum ac spectaturum. *In filiis suis agnoscitur vir.* *Eccli. 11. 30.*

XII. Quam ob rem attento vitam vestram oculo examinate, non solùm quâ ratione vestræ saluti ea sit conveniens, sed & eorum, quos genuistis, promovendæ; nam, cùm vosmetipsos perditis, mementote, non solos vos interire. *Sicut unus de Principibus caditis*: scilicet non soli. Non solet unquam evenire, ut cùm exercitus integri confligunt, soli Imperatores Ducésque cadant; sed, cùm audieritis supremos Ductores cecidisse, sine hæsitatione dicite, gregarios ad internecionem deletos fuisse. *Sicut unus de Principibus cadetis.* Risum non teneo, cùm video vos nescio quàm zelosus, quin & minitabundos, ut filios vestros circa vesperum, antè quàm cubitum eunt, ad preces nocturnas compellatis. Ipsi vos in genua demittite, & preces fundite. Tum videbitis, an liberi vestri non idem sint facturi. Eandem rationem tenete, dum Deum precari filiolos vestros docetis, quam observatis, dum docetis gressum moliri: hîc non sola verba profertis, sed manibus apprehenditis; & cum ipsis gradimini passum passui accommodando. *Psal. 81. 1.* *l. 3. Hex. c. 24.* Observatum est, ait S. Ambros. Lusciniam non amœnius unquam cantillare, quàm cùm pullos suos educat; tunc scilicet omnium maximè anxia ac solicita, ut eos quàm optimè doceat. Et verò illæ, quæ extra sylvam domi nostræ in caveis educantur, nunquam eâ perfectione canunt, quâ aliæ, quæ patrio in nemore sût prognatæ, hac unâ de causâ, quòd præcinentiû exemplo careant. Quo res incitamento vobis sit ad vitam devotam & verè Christianam omni loco instituendam; tum autem præcipuè, si Patres estis Matrésve familiæ; in hoc enim statu duplicata vobis obligatio accessit be-

ne

ne vivendi,& multò magis à malis declinandi; cùm mala exempla longè facilùs imitationem persuadeant, quàm bona; & vita vestra perquàm similis sit malleo Statuarii, qui ad statuam efformandam, simul & destruendam deservit; multò tamen magis ad hoc, quàm illud idoneus habetur. Præterquam quòd omnia peccata vestra plerumque etiam filiis vestris maximo sint nocumento, uti tradunt gravissimi Theologi, innixi verbis illis Domini: *Ego sum Dominus, visitans iniquitatem Patrum in filiis.* Et hinc, utut peccata secreta sint, non omnem ex hoc capite timorem ponite. Quantò igitur magis, si ea publica sunt, & in natorum oculis? hæc enim intrinsecæ malitiæ ac gravitati, contagionem habent adjunctam.

S. Thom. Tostat. Hugo in hunc loc. Exod. 20. 5.

XIII. Positis his veritatibus quis se contineat, dum considerat exiguam illam curam: quâ tot & tanti vivunt absque ullo remorsu, primi iniquitatum omnium, quæ in familiâ committuntur, Magistri? An non verum dico? quis puerum illum docuit, Dei nomen indignis adeò modis in ità tractare, priùs etiam quàm illud agnoscat? an non mater, quæ ad singula pæne verba eodem abutitur? quis docuit Corpus & Sanguinem Domini blasphemando compellare? an non Pater? qui, ut timorem filiis incuteret, & obedientiam extorqueret, hisce sacrosanctis vocibus continuò iram suam exoneravit? & in qua scholâ ille & ille puerulus innumeris per diem vicibus Diabolum evocare didicit? an non in domo paternâ, in qua Parentes manè & vesperi hanc iis lectionem prælegunt? In Leodiensi Diœcesi puerulus quidam ab ædibus paternis aberrârat: rogatus, dum ejularet, à circumstantibus quo nomine Pater compellaretur, ut ad eum reduci posset? respondit: Pater meus Diabolus est. Et quæ tua Mater? subjunxêre, qui audiebant attoniti: quibus ille: mea Mater Diabolus est. Et quæ domus tua? Diaboli, ajebat, ignarus quid diceret, domus est. Nimirum cùm Maritus domum reversus objurgabat conjugem, his uti verbis consueverat. Tu verus Diabolus es. Uxor verò objurgans filium, creberrimè dicere solita erat: Tu revera filius Diaboli es, & ambo quandoque in rabiem acti dicebant: O qualis est domus ista! revera non alia quàm Diaboli. Ecce quantum referat, Patres Matrésque attendere, quid domi suæ loquantur.

Mar. cant. tr. 8. prop. 3. Candel.

XIV. Maximè autem certas quasdã & obscœnas loquendi formulas cavete. Etenim si vos parùm commovent, & idcirco exiguam illarum rationem habetis, mementote filiorum vestrorum, in quibus malorum non levium semen esse possunt. Cervæ, cùm serpentes devorant, nullum inde nocumentum capiunt; abstinent tamen ab iis, cùm lactant, ne catulis adhuc teneris noceant. Stulta igitur est omnis excusatio Parentum illorum, qui sibi licere autumant, hujusmodi, inter prandendum & cænandum, verba proloqui in coronâ filiorum suorum, non aliter, quàm si soli in cubili & thalamo versarentur; nec cogitant, quòd id quod adultis, & rationem, quâ in Mun-

do vivitur, jam expertis, cibus est, venenum sit adolescentibus Mundum adhuc ignorantibus. Ait S. Thomas, in præliis contra castitatem, primam, quæ tubâ signum pugnæ det, esse Curiositatem: hâc enim cùm pueri valdè stimulentur; ubique rerum causas nôsse percu iunt. Et ejusmodi Curiositas subinde eos impellit ad primò peccandum, dum volunt inexperta gustare.

XV. Quod si Patribus ac Matribus incumbit adeò cautos esse in loquendo, vobis dijudicandum relinquo, quanta opus sit solicitudine, ut ne factis scandalum præbeatur. O si hîc tacendo percipi possem! ac, quia id fieri non potest, cogor loqui. Ingens illorum conjugatorum incogitantia & temeritas est qui filios suos eodem secum noctu lecto sinunt decumbere; absque eo, quòd considerent gravissimum damnum, quod inde provenire

Plin. l 7. c. 16. potest, imò & re ipsâ provenit. An nunquam audivistis, nonnullos infantes cum dentibus nasci? Volo dicere: non cum annis hanc malitiam aliqui discunt: sed materno secum ex

S. Hier in ep ad Vital & a. pud Cæl. l. 14. c. 8. utero efferunt. *Erraverunt ab utero.* Decem annorum puer, qui eodem cum nutrice suâ lecto dormiebat, sponsam quin & matrem reddidit, ipse pater prolis non multùm se minoris. Ex quo licèt colligere, quam rationem DEO reddituri sint parentes illi, qui dicunt:

e consuluit, 2. q. 5. *Non est periculum: innocentes sunt.* Quin imò periculum tantum est, ut Sacris Canonibus res prohibenda sit visa. Quod eorum innocentiam attinet ipsa eorum innocentia magis capaces facit ad malitiam hanc plenius apprehendendam. Oleum, quo purius est, eò etiam est habilius ad odorem aut fœtorem concipiendum earum rerum, quibuscum permiscetur. Et hinc illorum innocentia, si tamen aliqua est, magis me terret: *Lædetur quasi Vinea in primo flore botrus ejus.* O quos *Job. 15. 33* adolescentuli vix infantiam egressi Baptismalis Innocentiæ primum florem deperdunt! Et unde quæso algens isthæc pruina, quæ vineæ hujus tenerrima germina tam subitâ ac crudâ morte prosternit? non aliunde certè, quàm ab infausto Parentum cælo, qui dum passionibus suis frena laxant, minùs, quàm ipsæ bestiæ, verecundiæ præseferunt. Audite historiam, factum terribile. Macareus Sacerdos *Ælian l. 13. var. Hist. c. 1.* Idololatra, omnis Fidei tam Divinæ quàm humanæ expers, ut magnam auri summam apud se depositam faceret suam, virum somno sopitum jugulavit, & jugulatum terrâ obruit. Hæc dum faceret, parùm pensi habuit duorum puerorum præsentiam, eò quòd paucorum annorum essent. At multum opinione suâ falsus est. Hi enim duo tenelli fratres exiguo pòst tempore soli ita inter se colloqui cœperunt: Euge, faciamus tantisper, sicut fecit Pater noster. Sic ubi inter eos conventum est, mox natu minor in terram se extendit, & somnum simulat; alter, isque natu major, eundem Patris cultrum arripit, & in fratris jugulum tam altè adigit, dum fictum ille somnum verissimâ morte mutaret. At monitus eventu superstes in planctus effunditur, & horrendum clamat; cùm mater ejulatibus

tibus excita accurrit, vidénsque atrox spectaculum, alterum quidem neci datum, fratrem alterum cultro etiamnum sanguine stillante armatum, ita subito dolore & rabie extra se tapitur, ut eodem cultro mactaret eum, qui prior fratrem jugularet. Nec hic finem habuit Tragœdia. Nam nuntio hoc tristissimo ad Marcareũ delato, etiâ ipse furentis conscientiæ stimulis agitatus in domum irrumpit, & uxorem hastâ per pectus adactâ humi mortuam sternit. Sed & ipse Magistratûs jussu comprehensus non solùm cædem hanc jam manifestam confessus est, sed & illam hactenus omnibus ignotam: pro quo utroque eam atroci facinore dignam mercedem recepit, carnificis manu infamem mortem perpessus. Quid ad hæc omnes vos, qui filiolis vestris, & eorum innocentiæ tantùm tribuitis? quid dicitis ad hæc? Si non obstante hac innocentiâ ad tantam támque abhorrentem ab humanâ naturâ crudelitatem malis exemplis permoveri possunt, an putatis, eos non faciliùs ad actus longè magis hominum genio convenientes, magísque faciles ac delectabiles inductum iri? Si Pater suâ uxore non contentus etiam alienæ insidietur, an filio difficile erit, patris exemplum sequi? De Pagano quodam S. Augustinus refert, quòd, cùm Jovem suum, quem pictor turpia peragentem depinxerat, conspexisset, elatâ voce exclamârit: *Ego homuncio hoc non faciam*? homo scilicet de plebe, cùm talia Dii faciant. Ita omnino filii: si meus Pater, jam magno natu, & chori sociam habens, contentus non est aquam suo è puteo haurire, sed insuper aquas turbat totius vicinitatis, quid ego erubescam, liber etiamnum, & in ipso flore juventutis? Ite, reprehendite, & jejunium saturo ventre prædicate!

XVI. Quid si autem Patres Matrésque ultra illud scandalum indirectum, quod filiis suis dant, dum mala in eorundem præsentiâ faciunt, etiam directum adjungerent, ac disertis verbis modísque manifestis ad malum eos instigarent? Fit tamen & hoc, usque adeò, ut ipsi Cacodæmones, Parentes non paucos loco primorum ac præcipuorum Procuratorum habeant, quibus in causâ æternæ perditionis liberorum quantumvis adhuc innocentium, utantur. Scio, quòd ab utero matris pleræque filiæ vanitatum studium secum ferant; at quis illas magis confirmat, stimulátque, quàm Matres, quæ in eas magnis clamoribus invehuntur, si quando exquisiti ornatus viderent incurias? Si Matres hujusmodi vanitates & superbiæ studia maturè reprehenderent, & libidinem istam, quâ videri volunt, in tempore reprimerent, non dubito, quin hujusce generis propensiones funditus è filiarum animis extirparentur. Sed pro eo, quòd illis hæc sua studia exprobrent, illa cum necessaria iis proponunt, ultra omnes etiam, ut mos nunc fert, modestiæ limites, eo fine, ut inveniant, quibus optato matrimonio jungantur. Et sic non tantùm non primulas has levitates extirpant, sed maximâ industriâ promovent, damnúmque, quod miserrimis his animulis accrescit, insuper habent.

Fit

Fit igitur, ut dum muliebri hoc mundo superbiunt, aliud nihil animo volvant, magisque nihil appetant, quàm videre & videri; & sic omni salutiferæ inspirationi viam præcludant, atque impedimentum omnium, quæ Deum inter & ipsas esse possunt, ponant maximum, animi elationem & tumorem:

Joan. 5. 44. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* ait Christus.

XVII. Neque hîc consistitur; non enim ad occulta tantùm pereundi pericula perducuntur, sed in manifesta quoque præcipitia aguntur. Puellam reperies, quæ aut congenitâ suâ verecundiâ, aut fragilitatis suæ ex anteactis conscia vitam à Juvenum commercio remotam vult agere: cùm Mater, quæ plus quàm alius quisquam eam in proposito confirmare deberet, prima est, quæ solitudinem illam disturbat, ac identidem oggerit: oportere ergà omnes esse affabilem, non misanthropam, non ita refugam; fore enim aliàs, ut neminem habeat, qui in choreis eam honoret, neminem qui favore & blanditiis dignam æstimet, neminem, qui Sponsam velit. Memini me audire, nobilem quempiam tædæ fumo pestifero fuisse infectum. Præferebat illi nefarius quispiam facem inter tenebras: qui si viam monstraturus, re ipsâ interim sequentem propinato forbillatim venenato fumo enecabat. Non credo equidem, idipsum Matribus propositum esse, cùm filias suas pestiferâ hac directione seducunt; re ipsâ tamen idem præstant, cùm eodem tempore ad mortem animæ eas deducunt, quo docent, qua ratione omnis generis vanitates consectentur.

XVIII. Deinde quid dicemus, si Matrem talem etiam reperire foret, quæ filiæ suæ honorem ac pudorem vænum exponeret. quò facilius aut vestes, aut dotem compararet? Res isthæc adeò terrifica est, ut verba mihi non suppetant, quibus eam satis explanem. Dicam solummodo quòd si juxta sententiam Salvatoris ille meretur lapide molari prægravatus in mare projici, qui animæ qualiscunq; illa fuerit, scandalum præbet; an non Mater, quæ animam innocentem, & filiæ quidem suæ perenni exitio exponit, mereatur, ut non lapis molaris, sed mons integer collo alligetur?

XIX. Sed ad res minùs funestas redeamus, Etiam ex Patribus non desunt, qui officio, quòd à Lucifero impositum gerunt, bene fungantur, ac strenuè filios suos ad interitum promoveant. Nam, cùm adhuc teneri sunt, assuefiunt quandoque filii, ut damnum non solùm aliis inferant, sed, quæ repererint, etiam domum ferant, non fructus modò & olera, sed gallinas quoque, oviculásque bene pastas. Quid ad hæc Pater? forsitan cum Tobiâ sene in clepaces manus invehitur? Forsan, ne rem furtivam tangant, prohibet? *Redde hœdum Dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid aut contingere.* Tob. 2. 11. Contraria omnia. Factum approbat, & non tantùm cum familiâ festum diem agit, sed & ingenium furunculi laudat, quòd industriâ suam hac ratiõe probârit. Quòd si puer domum redeat post confractum, aut

bene

bene contusum coætanei cujusdam sui caput, habet encomiasten Patrem: strenuè rem gessisti, ait applaudens genitor, & si quis in posterum tibi minas ingenerat, fac, ne in conserendis manibus alter primas habeat. Memorat Suetonius, quòd Caligula Romanorum Imperator, cùm de Drusillâ dubius hæreret, an ex se genita esset, an adulterino partu edita; quadam die viderit, quòd tenella sua Drusilla in ludo cum aliis Aulæ puellis collisa crudeliter illarum vultus unguibus suis lacerârit. Movit hæc res ita Caligulam, ut illico in ejus amplexus ruerit, dixeritque: nunc, nunc te filiam meam credo. Sic quidam ex Patribus ævi nostri, si de uxorum suarum fide ambigerent, credo omnem suspicionem ponerent, cùm primum filiorum suorum insolentem petulantiam referri audirent, & corvorum more, illos pro legitimâ sobole haberent, quos post aliquam temporis intercapedinem, sibi colore quàm simillimos, hoc est, nigerrimos viderent. Et hic ille modus est, filios erudiendi, hoc educandi officium facere, quo Deo, qui vos filios vestris præposuit, respondetis?

XX. De vobis, qui hac in parte deficitis, æternus Pater conqueritur; utpote, qui vos fœcunditatis suæ participes reddidit, & maximum illum Patris titulum communicavit, quo tamen nonnisi ad animarum ruinam abutimini. De vobis Filius quoque æternus conqueritur, qui, cùm vos in cooperatores suos ad filiorum vestrorum salutem elegerit, Tentatores, non Servatores experitur. De vobis suas etiam querelas Sanctus Spiritus ingeminat; quia, cùm vos ipse elegerit ad præparandam ejus inspirationibus in filiorum vestrorum animis viam, vos illam obstruitis. De vobis Sanctissima Dei Mater & Virgo conqueritur, quæ dum de vobis spem concepit, fore, ut in Cæli vacuas sedes novas colonias duceretis, videre cogitur, quomodo vestrâ desidiâ pauciores indies inquilinos numeret. Angeli quoque Custodes de vobis conqueruntur; quorum custodiam & assistentiam, quâ liberos vestros protegunt, frustramini. Sancti etiam, quibus Socios subtrahitis æternæ felicitatis, vobis indignantur. Civitates, Respublicæ, & omnes Populi in vos concitantur, utpote qui à vestrâ educatione majora bona, quàm ab ipsis adeò Legibus exspectabant, nunc autè spe sua excidunt. Quæ omnia, si vos nec dum movent, ipsi filii vestri, quos scandalizatis, vos execrantur. *De Patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrium.* Et quodnam est hoc opprobium? certè temporale non est, quod citò transeat, sed sempiternum, quo miseri in Inferno æternùm obruentur, ubi damnationis sententia in eos fuerit lata. *Evigilabunt in opprobrium, ut videant semper.* Hac ignominiâ ac dedecore circumdati, hoc opprobrio dehonestati, æternùm lamentabuntur Filii malè educati & contra Patres Matrésque, malæ educationis causas principes, questus ingeminabunt. Execrabuntur sinum illum, qui eos concepit,

Eccli. 4. 10.

Dan. 12. 2.

pit, ubera illa, quæ eos lactârunt, diem illum, quo in lucem effusi sunt. *De Patre impio queruntur filii.* Utinam, exclamabunt miseri, hæc nobis sors obtigisset, ut Patris loco Pardum, & loco Matris Leænam nacti essemus: saltem ab his non didicissemus Deum blasphemare, & vitam vivere homine Christiano indignam. Quòd si nos vitâ corporis exuissent illam nobis mortem intulissent, quam totâ æternitate quæsituri, nunquam sumus inventuri; non illam, quam æternùm fugiemus, quin ab illâ unquam vel passum unum recedamus. Totus amor, quo nos prosecuti sunt Parentes nostri, aliud nihil spectavit, quàm ut in terris commodiùs viveremus: at quam utilitatem ex omnibus vitæ hujus commodis habemus, si cælo excidimus? *De Patre impio queruntur filii;* nec sine ratione; cùm hujusmodi Patres carnificum ipsis Dæmonibus crudeliorum munus exequantur. Certi estote, quòd, si cum Filiis vestris in inferno carcere compingemini, non alium, quàm Filios vestros Cacodæmonem magis truculentum habituri sitis, nec alium Filii vestri, quàm vos. Quæ cùm ita sint, muneris vestri ratio aliam curam, exactiorémque diligentiam requirit, quàm Filiis vestris educandis impendatis. Primo illos die Domino Deo offerte, & postmodum eos ceu res illius custodite, ac ante alia omnia Christianorum Mysteriorum, & rectè vivendi cognitione imbuite. Donec & ipsi, & vos salutem consecuti (ipsi per obedientiam vestris imperiis præstitam, vos per bona exempla ac monita salutaria iis exhibita) per omnia æternitatis sæcula mutuis benedictionibus gaudeatis, ac in cælesti gloriâ domum ac familiam stabiliatis sine interitûs periculo æternum perennaturam.



DISCUR-

DISCURSUS XV.

De geminis aliis peccatis, quæ in Edncatione filiorum admittuntur.

SApientum effatum est, omniû Gentium cõsensu receptum, non posse filium ex æquo Parentum beneficia compensare. *Quidquid fecerit filius, nihil beneficius à patre acceptis dignum fecit.* Huic communi doctrinæ non repugno, sed ut veram amplector, eámque meo assensu affirmo. Scire tantùm aveo, quale bonum sit vivere, si non vivitur bene? *Non est bonum vivere, sed bene vivere.* Ethnici vox est, in tenebris suis veritatem hanc agnoscentis. Parentes corpus nobis dederunt, hostem domesticum Spiritûs, & in peccato nos genuerunt; & dum membra peccato originis infecta nobis subministraverunt, quibus cùm Anima strictissimâ unione colligatur, simul omnium vitiorum materiam suppeditârunt; unde Anima, quæ in Dei manibus est purissima, cùm carnem nostram subit, illico redditur immunda. Quantùm repeto, igitur beneficium est hoc, si Parentes gravissimam hanc calamitatem bonâ educatione non emendent? nec omni contentione studeant, ut plagæ illæ ac vulnera, quæ ab illorum, manibus, etsi non id spectantium, inflicta fuêre, cicatricem obducant? reverâ, quantumcunque sit beneficium, vitam à Parentibus accepisse, est tamen oppidò imperfectum; & ideo, ut ad suam perfectionem perducatur, & omnibus absolvatur numeris, aliis duobus non levibus peccatis obviandum est, quæ in præsenti proponere decrevi, quæque ubi à vobis emendata videro, tunc enim verò credam, quòd titulum Patrum ac Matrum ex vero promereamini. Sunt autem hæc duo: primum: Negare filiis libertatem, quam jure concedere oporteret; alterum verò; libertatem iis concedere, quam jure oporteret iis negare. A primo ordiamur.

Arist l. 8. mor. c. 10.

Seneca l. 3. de benef. c. 9.

I.

II. Libertas, quam filiis concedere oporteret, negari autem perfrequenter solet, est illa, quâ vitæ statum, ad quem ipsi inclinatione suâ feruntur, eligere liberè possint. Erit quandoque Patrem reperire, qui in coronâ filiorum suorum jam grandiusculorum vesperi ad ignem consideat, ac cum uxore suâ hujusmodi colloquium occipiat: Hunc (& ex maribus natu maximum designat) destinamus Sacerdotio; alteri de uxore providebimus, ut familiam propaget. Ex duabus filiabus natu majorem matrimonio illigabimus; alteram ad nostræ domûs usus nobiscum retinebimus, & sic sumptibus, quos in ancillam semper alendam

dam expendere necessum foret, parcemus. Verùm parciùs ista. Est hoc, ex panno alieno sibi vestem concinnare. Quis vobis Patribus tantum contulit auctoritatis in voluntates filiorum vestrorum? Si ille, quem vos Sacerdotem vultis, lapsu temporis amoribus implicetur, malis artibus animum adjiciat, nec diem intermittat, quo non innumeris sese Immunditiis inquinet; an non hujusmodi filium vestrum perpetuo castitatis vinculo obligare, idem est, ac catentâ eum igneâ constringere? Et si filia illa minor, exemplo vestro incitata, quod à vobis, eodem lecto maritali concumbens (neque hîc plura à me petite, ne quædam in medium afferam majore Zelo, quàm prudentiâ; cùm non semel hodie non Dæmonum, sed Parentum magisterio liberi primò condiscant nequitiam) accepit, ipsa inquam illa filia minor, quam servam domesticam vultis, suomet ingenio maritum fictitium sibi inveniat, cui legitimum dare renuistis: an non, dum domo eam vestrâ concluditis; pro salario, quod tanquam famulæ debetis, æternam damnationem appenditis? Et si utraque hæc anima vestrâ destinatione sempiterno exitio involvatur, quis, nisi vos, qui ad interitum utriúsque tam strenuè operam vestram junxistis, ad Dei tribunal rationem dare compelletur? Revera nullum est negotium momenti majoris, quod tamen minori curâ & clausis velut oculis peragatur, quàm statûs electio. Filii cæcorum more ductum Patrum sequuntur; & Patres apertis oculis solum, quod vocant, Interesse, & lucrum suum sectantes, Filios in fossam ejusmodi præcipites agunt, ex qua per totam deinceps æternitatem non sint emersuri.

III. Id quod præcipuè in statu Sacerdotali manifestum fit, in cujus electione quandoque plus satis apparet, quòd nec Patres nec Filii satis intelligant, quid sit, esse Sacerdotem; cùm hi, rebus minimè perpensis, ad Sacros Ordines accipiendos accurrant; illi autem ad eos suscipiendos impellant, solius emolumenti temporalis inde colligendi studio. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron:* dixit Apostolus, & hoc tam procul omni dubio, quòd nullus debeat officium ac munus gravissimum suscipere, nisi manifesta à Deo vocatione excitatus, ut S. Paulus pro eo quòd hanc veritatem commendaret, tanquam in usum deducendam, jam præsupposuerit, eam in usum deductam, & hinc usus non est verbis imperativis: *Nemo sibi sumat honorem:* seu nemo tam sit audax ac præsumptuosus, qui hujusmodi dignitatem sibi arroget, sed verbis solùm assertivis: *nemo sumit.* Utinam de nostris etiam temporibus verum esset, id quod de antiquis! primis Ecclesiæ temporibus multâ industriâ inquirere oportebat in eos, qui munus adeò sublime ac difficile in humeros suos admitterent, & tantùm non vi illatâ initiandi erant; dum sub ipsum initiationis actum in gemitus effusi toto corpore contremiscebant. Nunc ve-

Hebr. 5. 4.

rò tremenda hæc dignitas eo loco habetur, quo sordidum opificium, majórque pars Christianorum Parentum sacro Altari non verentur uti pro Basi, quâ fulta eorum Domus ac Familia aliquanto altiùs surgat. Non nego, esse perquam multos ex Clero, qui munus Sacerdotale pro dignitate sustineant; forsan autem non æquè multos inveniemus, qui ad illud, quâ decet, viâ ac modo pertigerint. Certum esse reor, repeti illa à Deo verba posse, quæ per Jeremiam protulit: *non mittebam Prophetas, & ipsi currebant.* Notate vocem *currebant*; neque enim contenti erant gradatim ascendere, ad solium tam sublime; sed pleno cursu eo ferebantur, cùm per saltum promoveri eò jam non possint. Volo dicere, nonnullos ætatem communi jure stabilitam procuratis Dispensationibus præcurrere, & speciosum devotionis titulum obtendere; reipsâ autem aliud nihil, quàm stipendii accelerationem quærere. Quin etiamsi concedamus illorum vitam, Prophetarum & Sacerdotum esse, Prophetarum tamen, & Sacerdotum Vocatio hæc non est. *Ipsi regnaverunt, & non ex me.* Et quid minùs est rerum ordini conveniens, quàm velle hominem suâmet voluntate ad statum naturâ suâ superiorem ascendere? Aer suâmet virtute nunquam fit ignis: sed solem, à quo immutetur, exspectat. Sic etiam Deus non vult, ut suis quisquam pedibus ad dignitatem humanâ majorem, qualis est Sacerdotum, se efferat, per Aularum vestibula circumcursando, donaria offerendo, libellos supplices porrigendo &c. sed vult, ut quisque expectet, donec assumatur tanquam Aaron à Deo: *Applica ad te Aaron.* Vult, ut ipsi unusquisque liberum relinquat, cujus velit virgam florere; non vult, ut artificio quodam flos è virgâ, ex se non florente, progeneretur, eâ ferè ratione, quâ hortulani nostri vel repugnante anni tempestate plantas florere faciunt. Verùm enimverò, monita hæc, quæ Sanctis omnibus identidem in ore erant, tanquam summè necessaria & omnino observanda, hòdie ut anilas scrupuli explodantur. Nec enim animum advertere lubet ad periculum, cui se exponit, qui sine debitâ vocatione ad Sacros Ordines se intrudit; & in negotio verè maximo Dei voluntatem non exquirit, sed solam in consilium adhibet Ambitionem, aut Avaritiam, aut imperitorum Parentum judicium, qui tum se fortunatos somniant, cùm vel ipsam Ecclesiam suæ familiæ commodis stipendiariam, aut famulam viderint. At væ filiis illis, qui hac in re parentum suorum consilia audiunt! in fine sentient, quòd ducibus viæ suæ infidis sint usi.

Jerem. 23. 21.

Ezech. 13. 4.

Os. 8. 4.

Exodi 28. 1.

IV. Insulæ Taprobanæ populi, cùm notitiâ magnetis destituti essent, & tamen navigare vellent, aves quasdam adhibebant, quæ, ubi è navi liberæ dimissæ erant, naturali isto instinctu, quo ad vallem suam repetendam ferebantur, ad terram revolabant, eásque navigantes sequebantur. Verùm advertite, quàm infelix esse soleat eorum conditio, qui ab iis se duci sinunt, qui rationis usu destituuntur. Illæ ipsæ

volueres, etsi volatu suo ostenderent, ubi tellus esset, non littora tamen, non portus, aut maris sinus indicabant: unde fiebat, ut miseri Naucleri, præeuntes secuti, non rarò in scopulos impingerent, & diffractâ navi mergerentur. Idem prorsus contingit illis, qui absque Stellarum cogitatione mari se committunt, seu, quod idem est, statum quendam arripiunt, eúmque periculosum, à Deo non vocati, solámque humanis se motivis regi patiuntur; qualia sunt, auxilio cognatis esse, opes in familiam titulósque inferre. Hi naufragium passi, aut, ut clariùs dicam, æternæ beatitudinis jacturâ mulctati serò nimis intelligunt, longè se aberrâsse, quòd Cælum & os Domini in negotio gravissimo non interrogârint antè, quàm illud aggrederentur. nec iis usi sint mensuris, iis artibus, quibus solis in portum tutò appellere conceditur. Quod autem de statu Sacerdotali dixi, proportione quadam de omni alio dictum esto. Quare nulli non Patrum incumbit, ut filiis suis seriò inculcet: ut commendent se sæpius Deo, quò suam voluntatem manifestare dignetur; ut Pœnitentiæ & SS. Eucharistiæ Mysteriis crebriùs usurpandis se addicant; ut Imaginem etiam quandam Sanctissimæ Matris Virginis, piis colentium studiis celebrem, piè visitent, eum in finem, ut in opere summi momenti expediundo, & à quo quasi totum dependet salutis nostræ negotium, dirigi mereantur. Christiano siquidem post Gratiam finalem, nulla à Deo major conferri potest, quàm si detur illi, bene inchoare, idque vitæ genus amplecti, in quo Deus illum vult vivere; & sic Divinam ejus providentiam in omnibus sequi: non autem temerè illam præire, nec tam duci velle, quàm ducere.

V. In hac ipsâ materiâ alius quispiam error non levis momenti mihi occurrit, quem contra filiorum libertatem committitis; & est, cùm, etsi eorum electionem non impeditis quoad vitæ genus, in eo tamen filium aut filiam collocare vultis invitos ac repugnantes. Erit nonnunquam, quem non pudeat sexcentis minis, & manu baculo armatâ cogere filiam, ut huic potiùs, quàm illi nubat. Nisi consenseris, dicet, neque tu patrem me porro compelles, nec ego te filiam credam. Unde necesse est, ut cervicem inclinet misera, & jugum subeat sanè quàm molestum; Maritum inquam ferat, invitæ obtrusum. Quid autem? An Parens injustus gravi dein religioni sibi ducit, injuriam tam palmarem intulisse? tantæ omnino, & non majori, quàm si restitantem asinam huic potiùs, quàm illi arbori alligâsset. Nascuntur subinde ex Matrimonio ejusmodi coacto tot peccata, adulteriorum, odiorum, discordiarum, quin & cædium nonnunquam ac machinationum, ut Parentem, si priùs ea secum animo reputaret, marmore oporteret duriorem esse, si ferre ea posset, ne dicam, si auctor eorum esse vellet. Sacrosanctum Tridentinum Concilium anathemate illos Parentes ferit, qui filias suas invitas ac repugnantes ad vitam Monasticam compellunt,

pelluut. Unde, licèt dici non possit, hanc ipsam pœnam etiam in Parentes extendi, qui huic potiùs, quàm illi marito nubere compellunt, rectè tamen inde universim colligitur, quàm cordi sit Matri Ecclesiæ, ut sua filiis libertas constet, quod maluerint vitæ genus eligendi. Hoc posito, in nullo unquam casu licitum est, filiam filiumve matrimonio elocare, nolentem ac repugnantem: imò ne precibus quidem importunis ita fatigandi sunt, ut à vi illæ nihil differant; in puellis præcipuè, quæ naturâ suâ præ maribus timore ducuntur. ac verecundiâ. Quòd si concessum nunquam est, eum filiæ maritum obtrudere, quem illa non vult; rarò quoque licitum erit, eum illi maritum negare, quem illa vult, præsertim, ubi aliqua jam promissio interceserit. Et tamen nunquam ferè Parentes desunt, qui id agant: nec id tamen culpæ sibi ducunt, vel ex immani illâ ignorantiâ, quacum adoleverunt, vel ingenti cæcitate, quam opum cupiditas & amor inducit, qui unus in his litibus Arbiter eligitur; Arbiter sanè haudquaquam legitimus, utpote unius tantùm, & non utriusque partis optione ad arbitrandum lectus.

VI. Negari quidem non potest, quin à liberis prudentia & officii ratio postulet, ut Majorum suorum, utpote expertorum, consilia hoc in negotio audiant; confidántque, plus se, obedientiæ merito, felicitatis à Deo in ejusmodi contractibus consecuturos. Ubi tamen ipsi à Parentibus eâ in re dissenserint, fixum ratúmque esse debet, quòd nullo jure, nec absque gravi peccato cogi possint ad abdicandum se communi cunctis libertate. Suessione Galliæ civitate, nobilis ordinum Ductor filiam habebat, formâ ad miraculum insigni: hæc à multis expetita in Sponsam, Patris sui destinatione cuidam & malitiâ & natalibus claro Juveni erat desponsata. At filia, quæ alium quempiam adamaverat, diserte profitebatur, se conjugio à patre sibi proposito nunquam assensuram. Ingens hinc in familiâ dissensio. Affirmabat filiæ parer: Fidem ego meam obligavi: standum omnino promissis est: eum tibi, quem petis, maritum concedam nunquam; cùm ille & opibus, & familiæ suæ splendore nobis æqualis non sit. Puella vicissim reponebat. Obligaveris, Pater fidem tuam; at non ego meam: si maritum, quem opto, habere me non permiseris, ratum fixúmque est, vim mihi meis manibus inferre, & invisam vitam abrumpere. Et hæc sua dicta jurejurando identidem affirmabat. Adeò ut ad definiendam tandem litem necesse habuerit parens filiam ad sanctum Antistitem Arnulphum adducere, eique controversiæ arbitrium permittere. Audite sententiam viri Sancti & Deo pleni! ad patrem enim conversus ajebat: æquum non est, ut filiam invitam matrimonio jungas, eique maritum, quem tam instanter efflagitat, neges: tempori oportebat invigilare, ne amorem hunc versùs Juvenem illum conciperet. Deinde filiam consultus & tu, inquiebat, habebis, quem vis: bre-

breve tamen tuum erit gaudium. Et ita omnino evenit. Maritus enim, quem deperierat, non multo pòst tempore occisus viduam reliquit, vixdum Sponsam. Hinc discant velim Patres, filios suos non privare libertate; filii autem non ita cæcis animi sui moribus inhærere, nisi velint ist us suæ inobedientiæ serâ pœnitentiâ tangi, dum libertatis suæ prærogativâ abusi sunt, quæ quo est nobilior ac præstantior, hoc minus illi sine consilio fidendum.

II.

VII. Ut autem hæc ita sint, novimus tamen, vim illam, quam Patres filiis suis inferunt, dum status eligendi libertatem iis præscindunt, minùs esse frequentem ac usitatam. Aliud est, quod animum meum acerbè vulnerat; Libertas nimirum illa, quæ in omni ferè familiâ nimis quàm indulgenter filiis permittitur, eáque triplex, videndi nimirum, conversandi, & sine arbitro inter se agendi. Unde fit, ut miseri, obtentu matrimonii conciliandi, quandoque non agant minùs, quàm vinculo matrimonii jam constricti. Abusus ipse ante alios omnes mihi dolet maximè, & necessitatem imponit cum Propheta ingemiscendi: quis dabit mihi fontem lacrymarum, ut plangam innumeras, quæ quotidie plures hac abyssomerguntur, Animas. Prima libertas est, *Videndi*. Si quod tempus est, quo filias custodire oportet, tempus est adolescentiæ, ait Aristoteles. Ratio est, quia ex unâ parte ætas illa insoliti quasi voluptatum fame stimulatur; ex alterâ, quòd voluptatem nunquam experta sit, eam sibi longè suaviorem repræsentat. Quâ de causâ nulla Parentibus custodia videri tunc debet nimia; & quemadmodum illi, qui in Canticis Canticorum super sorore adhucdum viro immatura consilium inierunt, non antè dixerunt: *Soror nostra parva est, & ubera non habet*, quin illico subjungerent pleni zelo: *quid ergo faciemus sorori nostræ?* id ipsum facere etiam vos par est. Filiam habemus, deberent Parentes ad invicem dicere, in ipso primæ ætatis flore. Sororem habemus, debetis & vos fratres dicere, ætate omnium maximè lubricâ adolescentulam: quid igitur faciemus, ut ne extra custodiam sit? Verum est, videtur dotata egregiâ indole, ut spem faciat, statutam murs instar ad omnem assultum solidissimam. Nihilominus tamen magis securos nos reddamus: *Si murus est, adificemus super eum propugnacula*. Faciamus antemurale, ne videatur; neque enim ulla cura, custodia ulla, quæ puellam satis custodiat, supervacanea est. Sapiens quidam Spartanus, cùm Thebanæ civitatis muros undiqne altissimos contemplaretur, interrogatus, an mœnia satis alta crederet? prudenter respondit, satis alta non esse, si deberent fœminas custodire. Adeóque, *si murus est, adificemus super eum propugnacula*. Oportet, non solùm illas custodire ab oculis externorum, sed ab oculis etiam domesticorum: ad imitationem sapientissimæ Judithæ, de qua S. Spiritus affirmat, quòd non solùm in publico videndam se non exhibuerit, sed ipsa quoque domi suæ velut in eremo vixerit; *In superioribus domus*

Cant. 8.

Judith. 8. 5.

domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur. Et tamen Patres Matresque non solùm periculosæ hujus ætatis filias non includunt, sed ad fenestras liberum iis prospectum permittunt, quin & subædium foribus, quantum volunt, oculorum otium: quin, quod adhuc pejus est (audebóne dicere?) quin quod adhuc pejus est, ipsimet Parentes in omnem occasionem invigilant, quâ eas discoopertâ fronte, facie minio depictâ, sinu, brachiis & humeris mediam partem nudis ad choreas ceu publicum mercatum oculorum (plus non dicam) & desideriorum deducunt. Hoc faciunt Parentes Christiani, Turcæ non faciunt. Ita est, Turcæ, quos imò novimus in hac filiarum custodiâ, præquam ulli alii sint, solertissimos) non faciunt. Faciunt Parentes Christiani, postquam sacro in Baptismo polliciti sunt, renunciare Mundo & Diabolo, & postquam tot annos Legem talem professi sunt, quæ summam filiorum curam iis inculcat.

VIII. Verum quid mali est, dicetis, filiis ac filiabus libertatem se mutuò contemplandi concedere? Quid mali est? Imò non errabit, qui omne malum dixerit: *Nequius oculo quid creatum est*? clamat Spiritus Sanctus; & vos dicitis; quid mali est, si juvenes oculis procentur? cui credam? vobis? an Divinæ Sapientiæ? Medici à nullo magis sensu dispositionem corporis bonam malámve colligunt, quàm ab oculis: *Nullâ ex parte tot signa, quàm ex oculis accipiuntur:* verba sunt Hippocratis, Medicorum Principis. Mihi credite, hac eâdem regulâ in animi quoque habitu utendum est, an sanus ille, an infirmus sit ac debilis: *Ut valent oculi, sic totum corpus*, ait ille, &, *ut valent oculi, sic tota anima*, vos dicite. Si sincerum de conjugum vestrarum honestate judicium ferre cupitis, illarum oculos observate & de integritate aut dissolutione argumenta habebitis minimè fallacia. *Fornicatio mulieris in extollentiâ oculorum agnoscetur*, dicit Spiritus Sanctus, *& in palpebris illius.* Difficile omnino est, videre & non desiderare! & tam difficile, quàm difficile est, sclopetum in foco ignem concipere, & illum intra non propagare. *Visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus.* Et hoc longè magis quando non obiter tantùm, sed meditatò, & per moram aliquid contuemur. Nam, si quandoque contingit, ut forma illa, quæ oculis delibatur tantùm, aliquam cordi violentiam inferat, quam vim faciet, quæ quasi ex destinato respicitur? Aspectus itaque, cogitatio, & desiderium velut annuli quidam catenæ sunt, attracto uno omnes sequuntur. Unde fit, ut rara omnino illa peccata sint, quæ non ab oculis originem suam trahant. Quâ de causâ sapientissimè Seleucus, Locrensium Legislator, statuit, ut adultero gemini oculi eruerentur; quia, dicebat, ad mali radicem fodiendum est, ac curandum, ut primi sint ad pœnam, qui primi fuerunt ad culpam. Certum est, quod S. Scriptura oculos nostros præcipuè reos agat peccatorum nostrorum,

Eccl. 31. — Epid. sect. 4. — Eccli. 26. 12. — Valer. Max. l. 6. c. 5.

l. 1. epid. sect. 20.

rum, dum exempli gratia non idololatras fornicatorum nomine compellat, sed oculos eorum : *Contrivi oculos eorum, fornicantes post idola sua.* Non nequam Invidos, sed oculos eorum : *Nequam est oculus lividi.* Non Avaros insatiabiles, sed insatiabiles oculos eorum. *Insatiabilis oculus cupidi.* Non turbatos Furentes, sed turbatos oculos eorum : *Turbatus est à furore oculus meus.* Et universim loquendo omnis Legum transgressio, transgressio oculorum compellatur : *Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat,* & omnis abominatio animæ abominatio dicitur oculorum. *Unusquisque abominationes oculorum suorum non projicit.* Quam veritatem toties Scriptura repetit & inculcat, ut aliquando tandem capiamus, & refrenando oculos, omnibus aliis peccatis fores occludamus.

Ezech. 6, 8.
Eccli. 14, 5.
Eccli. 14. 9.
Ps. 6, 8.
Ezech. 20.
ibid.

IX. Quid dicitis ad hæc ? an adhuc audebitis mendacium tam enorme effari, quale est, libertatem, quæ ad mutuos conspectus juvenibus indulgetur, innocentem esse, & periculo vacuam ? quisquis hoc dixerit, Divinam manifestè sententiam impugnat. Unde omnino verba Ecclesiastici firmissimâ custodiâ tenete : *In filiâ non avertente se, firma custodiam.* Cùm filiam habetis, quæ videntium se oculos non subterfugit, ex oculis eam vestris non dimittite : *firma custodiam* : secus enim, cùm occasionem mali faciendi nacta fuerit, certò illam arripiet : *ne inventa occasione utatur se.* Neque hoc solùm ; sed quamcunque oculorum levitatem in eâ notaveritis, nolite fidere : *ab omni irreverentia oculorum ejus cave.* Quod si non feceritis, certi estote, quòd si postmodum vestris eam desideriis obsequentem volueritis, protervè restitantem & insigniter contumacem sitis habituri : *ne mireris, si te neglexerit.* Ita DEUS ore Ecclesiastici.

X. Et utinam malum, de quo dixi, non ultra progrederetur ! siquidem Parentes contenti non sunt hac solùm ratione Juventutem perdere. Præterquam enim, quòd se mutuò contemplari liberè possint, omnem insuper facultatem nanciscuntur, quâ familiarissimè, & velut domestici essent, colloquantur, & commorentur. Quotidie circa vesperum fores panduntur, & quotquot vicini Juvenes sunt, liberum habent aditum. Qui si non suâ sponte veniant, invitantur. Considetur ad lumen tenue, & vix lumen. Non linguis tantùm, sed & manibus campus excurrendi ubertimus patet. O abusus non deplorandos tantùm, sed execrandos ! Quærunt nonnulli, quo idiomate, quibúsve verbis locuturus puer esset, qui in sylvâ inter feras lactaretur, quin unquam hominem loquentem audiret ? Est, qui respondeat, locuturum hujusmodi hominem linguâ Hebraicâ, quæ non solùm omnium prima fuit, sed ante diluvium toti Mundo communis. Res tamen ipsa est ; hujusmodi parvulum nullo idiomate locuturum, ut qui nullum didicisset ; id quod in iis experimur, qui surdi nascuntur. Quid hinc infero ? mecummet ipse perpendo, quam malitiam nôsset filia quæpiam, quæ semper secum sola constitisset : credo, nul-

nullam; è domo Patris sui ad domum mariti excederet talis, qualis ad domum Patris à sacro Lavacro rediit: *Erras*, Senecæ verba sunt, *si putas, vitia nobiscum nasci; ingesta sunt.* Quâ igitur aliâ portâ Cacodæmon ingrederetur, si hæc, quâ de loquimur, bene clausa foret? Ex quo facilè colligitis, quanta Patribus Matribusque reddenda ratio incumbat, qui non solùm januam hanc non occludunt, sed suis cardinibus movent, ut occludi porrò non possit; & pro eo quòd in amores & procos invehantur, omnem iram exonerant in illos, qui abusus ejuscemodi execrandos insectantur. Dici non potest, quantum roboris ac efficaciæ habeat ad immutandos mores familiaris conversatio. Sint immaculati, sint innocentes filii vestri, sint ipso etiam argento candidiores, mihi credite, non durabunt, ætatem non ferent. Etiam argentum, cùm manibus tractatur, nigrescit. Oculos vestros parte unâ in DEI Matrem convertite, quæ ad vocem Angeli turbatur: *Turbata est in sermone ejus:* Ex alterâ parte Evam respicite, quæ ad vocem etiam serpentis non perturbatur; & agnoscetis, quodnam prudentem inter & stultam filiam sit discrimen. Filiæ, quæ ingenuæ sunt, etiam suos domesticos verentur, & in præsentiâ fratrum quoque ruborem in vultu produnt. Quæ verò stultæ sunt, etiam, cùm personatum diabolum contuentur, non expavescunt. Ex quâ impudentiâ ominari aliud nihil licet, quàm jacturam honestatis non æstimatæ, familiarum interitum, famæ & animæ exitium.

Epist. 9, 4.

Eccli. 16, 11.

Luc. 1, 19.

XI. S. Antoninus die quadam Florentinam urbem perambulabat, & cùm fortuitò oculos levaret, paupere super tecto chorum Angelorum, festivè tripudiantium, conspicit. Notavit plateam Sanctus, & in eâ domum; &, cùm in habitantium conditionem inquisivisset, intellexit, quòd eâ honestissima quædam vidua cum tribus omnino filiabus moraretur, tantâ in paupertate, ut sine calceis, neque cæterâ bene vestitæ, dies noctésque insumerent ad vitam necessario victu producendam. Facilè divinabitis, cùm Sanctus hic Archiepiscopum in alios quoscunque pauperes liberalem se exhibuerit, in has se, ut ita dicam, prodigum exhibiturum. Crumenam nummis implevit, & ad Matrem destinavit, cum dicto: bono esset animo, neque enim aut ipsam, aut filias, quàm diu quidem ipse Archiepiscopus foret, porrò cum egestate luctaturas. Verùm, quis crederet? hoc loco eleemosyna in venenum cessit. Juvenculæ enim, jam decorè vestitæ cùm non egerent, omisso labore, ad fenestras excubabant, & sub matrimonij prætextu in omnem viciniam procaces oculos dimittebant; quo factum, ut tres istæ columbæ paucos intra dies in noctuas degenerarent. Pauci menses abierant, cùm B. Antoninus eâdem plateâ transiens in Viduæ memoratæ domum, tectúmque oculos conjicit. At, quantum mutata rerum facies! Vidit jam non cælestis aulæ Genios, sed averni damnatos spiritus, qui fatuorum instar in tecto saltitabant. Causâ tantæ mutationis cognitâ omi-

sit & ipse beneficentiam suam, quam in animarum exitium cedere intellexit, oleúmque lampadi subtraxit, quæ, pro luce gratâ, turpem fumum diffundebat. Quid autem agebant domus hujus filiæ ? Haud sanè dimidiam partem malorum, quibus filiæ modò vestræ conspurcantur. E fenestrâ prospiciebant vagæ oculis, nihil aliud; non colloquebantur diu noctúque cum Amasiis : non in ædes suas illos evocabant, non ad latus iis assidebant, non manus eorum stringebant : & tamen Cacodæmones illarum in recto saltitabant. Oportebit igitur dicere, non solùm saltitare supra domorum vestrarum tecta Dæmones, sed & in ipsis penetralibus, ad focum vestrum, ad quem omnis generis spurciloquia audire est; sub foribus, sub quibus quandoque plus manus habent, quod agant, quàm linguæ; in stabulis, ubi fiunt, quæ bestiarum sunt; verbo, nulla non ædium vestrarum parte suis stygem saltibus & choreis indulgere.

XII. Quid si autem præter videndi & discurrendi libertatem filiabus etiam conniveretis, ut solæ cum solis agerent ? an non miraculo opus foret, ut non contaminarentur ? quis autem credat, fore ut Deus miraculum faciat, quo licentiam hanc aut malè quæsitam, aut malè concessam confirmet, ac illam defendat, quæ nullâ causâ manifesto sese periculo expo-
Eccli. 22. suit ? *Quis miseribitur Incantatori à Serpente percusso* ? Nemo illum miseratur, qui obstinato animo ipse suum sibi malum accersit. An quis sine horrore videat, Juvenem solum cum solâ loqui in angiportu, in sylvâ ab hominibus remotâ ? S. Bernardus non se tenet, quin exclamet : *Intras solus ad solam ! vah, vah ! lupus ad oviculam:* Et vos sine timore estis ? ac dicitis, sic consuetudinem poscere, sic moris esse ? Quid juvat, filiabus identidem occinere, ut honestatis rationem habeant, si interea omnem eis ansam ad vitia subministratis ? famelicos ad mensam lautè instructam adducitis, & jejunos eos subinde assidere jubetis. Quid prodest, cùm visitantur, reverentiæ admonere, quas interim solas sine arbitro relinquitis ? Sepem circa hortum tollitis, & vicinos, ne damnum inferant, exhortamini. An ignoratis, non alium in Mundo Diabolum potentius tentare, quàm malam occasionem ? Dæmon iste Dæmoniorum est. Unde Sancti, qui rei hujusce optimè gnari erant, non aliud magis formidabant. Quando S. Antonio Inferni illi Spiritus monstrorum specie apparebant, & modò velut ursi, lupi, ac leones, modò serpentium formâ in eum impetum faciebant, velut devoraturi; ridebat Sanctus, ac dicebat : plus satis apparet, quòd nullius roboris sitis, dum tam multi ad me unum venitis. Si quod vobis robur, si qua virtus esset, sufficeret vel unus; & sic omnes baculo fugabat. At verò ubi mulier ad cellam se stitit, tunc enim verò cohorruit, se abscondit, ad orationem confugit, clavem à serâ abstraxit, vectes & catenas obduxit, ut ne audiret quidem. Animadvertitis, quanto conatu viri sancti pravam occasionem declinent ? omnibus illam

Dæmo-

Dæmonlis magis metuunt; & vos dicitis: nullum subest periculum?

XIII. Acquiescerem, plura non dicturus, si nunquam ex maledictâ hac libertate aliud quid consequeretur, aut quod consequitur, non resciretur. Audimus autem sæpissimè, nunc de hac puellâ sermonem inferri, quæ cum pudore honorem suum perdidit; nunc de illâ, quæ metu Magistratûs sponsalia contraxit; mox de aliâ, quæ factâ pudicitiæ jactatâ manus omnium agnatorum armavit, quibus fixum est, infamiam nomini suo illatam vindicare. Fructus hi sunt indultæ illius libertatis, quam detestor; & eam non fugiatis? Africa regio est, quæ singulis ferme diebus nova in lucem monstra producit, quis nescit? rationem petitis, & causam? dabo. Regio est aridissima, quam pauca admodum flumina irrigant; unde fit ut feræ, quæ arenosas illas sylvas habitant, cùm urgente siti ad bibendum perurgentur, frequentes eodem loco conveniant. Et sic, utut diversæ sint speciei, dum consuetudine quadam quasi domestica sociantur, Leones cum Tigridibus, & Ursi cum Pantheris, Crocodili cum Draconibus, ejusmodi prodigiosos partus progenerant, qui magnam hanc Mundi partem infamem faciunt. Supersedeo apologo, quia pudet tamdiu de eadem re loqui, quam fieri potest non uni tantùm vestrûm infelici nimiùm experientiâ abunde innotuisse.

Aristot l. 8. hist. anim. c. 28.

XIV. Et ut hæc experientia abesset, fides saltem adhibeatur, ait S. Augustinus, aliorum experimentis, ac fateamur, omnium passionum maximè infrenatam ac indomitam esse Amorem. Duo omnium sapientissimi, quos Mundus habuit, ait Sanctus iste Doctor, fuêre Adam & Salomon; utrumque enim Magistrum ipse DEUS egit, cùm sapientiam plusquam humanam infudit: utrumque tamen infatuavit Amor. Adamus quidem in gratiam mulieris, pomo accepto, se, & omnem posteritatem suam perdidit, júsque, quo ipse cum omnibus posteris ad hujus alteriúsque Mundi possessionem gaudebat, uno bolo abligurivit. An major hâc stultitiâ inveniri queat? Salomon autem mulierum amore insaniens eo delapsus est, ut Dæmonem in idolis adoraret, tótque aras ac templa extrueret, quot Deos ipsius uxores venerabantur. *Depravatum est cor ejus per mulieres*, ait sacer textus, *ut sequeretur Deos alienos.* Quis unquam credidisset, à viro sapiente tam enorme facinus perpetrari posse? & tamen ita est. Quin, si tertium quoque his adjungi vultis, adjungam. Aristoteles, qui teste Averroë, ingenii acumine ac perspicacitate pertigit, quâ homini mortali fas est, amore tam insano amasiam suam prosecutus est, si Theodoreto credimus, ut non erubesceret, eam jam mortuam, Deæ Instar cælo receptæ, adorare, quæ tum cadaver bestiæ in fossam aliquam abjectæ tetro fœtore ac deformitate superabat. Pari passu Amor & Vinum procedunt: *Vinum & Mulieres apostatare faciunt sapientes*: sicut enim qui ebrius est, ad ea perpetranda impellitur, quæ sobriè potus, & expedito rationis usu nun-

l. 11. sup. Gen. ad litt. c. 42.

3. Reg. 11

Apud Pererium l. 5 de princip. c. 1. lib. 8. de cur. Prac. affect.

Eccli. 19. 2.

quam admitteret, sic Amans tam multa rationi dissentanea cœcus operatur, ut, si non amâsset, nunquam ad ea admittenda induci potuisset. In fabulis suis Antiqui finxerunt amorem, cùm adhuc parvulus esset, cum Stultitiâ aliquando jocatum fuisse. Hæc, ut vel ludibunda furit, alternos inter jocos, Amori oculos eruit; quo factum, ut in hujusce criminis pœnam, Amorem, quacunque jerit, deinceps ducere jussa sit. Pulcherrimè fabula hæc veritatem declarat, cùm amoris passio alio duce non utatur, quàm eâdem, quæ illum excœcavit, stultitiâ. Quî igitur fit, ut tantùm vos vestris Juvenibus fidatis, ut primò sinatis illos liberrimè inter mutui amoris indicia conversari; subindeautem, cùm jam ebrius amor est, solos cum solis majori temeritate agere permittatis? An illa passio, quæ mortalium sapientissimos excœcare potuit, puellam etiam ætate & judicio infirmam, & adolescentem perinde fragilem de statu sanæ mentis dejicere non poterit? nec creditis, strictissimam vos DEO rationem reddituros, quòd filios ac filias vestras in evidentia pereundi pericula incurrere volentes videntésque permiseritis? quod si eam à vobis DEUS expetiturus est, cur non in planam, magísque securam viam eos reducitis? usque adeóne crudeles eritis, ut cùm animas vestras, ac liberorum vestrorum impendio ac labore tam parvo in salutem asserere possitis, humeros oneri tam levi subducatis? *Peccant parentes, si filios à suspectis sodalitiis non separent*, tantóque graviùs peccant, quo hujusmodi sodalitia magìs fuerint suspecta. Neque necessarium est, suismet oculis videre, quæ fiunt turpia, ut impedire teneantur; sufficiet rationabili duci suspicione. Quæ autem motiva magis esse convincentia possunt ad suspicionem de ejusmodi conversandi modo concipiendam, quàm quæ adducta sunt hactenus?

Navar. in sum. c. 14 n. 1. S. Bon. de præcept. disp. 3 sect. unic. p. 6. n. 3.

XV. Saltem edicite, quo fundamento nitamini, cùm aliter, quàm dixi, operamini? fortassis, multorum similiter facientium exemplo? At, S. Eucherij doctrina est? *Quid nobis in illo DEI judicio proderit multitudo, ubi singuli judicabuntur?* DEUS, cùm sententiam aut pro vobis, aut contra vos ferret, non quæret, an alios secuti fitis, sed an se. Imò multitudo vobis incitamento esse deberet, ut contrà, quàm illa faciat, faciatis; quàm enim prudenter illam ut normam sentiendi quis sequitur; tam malè observat ut normam agendi. *Senti cum multis: operare cum paucis.* De Contemptu Mundi.

XVI. Solâ ergo notitiâ, quam de filiabus vestris habetis, nitemini, & tantum de illarum constantiâ vobis promittetis? Verùm an nescitis, illam solùm mulierem invictam esse, quæ non est oppugnata? Cælum Philosophi ideò dicunt esse incorruptibile, quòd contrarium non habeat. O quot personæ hoc modo sunt incorruptibiles! bonæ sunt, quia occasionem non habent, quâ malæ sint: de cætero, si quas insidias ex occasione amicus hostis strueret, vix uno die in suâ integritate persisterent.

XVII.

XVII. Multo minùs velim mihi reponi, filiam vestram admodum bene institutam, prudentem atque sagacem esse, ita ut sciat, dignoscere laqueos, siquos illi parari contingeret: fieri enim potest, ut talis quidem in præsentiarum sit, cùm sui etiamnum potens est, sed finite ut amare, & aliquem deperire incipiat, & videbitis eam non minùs quàm aliam quamliber, laqueis implicandam. Observatum est, belluas nullo alio tempore faciliùs in casses ac retia incidere, quàm cùm generandi stimulis perurgentur: tunc enim passione abripiuntur, ita ut omnia longè imperfectiùs cognoscant, quàm quovis alio tempore. Par conditio filiarum vestrarum est, utut nunc laqueos & technas perspiciant, amore tamen ita excœcabuntur, ut postmodum non tam prudentes atque sagaces sint in evitandis, quàm modo videntur. Demus etiam, suo illas Amore non excœcari, an non Amantes ipsi sufficient ad eas excœcandas? finite incipiant afferre dona; modò velum elegans offerant; aliàs vestem pretiosam promittant, aut aliud quippiam nundinarum tempore comparandum, & mox mira videbitis. Providi Ducis bellici effatum fuit: Nullam esse urbem arcémve tam munitam, quæ expugnari non possit, si mœnia quatiantur machinis conflatis ex metallo, quale Mexicum Carolo V. transmisit. Dicere nimirum volebat: donis sæpius oblatis omnem denique fidem cedere & expugnari. Et sapientis sit existimare, infirmum pectus fœminæ non expugnandum repetitis ejuscemodi machinarum ictibus, cùm satis constet, plures ex hoc sexu induci ad peccandum cupiditate habendi, quàm studio voluptatum? Unde sapienter olim Pythagoras: Aurum igne, feminam auro probari. Magna est mulier, quæ muneribus non vincitur.

XVIII. In quo igitur fiduciam vestram ponetis? forsan in illorum bonitate Juvenum, qui domos vestras percursant? Verùm ô vos miseros! si in his fiduciam vestram collocatis; etenim jure optimo quis dixerit, cannæ vos & arundini confractæ inniti. Hos namque plus quàm aliud quidquam timere convenit. In ultimo Septentrione ursi nullo magis tempore damnum afferunt, quàm hyemali: cùm enim colore sint candido, inter ingentia nivium volumina minus observantur, & minùs timentur. O quantò foret meliùs, meâ quidem sententiâ, si ædes vestras milites, aut aliàs libero vivendi genere suspecti Juvenes frequentarent, quàm isti in modestiæ speciem compositi: illorum enim justo metu filias vestras cautè admodum custodiretis; hi verò quia prudentuli videntur, & prætextu temporis fallendi domos vestras subeunt, aut ad vos tanquam sanguine juncti invisunt, quamvis plùs quàm ursi sint (adeò & versuti, & audaces sunt) quia tamen albi sunt, non timentur, & hoc ipso magis nocent. Nec, quia non initio statim hæc damna se produnt, ideò minus certò sunt eventura. *Spinæ*, ait S. Augustinus, *non pungunt in radice, & tamen quod pungit, ex radice procedit.* Sensim cũ spina in terrâ radi-

Olaus M.

In Isai. 1. 39.

radices egit, aculeos progerminat. Sic paulatim nascitur confidentia, & velut in re suâ, dominium ac possessio; nec pungitur tantùm, sed & laceratur honestas.

Quòd si postmodum puella gustum quendam peccati percepit (quod nimis pro dolor! frequens est) omnino aliud remedium, quo ad frugem reducatur, non supereſt, quàm commercium omne cum ejuscemodi Juvene recidere. Absque hoc enim omnia alia in irritum cadunt. Quàm se torquet, quàm in omnem se partem vertit cerva telo transfixa? & tamen, donec è plagâ sagittam extrahat, quid miseram juvat fugere? Ita quot consilia, alioquin bona, Confessarius suggerit? nihil autem his omnibus efficit, quoadusque latro ille domesticus procul esse jubetur. Et ideo *super filiam luxuriosam confirma custodiam*, ait Spiritus Sanctus, *ne quando in opprobrium faciat te venire inimicis*: nisi in tempore hanc procandi licentiam sustuleritis, sic crescet, ut in opprobrium vestrum indelebile tandem desinat. Cur igitur animo vestro necdum decernitis, illam tollere? an possibile est; ut datâ operâ somnum vestrum Serpenti proximi continuare velitis, & non potiùs ejusdem caput conterere? Quæ perversitas est, eò hodie rem devenire, ut tanquam mos laudabilis defendatur, quod tanquam certam Juventutis pestem junctis animis & viribus in ultimam Thulem relegare oporteret?

Eccli. 42. 11.

2. Thess. 3. 6.

XX. *Denunciamus vobis in nomine Domini Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre, ambulante inordinatè.* Denuncio & ego vobis in nomine Domini, quòd nisi filias vestras à gravissimis hisce periculis subtraxeritis, & vestras, & illarum animas æternùm sitis perdituri. Illarum quidem, cùm sit difficillimum, pestem non contrahere, & tamen auram pestilentissimis vocibus contaminatam attrahere, & exempla pessima, gestus turpissimos, ante oculos habere. Vestras autem, cùm filiarum vestrarum peccata vobis imputabuntur, qui ea tam facilè impedire & potuisseris & debuisseris, Servus, qui Herum à morte sibi inferendâ non prohibet, juxta Leges & Jura, rationem hujusce necis debet reddere. An non Pater & Mater rationem DEO reddent, qui mortem filiarum æternam non impediunt, quin & quotidianam ejus incurrendæ occasionem subministrant? Hæc mea denunciatio est, quid contrà reponitis? qua ratione in posterum suscipietis negotium hoc tanti momenti? an ego vos inter fidei nostræ amicos, an inter inimicos numerabo? *Qui suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*: ait S. Paulus: & argumentum illius hoc est: Aut enim hujusmodi Parentes credunt, quòd peccatum inter mala sit maximum; credunt, quòd Deus severissimo illud judicio sit examinaturus; credunt, quòd æternâ pœnâ sit multandum, quotiescunque non fuerit seriâ pœnitentiâ expiatum; vel non credunt? si non credunt, *fidem negarunt*, & infideles sunt. Si credunt, & nihilominus suis non meliùs consulunt,

l. cùm aliter §. si filii manus ff. de S. C. Silan. & Claud.

fulunt, *sunt infidelibus deteriores*, eò quòd non obstante tantâ cognitionis luce, agant nihil. Nisi malimus dicere, ideò Parentes hosce Infidelibus deteriores esse, quia deteriores sunt Mahometanis, qui summam honestatis filiorum curam & gerunt & profitentur. Audite me tandem, Dilectissimi, qui non aliud, quàm vestrum, vestrorúmque bonum promovere contendo, tollite istos abusus, latrones ac fures domesticos amandate, & sinite vobis tandem persuaderi, quòd unum ex præcipuis mediis salutis vestræ sit, recta Liberorum educatio, quos DEUS vobis eum in finem concessit, ut vos, quos ad statum matrimonialem vocavit, hâc viâ ad cælum perduceret. *Mulier salvabitur per filiorum generationem, si per manserit*, aut ut alii legunt, *si permanserint in fide & sanctificatione.* Salvabitis filios vestros, postquam generâstis eos, instituendo bonis moribus, & illi salvabunt vos, vestra monita accipiendo. *Mulier salvabitur per generationem filiorum, si permanserint in fide & sanctificatione.* Ita Deus ad communem omnium salutem largatur,

1. Tim. 2. 5. Vide Theophil. & Hug. in hunc loc.

DISCURSUS XVI.

De Obligatione Filiorum, ad exhibendum Parentibus honorem.

APud veteres Persas duæ res magno habebantur opprobrio; mentiri, & nomina sua non exsolvere. Quod attinet mendacium, non potest negari, oppido illud esse turpe; etenim si infamis est, qui monetam adulterat, jure longè majori infamis censebitur, qui cor adulterare præsumpserit. Quod autem æquè probrosum sit, sua debita non expungere, non ita manifestum est: siquidem hoc sæpenumero ex obærati inopia potiùs, quàm ex culpâ oriri potest. Unde Lex ista à rectæ rationis Tribunali probari, atque ut justa admitti non potest, nisi ista explicetur; quòd nimirum per nomina & æs alienum intelligantur beneficia; nomine autem obæratorum, Ingrati, qui suæ non respondent obligationi. Hi jure meritissimo humanæ generationis opprobrium compellandi sunt; cùm ejusmodi debitum non solvant, quod si alius solvendi modus non supperit, solo possunt animo expungere; amando scilicet illum, à quo boni quidpiam in eos derivatum est. Quod si ita est, inter abominabiles istiusmodi debitores meritò numerandi veniunt filii illi ingratissimi, qui ingratissimo tantùm animo ingens illud beneficium, quod nascendo à parentibus acceperunt, compensare velle videntur. Quæ me hodie causa impulit, ut

ut contra hoc filiorum genus linguam meam exacuam, eísque Summam debitorum suorum commonstrem; ex quo ipsi dein inferant magnam infamiam, imò grave damnum, quod debitum non reddendo in eos resultat.

I.

II. Tam manifesta est obligatio, quâ Parentibus originis nostræ causâ obstringimur, ut Aristoteles eum stultis annumeret, qui eam velit in dubium trahere; haud aliter, ac si quis disputaret, nixne alba foret, an non? Quapropter supposito hoc debito adillius partes ac conditiones descendamus, ut omnibus manifesta fiat. gravis illa Summa, cujus solutionem naturalis, perinde ac divina Lex imperat. Tria à parentibus accipimus, esse, alimenta, & educationem: & sic trium vicissim debitores constituimur: Parentes nimirum honorandi, alendi, & justis eorum imperiis obtemperandi.

Tom. l. 1. c. 11.

S. Thom. 1. 2. q. 100. a 5. ad 4.

S. Thom. 2. 2. q. 101. a. 3.

Abul. in Exod. c. 20 q. 17

III. Primò vitam nobis dant, & hanc accipiendo debitum quasi infinitum contrahimus honorandi & observandi eos, qui dederint. Inter maximas obligationes, quas natura inducit, illa est, quâ suis effectus causis obstringuntur. Esse principium naturæ & essentiæ alterius ut est maxima perfectionum, quas Deus rebus creatis confert, ita cultum & venerationem quasi divinam meretur, maximè in homine, qui à Progenitoribus suis vitam adeò pretiosam accipit. Et ideo non Sancti tantùm, sed Docti omnes, etiam verâ fide destituti, post obligationem colendi DEum Conditorem, semper primo loco cultum posuerunt, quem Parentibus debemus. Unde factum, ut Parentes magnis illis nominibus compellarentur, quibus modò Dii visibiles, modò Dii terrestres, aut, ut cum sapientissimo Philone loquamur castigatiùs, Creatores secundarii, aut Conditoris Imagines, quas suo loco super terram ipse statuit, appellati sunt; ut scilicet videremus sensibiliùs imperfectam ideam illius obligationis, quâ DEO primo Conditori ac Artifici nostro obstringimur. Quæ causa est, ut etiam in sacris Paginis cultus ille, qui Deo, & qui Parentibus debetur, conjungantur. *Qui timet Dominum, honorat Parentes, & quasi Dominis serviet his, qui se genuerunt.* Quasi non possent invicem seperari, cùm apud omnes locum Dei Parentes obtineant. Et hæc etiam ratio est, quare præceptum de honorandis parentibus primo statim loco post præcepta ad Deum pertinentia ponatur; ut scilicet intelligatur, quòd Patrem esse, sit res quæpiam confinis, & quasi media inter immortalia & mortalia. Ex unâ parte mortale est, spectando nimirum corpus, quod mediâ hac paternitate collatum est; ex alterâ verò, immortale quidpiam est, dum nunc repræsentat, & æternùm repræsentabit Paternitatem Dei Creatoris omnium. *Ex quo omnis Paternitas in Cælis & in terrâ nominatur.* Sic pari modo hoc præceptum in capite secundæ tabulæ positum est, ut homines intelligerent, inter præcepta, quibus proximum amare jubemur, primum esse, quo parentes honorare obstringimur; non aliter ac inter præcepta Charitatis

Plat. de leg. l. 11.

Stob. serm. 73.

In Decal.

Eccli. 3. 8.

Eph. 3. 15.

erga

erga DEUM primum illud est, quo Deum honorare jubemur. *Naturæ probatur affectus*, ut S. Hieronymus commentatur, *ut ordine charitatis, post rerum parentem, carnis Pater diligatur & Mater.* Jam verò honor iste non in foliis tantùm & floribus, cæremoniis dico externis, quæ parvo nobis stant, sed in fructibus operationum constitui debet, id quod DEUS ore suo nobis commendat: *In opere & sermone, & omni patientiâ honora Patrem tuum.* Examinemus igitur nonnihil filios ad normam istam, quam DEUS nobis offert ad illos dijudicandos.

In Ezech. c. 44.

Eccli. 3. 9.

IV. Inprimis vult Deus, ut Parentes omni genere patientiæ honorentur, *in omni patientiâ*, ut illi nostram illorum senectutem, supportando supportârunt pueritiam. Primum veri Amoris signum, juxta Apostolum, est Patientia, quâ, qui amat, sui suorúmque commodorum quasi obliviscitur, & totum se impendit Amato. *Charitas patiens est.* Et hanc perfectionem habet amor, quo Parentes in suam sobolem feruntur: id quod in ipsis etiam bestiis videmus, quæ maciem contrahunt in prole suâ educandâ, & inter millena pericula eam defendunt etiam cum propriæ, si necesse sit, vitæ jacturâ. Sic aquila, cùm pullos suos ab uno loco in alterum transfert, non eas unguibus arripit, sed tergo insidentes asportat; neque enim à sublimi quidquam timet, sed ab inferioribus; & ideo cùm à terrâ telum emittitur, priùs illo se, quàm pullos feriri desiderat.

Liran. in Deut. c. 32. ad ea verba; expandit alas suas

V. Amor autem Filiorum in Parentes quàm rarò ad eam perfectionem pertingit! Cùm enim aut Pater aut Mater tantillum consenescit, jam illos Filii aspiciunt, ut onus intolerabile; quo aliter levari se posse non credunt, nisi alis desideriorum ipsorum velociùs invecta Mors quamprimùm illos ex hac vitâ sustulerit. Despiciuntur in animo ut repueraścentes; à domûs gubernatione removentur tanquam imperiti: & nescio quam illis gratiam se præstare Filius arbitratur; cùm eos, à quibus vitam accepit, his identidem verbis affatur: Hoc vos agite, ut vivatis: regi autem vos sinite ab aliis. Verùm non iste modus est, quo debito nostro satisfacianus: *Fili susci pe senectam Patris tui, & non contristes eum in vitâ illius*, ait Dominus. Fili, exhibe te sicut baculum, ut regas atque sustentes Patrem tuum cadentem, & cave, ne unquam, dum vivit super terram, illum tristitiâ afficias. Si ætas senilis judicium illi nonnihil hebetârit, compatere. *Si defecerit sensu, veniam da.* Et utut viribus animi & corporis valere te sentias, cave ne spernas illum, ne in animo quidem: *& ne spernas illum in virtute tua*: quales enim, & quantas ineptias in infantiâ nostrâ illi pertulerunt! quantam plancțuum puerilium importunitatem! quos clamores, & ejulatus in nobis educandis! quàm difficiles & morosos experti sunt in rebus non nisi ad nostram utilitatem præceptis? An non igitur conveniens est, ut & nos parùm aliquid toleremus, si aut morbi miseriis fastidiosi evadant, aut ætate decrepiti redeant quandoque ad primam

Eccli. 3. 14.

Eccli. 13. 5.

infantiam ac balbutiem? *Retribue illis, quomodo & illis tibi*, pergit Dominus, magistrum ex integro professus utilissimæ hujus doctrinæ & summè necessariæ. *Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses.* Si Mare non fuisset, modò flumen etiam alveo tam lato ac pleno currere non videretur. Quod si igitur undas suas tribuarias ad originem, unde ipsum profluxit, denique non referret, nimis quàm ingratum argui posset ac deberet.

Eccli. 7 30.

VI. Et hoc longè magis ac studiosiùs observari debet, erga Matres inopes, quæ, quò plùs amant, tanto quandoque minus à Filiis suis redamantur; & quo plus patiuntur, tanto ab iis minus ipsi sustinent ac tolerant. Filius antequam patiatur, onus est matri suæ; cùm paritur, est dolori; & cùm genitus est, labori ac defatigationi, plus, quàm ipsi Patri. Propterea jugum matrimoniale, quod institutum est ad bonum commune prolis, potiùs Matrimonium, quàm Patrimonium appellatur; cùm longè plùs oneris in humeros Matris, quàm Patris devolvatur. Nihilominus Filii animo multò magis ingrato majus debitum compensant, & quandoque majori longè patientiâ vetulam Servam patiuntur, quàm annis gravem Matrem: ita quidem, ut omnino opus fuerit eos à Deo commonefieri, ne unquam labores ac dolores Matris ex oculis dimitterent. *Gemitus Matris tuæ ne obliviscaris*: tam parvam quandoque curam ingrati Matrum suarum habent, ut videri possint sine cujusquam alterius ope in hunc Mundum intrâsse, admodum florum in agro aut prato nullâ cujusdam operâ existentium.

Eccli. 7. 29.

VII. Qui ipse honor etiam verbis commonstrari debet: *honora Patrem tuum in omni patientiâ, & sermone.* Quis ferat, si Filium sexcentis imprecationibus in eos debacchari audiat, à quibus est genitus? & tamen nullo non die has audiunt Parentes, qui, cùm veritatem Filiis suis denuntiant, fateri coguntur, à nullâ se linguâ acerbiora dicteria excepisse, quàm Filiorum suorum, plus longè amatorum, quàm redamantium, invectivas, injurias minas, quas ne servus quidem ab Hero suo patienter ferat. Et vultis Deum hæc audientem non sentire? In urbe Flexiensi Regni Galliæ non multo ab hinc tempore Juvenis quidam studiorum causâ domum paternam reliquit: non diu abfuit, cùm, ut fieri assolet, datis ad Patrem Matrémque litteris, pecunias expoposcit. Quia tamen, non tantum, quantum volebat, impetravit, ita irâ exarduit, ut sumpto in manus calamo litteras indignationis plenas ad eos exararet. Vix litteræ ad parentum manus sunt delatæ, cùm subitò ille obsurduit, ita quidem, ut ne explosa quidem majoris Machinæ bellicæ tonitru persentisceret. Quidquid Medici agerent, in cassum ibant omnia. Desperatis ergo omnibus secum animo decrevit Lauretum proficisci, in eâ sanctissimâ Æde, quòd alio omni in loco opem desperaret, remedium exquisiturus. Et ecce? Lauretum in ipso Assumptæ Vir-

Phil. Oulx. Pædag. Christ. p. 1. c. 6. §. 3.

Virginis privilegio appulsus, dum suaviter dormit, vidit Matronam cælesti planè vultu radiantem, & majestate humanam omnem excedente, nec aliis tunc comitibus stipatam, quàm Patre ac Matre suâ. Ubi Trias ista hæc cubile ejus ingressa est, Virgo Dei Mater ad Parentes conversa; vestérne est filius iste? aiebat, & cùm ambo annuerent, reposuit Virgo: Placétne audiendi facultatem à me illi restitui? cùm uterque parens: ita, Domina, rogamus demississimè. Mox Diva lecto vicina litteras sinu prompsit, easdem omnino, quas Juvenis furiis actus ad Parentes scripserat: dixítque: Lege. Paulò post ceu placata penitus vultum cælesti prorsus suavitate serenavit, digitum uni primùm, dein & alteri auri immisit, & utroque ad audiendum postliminio aperto disparuit. Eo ipso temporis momento experrectus est Juvenis, non capiente lætitiam pectore, & sanum se advertens, denuo humillimis precibus veniam rogavit, ac postmodum interposita jurisjurandi religione in sanctâ illâ DEI-Parentis Æde contestatus est, tam apparitionem sibi factam, quàm collatam sanitatem, & totus à se mutatus abiit. In hoc miro planè eventu observare vos velim, quomodo in cælo accipiantur protervæ illæ formulæ ac voces, quibus adversùs Parentes nostros subinde utimur; quòd nimirum haudquaquam pro levi tantùm indignationis, uti vos nonnunquam arbitramini, motu habeantur, sed, uti sunt, pro enormibus reputentur erratis; cùm non tantùm Divina Justitia, sed ipsa Divinæ Virginis misericordia, cujus Spiritus omni melle dulcior est (*Spiritus meus super mel dulcis*) memori mente retineat, donec ipsi Parentes pro iis veniam exposcant. *Eccli* 24.

VIII. Denique non sufficit, honorem istum parentibus debitum animo fovere, eos tolerando, aut linguâ modestis ac mansuetis illos verbis alloquendo, sed insuper etiam operibus eũ contestari oportet: *In opere & sermone, & omni patientiâ honora patrem tuum.* Sunt nonnulli, qui sibi Religioni non ducunt, Matrimonio se illigare inconsultis Parentibus; viæ se committere & magnis itineribus, contractus quosdam agitare, amicitias contrahere & stabilire, aliáque maximi ponderis, & in omnem vitam redundatura negotia pertractare. Quid deinde mirum, si infaustos etiam exitus postmodum sortiantur? Filius ille prodigus, qui genio suo indulgens procul à Patre abiit, quàm graviter petulantiam suam luit? Et Esau solum suum sensum secutus in uxore eligendâ infelicissimi pater factus est populi, Idumæorum scilicet à Deo maledictorum. *Abd.* v. 1. *Jerem.* 49. 49.

Consultissimum semper fuit, in omni majoris ponderis actione Majores suos consulere, & rationes saltem audire, eásque expendere, & multum diúque deliberare, antequam eorum voluntati adversans consilium capiatur. *Audi fili disciplinam Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo.* Gratia hæc, quæ addetur capiti vestro, ceu cassis aurea, Divinæ erit protectio Providentiæ, quæ cœptis vestris, favore suo aderit, quoties *Prov.* 1.

institutionibus & imperiis Genitorum vestrorum contraria non erunt. Hanc gratiam ut obtineret Thomas Morus, magnus Angliæ Cancellarius, Doctrinâ & dignitate celebris, longè autem illustrissimus Fidei, quam sanguine suo confirmavit, constantiâ; non erubescebat etiam tunc, cùm secundus à Rege esset, coram Patre suo in genua procumbere, ac eóque ut bene sibi precaretur, efflagitare. Et nunc temporibus nostris illi Juvenes, qui heri è pueris excesserunt, in omnibus sui esse duces volunt ac Magistri, nec Patris ac Matris unquam audire suffragium, non dico, tanquam decretum, & sententiam ultimam, sed ne quidem ut consilium, & hoc in negotiis suis quibuscunque gravissimis. O errorem crassissimum! *Judicium patris audite filii, & sic facite ut salvi sitis.* Videtis, quantillo opus sit conatu, ut commoda vestra certò assequamini? non alio certè, quàm ut in illis pertractandis obsequium hoc deferatis iis, qui tanto vobis majores sunt; & ab his, quòd magis expediens est, audire. Et vos hoc facere detrectetis? *In opere & sermone & omni patientiâ honora Patrem tuum.*

Eccli. 3. 2.

IX. Altera obligatio, quâ Parentibus obstringimur, ex eo oritur, quòd nos, cùm ipsi per ætatem non possemus alimenta inquirere, nutrierint & sustentârint. Unde postmodum nobis incumbit, ut, cùm ipsi laboribus & operi pares ultra non fuerint, eorum curam geramus. Hæc obligatio tam est manifesta, ut etiam bruta sylvis abdita eam pernoscant. SS. Ambrosius & Basilius concordes testantur, Ciconias vetulas non tantùm à prole suâ ali, sed & pennis foveri, cùm ob decrepitæ ætatis frigus se ipsas commovere non possunt; quin & suppositio tergo ceu vehiculo assumptas huc illuc asportari. Ipsis etiam Leonibus hic humanitatis sensus inest, ita; ut cùm parentes devexâ ætate ad venandum exire non valent, eorum filij cum illis prædas suas partiantur. Sequitur ergo ipsis leonibus magis feros, & bestiis magis infensatos esse illos filios Christianos, qui Parentes suos summâ cum immanitate abjiciunt, cùm viribus per ætatem destituti; non perinde ac priùs lucrari possunt, unde vivant. Vix amore puellæ cujuspiam abripiuntur, illico Parentum amorem ingratissimi deponunt: & quemadmodum contigit nonnunquam, ut, cùm Exteri magno numero in provinciam exscenderent, ipsos paulò pòst incolas loco extruderent, ita affectus ille, quo infelices hi in extraneos feruntur, ipsos paulatim domesticos corde excludit; quo fit, ut quò longiùs progrediuntur, eò minus erga illos afficiantur, à quibus omne suum bonum & ipsum esse acceperunt, haud aliter ferè ac Luna, quæ, quo crescit ampliùs, hoc à Sole, lucis fonte, recedit longiùs. Quòd si conjugio re ipsâ illigentur, actum est: tunc enim totum animum avertunt, videntúrque sibi satis causæ habere, ut dicant. *Oportet uxoris ac filiorum curam habere; Non possum tam multis unus providere.* Verùm parciùs ista; neque enim ista vestra distributio justa ac æqua est. Primo loco uxorem

Hexam. l. 5 c. 16. Hexam. hem. 8 Cassiod. l. 2. ep.

Aristot. de anim. l. 1.

poni-

ponitis, secundo filios, tertio Parentes, non ita: *Primo loco*, ait S. Ambrosius, *diligendus est Deus, secundo Parentes, inde Filii, postea Domestici.*

Refert. in 3. sentent. dist. 29.

X. Plato, qui inter Philosophos ab omni posteritate Divini Nomen obtinuit, in suis libris de Legibus sanxit, ut, si quis antè filiis suis, quàm pauperi Patri succurreret, in judicio reus ageretur, & ad aliorum terrorem severè castigaretur. Inter Theologos S. Thomas, Magistrorum Magister, judicat, quòd inter omnia sanguinis vincula primum sit, quo Parentibus obstringimur; & ideo præ omnibus etiam aliis subvenire iis obligemur, postpositis ipsis etiam Filiis, erga quos quidem Amor magis tener, qui non ita assurgit, haberi potest; non verò ille, quem dicunt appretiativum, qui altiora spectat, & magis amat, quem pluris æstimat. Et quamvis Uxor, quæ una quædam res est cum Marito, videbatur in casu æqualis necessitatis ipsis Parentibus præferri posse, negat tamen S. Thomas id esse veritati consentaneum: quia, utut possit & debeat Maritus Uxorem suam Parentibus præferre quoad habitationem: *Relinquet homo Patrem & Matrem suam, & adhærebit Uxori suæ?* Non tamen eam præferre etiam quoad sustentationem poterit, aliáque iis necessaria auxilia præstanda, cùm Parentibus quasi se toto hypothecatus sit antè, quàm se suæ Conjugi obligaret: siquidem Creditores anteriores creditoribus posterioribus, & qui per naturam sunt, iis qui per contractum, postponi non possunt. Et demus Uxorem unam cum Marito rem esse, quid inde? an igitur in æquali necessitate eam Parentibus anteferre poterit, cùm Maritus teneatur Parentes suos in æquali necessitate sibi ipsi præferre? & tamen expressissima hæc Doctorum doctrina est: *In alimento debent valdè providere filii parentibus, & magis quidem, quàm sibi ipsi.* ita quidem, ut cum famelico Patre non tantùm unum residuum panis bolum partiri conveniat, sed totum largiri, ut vitam servemus illis, qui eam nobis dederunt. Hæc omnia lumine naturæ penetravit Philosophus, dum docuit, filii esse, priùs Patris, quàm sui curam habere.

S. Thom. 2. 2 q. 6. ar. 11.

Gen. 2. 23.

Abul. in Matth. 19. q. 154.

9. Eth. 2. apud Abul. l. c.

XI. Forsan autem hujusmodi doctrinæ nunquam in praxin sunt deductæ, nec etiamnum, nisi ab uno alteróve deducuntur? Chinenses Orientis populi, si qui ullibi, bene morati, cùm suorum Parentum gravi infirmitati præsentes astant, suis ipsi dentibus carnes ex brachiis suis avellunt, & in potum decoctas propinant, quasi contestaturi, non solùm paratos se esse omnes divitias suas, quibus Parentes sustentent, prodigere, sed suâmet ipsorum substantiâ eos conservare, &, si factu esset possibile, animæ quoque patrem non minùs quàm corporis subministrare, ut vitam porrò prorogent ac ad sanitatem malè habentes reducant. Erubesco hisce cum exemplis filialis amoris erga Parentes impudentissimam Christianorum Filiorum ingratitudinem conferre; factum tamen, quod S. Bonaventura & insignes alii auctores referunt, omittere non pos-

Barthol. histor. Chin.

Bonav. serm. 50.

de 2. præcept Cantipr. l. 2. Ap. c. 7.

possum. In partibus Normandiæ miles quidam locupletis parentis filius, quamvis ignobilis, ducturus conjugem conditione suâ majorem ad Patrem accessit, eúmque rogavit: vellet filio bonis suis omnibus sponte cedere, velle se viciſſim quoad viveret, ita cum illo agere, ac si rerum dominium ex toto penès Patrem esset. Restitit initio senex; passus tandem est se precibus expugnari & vinci promissis, ac contra, quàm suadeat Spiritus Sanctus:

Eccli. 33. 20.

Filio non des potestatem super te in vitâ tuâ, nec possessionem tuam, ne forte pœniteat te, & deprecerispro illis; annuit petitis; quo factum, ut contractus matrimonii illico concluderetur, & nuptiæ celebrarentur. Nec malè principio se res habebant: paulatim tamen crescente in Uxorem affectu, in Patrem decrescente, eò impietatis progressus est pessimus Filius, ut senem Patrem domo suâ ejectum paupere tugurio concluderet. Fruſtra Pater conditiones & pacta cessionis suæ obtendit, fruſtra lacrymis, lamentis & querelis gravem injuriam sibi illatam identidem prosecutus est; filius enim recalcitrantis instar muli magis amabat præsepe repletum, quàm Dominum, qui replevit. Imò etiam ab Uxore concitatus non solùm, quæ Patri congruebant, non suppeditabat, sed ne quidem necessaria subministrabat; adeò ut DEUS tantam non ferens inhumanitatem ejus esse ultor vellet. Contingit, ut ambo hi conjuges quodam mane bene pinguem gallinam prandio pararent. Miser senex eo ipso tempore, quo gallina mensæ inferebatur, domûs limen attigit. Non potuit autem tam celeri scalam pede superare, quin filius tempus nancisceretur, quo gallinam occultaret. Ceterùm in occursum progressus, quid me vis, ajebat, hoc tempore, an panem non habes? cúmque panis fruſtum obtrusisset, fores festinus occlusit, ipse cum Uxore suâ splendidiore quadrâ fruiturus. At quàm se fefellit! cùm enim penum recluderent, gallinam denuo mensæ illaturi, non jam gallinam, sed eâdem magnitudine horrificum bufonem repererunt, qui è catino in faciem gestantis prosiliens ita carnem ejus corripuit, ut velut polypus scopulo adhæreret, neque longo annorum spacio ullâ vi avelli posset. In hunc modum signatus malè moratus iste filius perrexit ad quærendum Episcopum, cui delictum suum confiteretur. Pœnitentiam hanc tulit, ut omnes Normandiæ civitates obiens rem narraret, séque ad terrorem omnium impiorum in Parentes filiorum exemplum proponeret. Denique post multos planctus, & lamenta plurima valuerunt preces, quæ pro infelice offerebantur, & ipse etiam persolvebat, ut feralis iste bufo ac fœtentissimus, qui omnibus aspectantibus horrorem incutiebat, subitò disparet, & liberum quidem, sed salutari timore probè imbutum relinqueret.

XII. Quin etiam, quod mirabile est, Divina Justitia non solùm vult, ut Patris egestate laborantis, ut senio deficientis necessitati consulatur præ Uxore, aut alio quocunque, sed etiam vult, ut hæc ipsa Patris sustentatio illis

illis etiam promissis, quæ DEO facta sunt, anteferatur. Hinc, si filius quispiam ex una parte votum Religionis etiam strictissimæ emiserit, ex alterâ verò Pater Matérve victum sibi procurare non valeant, adeóque ex unâ parte DEI honor exsolutione voti promovendus, alterâ Patris sustentatio procuranda quasi de loco contendant, DEUS suo jure cedit, ac filio permittit, ut domi paternæ subsistat, Patri Mattíve de alimentis provisurus. Nec concedit tantùm, sed etiam præcipit: unde si quis debitum, voto erga DEUM contractum, debito erga Patrem ex generatione provenienti vellet anteponere, rem DEO gratam non faceret; in cujus rei confirmationem videmus, quòd Sancta DEI Ecclesia, ejusdem DEI nomine eò processit, ut illos Superiores à consortio fidelium segregârit, qui eos in Ordinem reciperent, ac sacris vestibus induerent, quos lex naturalis, pietas & gratitudo parentibus suis devinctos facit; hi enim tres tit li sunt, quibus omnes prohibentur à suis discedere, nisi de convenienti sustentatione iis providerint. *Jure Sanguinis, Pietatis, & Gratitudinis.* Quapropter si tantâ se culpâ involvunt, qui parentes in necessitate constitutos deserunt, animo DEO in Religione quadam sacra serviendi, cujus culpæ rei agentur illi, qui insano quodam impetu abstracti domo abeunt, haud aliter ac hirundines, priùs, quàm dignentur bonam impetrare veniam ab iis, qui à tenera illos ætate eadem domo receperunt, & tanto cum amore foverunt?

S. Thom. 2. 2. q 101. a. 4. ad 4. & 2. 2. q. 189. a. 6. in c.

l. fin. §. ipsum autem, C. de bon. quæ lib.

XIII. Et quid, si filij non tantùm necessitatibus Parentum, dum vivunt, non prospicerent, sed etiam ubi mortem obiêre? faciunt tamen & hoc. Avaritia hosce ingratissimos mortales ita reddit efferatos, ut nullum inhumanitatis genus refugiant: antequam moriantur senes eorum Parentes, malè illos tractant: cùm moriuntur, eos impediunt, ne Testamentum condant; cùm mortui sunt, ultimas eorum voluntates non exequuntur, nec legata extradunt, quasi cum cineribus etiam defunctorum adhuc litem suscipere cogitarent. Enimverò quàm pauci illi sunt, qui Parenti defuncto hæc possint verbadicere, quæ DEO Propheta? *Nec oblíti sumus te, & iniquè non egimus in Testamento tuo.* Non oblitus sum tui, ô Pater, nec injustus fui, aut infidelis in Testamento tuo omni cum accuratione executioni mandando. Centum effugia excogitantur, quibus ab impositis Testamento obligationibus exeatur; & cùm aliud nihil occurrit, dicitur; observari illud non posse; aut saltem inducijs bonæ animæ pœnosissimis ita protrahitur, ut diutissimè in immani illo igne debitum refrigerium & redemptionem suam expectare cogatur. Interea Ecclesia hæc delicta afflictarum animarum loco quasi sentit, & vult, ut crudelis isthæc negligentia sit inter graviora delicta, ac inter magìs reservata habeatur; id quod in SS. Canonibus præcipit, quibus ab Ecclesiâ arcentur, & Fidelium Albo delentur, qui moras tam pernicioſas nectunt absque causâ justâ. Cùm suâ Ecclesiâ etiam

Psal. 48. 18.

c. qui oblat. 13. q. 2.

Deus eam rem ferit ægerrimè, qui ob eandem causam familias ac domos evertit, quibus bona, quæ illo loco sine ratione & jure asservantur, concludantur, adeò, ut idem sit, pecunias pio legato aliorsum destinatas à filiis retineri, quod pellem lupi in cumulo lanæ, quæ paulatim, utut innocens sit, non potest non pessum ire: & tamen immanes hi filij, nec pietati, nec gratitudini, nec justitiæ, nec Ecclesiæ, nec Irato deniq; DEO cedunt, & quasi extra se rapti à suâ inhumanitate, nec certissimæ & ante oculos positæ divitiarum jacturæ cedunt, nec incertis malis, quorum culpam audacter conjiciunt in sexcentas causas fallas, ne veram fateri cogantur.

V. Graff. de casib. l. 2. c. 26.

XIV. Sed redeamus in viam, & campum, utut spatiosum, relinquamus aliis, divertere volentibus. Tertio loco Filij præter honorem & auxilium etiam Obedientiam parentibus debent, scilicet, quâ respondeant tertio bonorum generi, quod à Parentibus acceperunt; nimirum educationi, quâ post vitam semel communicatam, vitam alteram, bonorum scilicet morum, nobis conferunt. Hæc obedientia in pluribus Sacræ Scripturæ locis commendatur. Verùm quo frequentior in Scripturis ejusdem sit mentio, tantò videtur esse magis necessarium, ut à Verbi DEI Præconibus è cathedrâ proponatur. Filij quidem non sunt omnino servi Parentum suorum, subditi tamen sunt; ita ut Dominium paternum Principatui comparari possit. Nihilominus perinde ac si Filij cum annis magis ac magis fierent liberi, semper magis magisque jugum illud excutiunt, quod eis natura imposuit; adeò quidem, ut quandoque speciem præbeant, velle illos ac cupere, à Parentibus sibi obedientiam præstari. Et, quod pejus est, cùm in confessione gravissimæ hujus noxæ sese reos agunt, ita perfunctoriè, & rem quasi levissimam, illud proponunt, ut in fine tandem omnium eorum, quæ dixerunt, hoc tantùm adjungant, *Fui aliquantum inobediens domi.* Exploremus nonnihil, quem inobedientiæ modum tenetis. Etenim si res, quæ præcipitur, gravis est, si multum facit ad totius familiæ bonam gubernationem, si bonis moribus, bonæ famæ, saluti animæ proficuum quid, quin & necessarium est, facilè hæc inobedientia ad gravitatem peccati mortalis poterit pertingere. Explico me. Est, qui filio suo præcipiat, ut ne se associet huic illíve infami Lurconi; ut noctu domi se contineat; ut arma non gestet; ut ad ludendum non accedat; ab aleatorum tabernis abstineat, hæc illáve conventicula, & bibonum cœtus vitet: filius contra fricat frontem, & suo vult indulgere genio, & quandoque etiam proterva verba regerit, dicendo: *Vos ipsos respicite; ago, quod mihi placet. Exprobrate tantum ac cavillamini, quò magis ac plura mihi exprobraveritis, hoc agam plura ac pejora.* Quis jam credat quòd hæc respondendi ratio, conjuncta cum injuriosa hac inobedientiâ, in materiâ omnino justâ, non sit peccatum satis grave, præterquam quòd pluribus adhuc alijs peccatis adjungatur, quæ in hu-

Abal. in Deut. fol. 113.

jus-

jusmodi occasionibus committuntur? quis neget, hoc modo tam confuso se accusare esse confessionem haud quaquam satis accuratam? quis non fateatur, eos, qui propositum isthanc suam proterviam mutandi non habent ac emendandi in posterum manifestè incapaces esse absolutionis? & tamen nullo non die talia eveniunt. Si quis Confessarius Audaculorum istorum quempiam reprehendere aggreditur, ipsi contrà non modò salutari pudore non suffunduntur, sed omnem moxculpam in Patrem Matrémve conjiciunt: *Sunt intolerabiles*, ajunt, *nunquam cessant, aut à reprehendendo quietem capiunt; impossibile est, ijs satisfacere.* Scio, quòd etiam Parentes suo non nunquam desint officio, scio, teneri illos benevolentiâ uti in filios jam adultos, utpote quos oportet auctoritate magìs ad venerationem, quàm imperio ad obsequium compellere. Nihilominus, si Parens hac in parte deficit, & importunè quod vult, exigit; cum iràâ & fervore nimio in filium agit, an ideo parum piè non se gerit filius, si obedientiam non præstet illico; multóque magìs, si verbis paternam auctoritatem sugillantibus Patri corrigenti respondeat? *Etiam in bonâ causâ humilis esse debet filij apud Parentes oratio*; ait Sanctus ille Præsul Salvianus. Quantam & qualemcunque rationem ac causam habueritis, filij tamen estis, velitis nolitis: unde nunquam licet frivolo hujusmodi prætextu à Parentum imperiis recedere. Iratscatur Parens, quantum libet, clamet, cavilletur, in bestiam, ut ita dicam, immigret, nec dum tamen sufficit: uti enim ille per hoc non desinit esse Parens; ita etiam non desinit esse dignus, qui à filiis suis honoretur, & cui per omnia obediatur plus quàm cuivis Principi irâ exardescenti, *Filio semper honesta & sancta Patris persona videri debet*, ait lex. Primi effectus legis, quæ Gentium dicitur, sunt, honorare DEUM, & Parentibus ac Patriæ subjici. *Effectus juris gentium primavi sunt erga Deum Religio, & ut Parenti bus & Patriæ pareamus.* Parentes siquidem & Patria conveniunt quasi sub unâ eadémque ratione cum DEO, scilicet, ut supra dictum est, *sub ratione principij.* Et hæc tam in naturâ manifestè fundata obligatio excusatione tam frivolâ pessumdetur: dicere sufficiat, Parentes ineptos esse ad porro imperandum?

l. libert. ff. de obsequ. Parent. præstan.

l. veluti. ff. de Instit. & Jure.

S. Thom. 2. 2. q. 2. a. 9. in c. & 2. 2. q. 101. a. 1. c.

XV. Ego si in perfrequentibus hisce domesticis jurgiis ac litibus mentem meam explicare deberem, dicerem, peccare quidem Parentes in modo, quo magìs benvolo ac amabili uti deberent; hanc tamen eorum aberrationem nec unicam, nec primariam esse causam illius inobedientiæ, quàm à filijs sustinent; originem illa longè altiorem, magisque remotam habet. Causa principalis inde sumitur, quòd Filij, dum adhuc sunt parvuli, non bene educentur, non castigentur initio, cùm audaciùs respondent; non infringantur cornua, cùm illa primùm erigunt; unde assueti paulatim, ac à teneris Parentum admonitiones negligere, idque per indulgentiam eorum, qui eos gubernant, putant

postea adultiores, se esse in possessione, Parentes etiam authoritate vincendi. Verum est, obsistit Pater, reclamat Mater, ubi Filius adolevit: sed intempestivè. Secunda digestio ac concoctio non emendat vitia primæ; & flumen, quando erat rivulus, in omnem poterat partem derivari: ubi increvit, viam, quam ipsum sibi invenit, toto impetu pergit prosequi. In culpis tamen primas tenent continuæ illæ imprecationes ac execrationes, quæ in filios toto educationis tempore à Parentibus conjiciuntur, perinde ac si linguas suas manuum loco usurparent, damno tam in eos, qui usurpant, quàm in illos, in quos usurpatur, usquequaq; maximo redundante.

Seneca ep. 60. *Non miror*, ajebat Seneca, *si omnia à primâ puritiâ nos mala sequuntur: inter execrationes Parentum crescimus.* Quod si homo Ethnicus agnovit, quid nos oportet dicere, qui, utpote Christiani, ignorare non possumus, imprecationes istas non ferire aures DEI cujuspiam marmorei, aut ærei, quas tunc feriebant; sed Vivi & Veri, qui non omittit è cælo etiam palàm facere, eas ad cælum usque pertingere. Et hi sunt fontes certissimi, ex quibus isthoc nostro tempore insolentium filiorum contumacia promanat. Non antè miseri incipiunt crescere, quàm incipiant diris devoveri modò à Patre, modò à Matre, modò ab utroque simul: & sic ad majorem ætatem provecti incipiunt excrescere execrationum harum effecta, per quæ, ceu fulmina tactæ illorum animæ & mille malis oppressæ in ipsos postmodum Parentes insurgunt, in eósque fumum ignémque insolentis proterviæ, inobedientiæ, & irreverentiæ effundunt. Quomodocunque accidat volo id Parentibus esse persuasum, quòd, si à protervis suis liberis mandatorum transgressione contemptui habentur, primùm sibi id imputent, & postmodum liberis, suámque culpam primùm doleant, & postmodum filiorum. Filij autem (ut ad ipsos redeamus) sciant, quòd Parentes, quantumcunque in modo imperandi excedant, si tamen justa præcipiant, audiri debeant, scilicet, qui in terris DEI Vicarios agunt: *Filii, obedite Parentibus per omnia; hoc enim placitum est in Domino.* Sic Pater nimium imperiosus est, non ideo tamen Pater non est? aut quidquam de suo jure amittit, ne ullâ in parte filius in eum dominium acquirit. *Natus ex Patre furioso, in ejus potestate, & ei acquisierit*, ait lex, & qui se videt tractari non ut filium, non ideò confestim omittere poterit tractare Parentes, ut Parentes. *Etiam exhæredatus Patrem ac Matrem lugere debet.* Uno verbo: si Parentes tam magni creditores sunt respectu filiorum, ut hactenus intelleximus, nullum est effugium. Nullus debitor creditori suo potest dicere: ego posthac tibi obligatum me non agnosco. *Debitori nunquam licet abdicare creditorem.* Quæ ratio est, ob quam dixit Philosophus, quòd filio nunquam liceat Patrem, utut perversum, à se repellere, licet Patri conveniat jus ejiciendi filium sceleratum.

Col. 3. v.

ff. de his qui sui vel alt. ni juris

Arist. 1. Eth. c. 14.

II. An-

II.

S. Thom. opusc. 7. 1. Tim. 3. 4.

XVI. Audistis debitum vestrum filij quo Parentibus obligamini. S. Paulus in compendium redigit: *& mutuam vicem reddere Parentibus*, correspondendo scilicet; vitámque ab illis acceptam obsequiis compensando, reddendo pro alimentis sustentationem, pro institutione obedientiam. Ubi sunt? prodeant modò perduelles illi filij, qui debitum hoc aut non agnoscunt, aut non exolvunt: neque enim summo erit opprobrio tantùm ingrati notam incurrere, sed maximo insuper damno; cùm hac in parte, contra quàm in aliis debitis fieri soleat, omnia in caput debitoris recidant. In aliis debitis, dùm non exsolvuntur, damnum accidit creditori, qui spe suâ ac re defraudatur: in his verò debitori, qui defraudat: unde Ephes. 6. 2. Apostolus dixit: *Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut bene sit tibi.* Videtur dicere debuisse: *ut bene sit illis.* Parentes enim honorem, sustentationem ac obedientiam recipiunt, ceu debita tria longè manifestissima. Verùm non ita dixit: *ut bene sit tibi*, dixit: siquidem ô quàm carò stat cuicunque filio unum aliquod ex hisce debitis neglexisse! majorem longè quàm parens, jacturam facier. Volunt Doctores, quòd ex ipsâ pœnarum, quæ in reos statuuntur, gravitate, judicium sumatur de mente Principis; quo scilicet rigore ad observationem legis suæ subditos velit obligare. Nos igitur non solùm ex minis, quas in præcepti hujus transgressores intorquet Deus, sed etiam ex promissis, quæ filiis legem hanc adimplentibus proponit, argumentari longè magis potcrimus, quàm graviter ejusdem executionem exigat atque procuret. Honora Patrem, ait, & Matrem, *ut bene sit tibi.* Non exprimit bonorum quandam speciem, quæ legis observatoribus dare paratus est, nec speciem malorum, quæ transgressoribus intentat; scilicet, ut obsequentes nullum non bonorum genus sperent, transgressores autem nullum non malum exspectent. *Ut bene sit tibi.* Bene in animâ, bene in corpore, bene in te, bene in illis, qui nascentur ex te (ita ut Deus meritum subjectionis, quam Parentibus tuis exhibuisti, cum omni dominio in Filios tuos sit redditurus) bene in hoc Mundo, bene in altero, bene in terrâ, bene in cælo, bene ubique: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Contra verò, si non honoraveris illos, qui te genuerunt, boni nihil expecta, nihil hîc, nihil illic, nihil in corpore, nihil in animâ, nihil in te, nihil in tuis, in quibus, & forsan de quibus DEUS disponet, ut nævi tui & delicta castigentur, permissurus, ut eâdem prorsus ratione filij tui te affligant, quâ parentes ipse tuos afflixisti. Pessimus quidam filius, & hoc nomine indignus diabolicis furiis actus senem Patrem suum per scalas trahebat, cúmque domûs januam jam attigisset, exclamavit Senex: non ultrà fili! recordor enim me usque huc, & non ultrà Patrem meum raptâsse.

1. Tim. 4. 8.

XVII. *Uti bene sit tibi.* Ecclesiasticus in summam magìs distinctam & claram redigere voluit amplissimæ

Arist. l. 5. Eth.

promissionis hujus bona & mala, neque mihi jam aliud occurrit, quàm unam alterámve synopsin ante oculos vestros statuere, vobísque postmodum optionem relinquere. Pro filiis quidem morigeris sex Divini favores habentur: primus est longæ vitæ: *Qui honorat Patrem, vitâ vives longiore.* Secundus est, solatii in hæredibus: *qui honorat Patrem suum, jucundabitur in filiis suis.* Tertius est; stabilitatis bonorum: *Benedictio patris firmat domos filiorum.* Quartus est existimationis & exaltationis: *Gloria hominis ex honore Patris sui.* Quintus est, remissionis peccatorum commissorum: *suscipe senectam Patris tui, & sicut in sereno glacies, solventur peccata tua.* Sextus est, felicitatis sempiternæ post mortem: *Honora Patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat.* Hi sunt fructus & gratiæ apud Ecclesiasticum promissæ iis, qui debitum, quo parentibus obstringuntur, præstant. Sed & ex alterâ parte maledictiones audite, quas Deus ceu fulmina in immorigeros conjecit. Primum quidem vita immorigeri abbreviabitur, cùm æquum sit, ut feudo non potiatur qui homagium præstare recusat. *Qui maledicit Patri suo & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.* Secundo nominis quoque infamiam sibi conscisset. *Quàm malæ famæ est, qui derelinquit Patrem!* Deinde rerum suarum successum non habebit secundum, sed omnia sentiet ruere in pejus: *Maledictio Matris eradicat fundamenta domûs filiorum.* Quartò nullum è filiis suis solat um, sed contrà mille tædia ac molestias experietur: *ex iniquis omnes filii qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversùs Parentes in interrogatione suâ.* Quintò non invenlet, ceu maled ctus à DEO, suorum peccatorum veniam, *Est maledictus à DEO, qui exasperat Matrem.* Et denique in articulo mortis suæ omnes Dæmones habebit obvios, qui animam ejus rapiant, ceu corvi morticinum. *Oculum, qui subsannat Patrem, & qui despicit partum Matris suæ, effodiant eum Corvi de torrentibus.* Ecce! habetis ordine benedictiones & maledictiones, quæ ceu comites hoc præceptum stipant à dextris & à sinistris ad majestatem ei conciliandam; vestrum modò est eligere quod placet. Quis autem ita sui impos erit, ut, cùm omne bonum habere possit, eligat omne malum? *Honoræ igitur, honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut bene sit tibi.*

Eccli. 3. 7.
Eccli. 3. 6.
Eccli. 3. 11.
Eccli. 13.
Eccli. 3. 10.
S. Thom. Opusc. 7.
Prov. 20. 10.
Eccli. 3. 17.
Eccli. 3. 11.
Sap. 4. 6.
Prov. 30. 17.

DISCURSUS XVII.

De Eleemosyna.

I. Geminum tributum mellis pendunt favi, unum quidem, quod sponte ab alveari & ex abundantiâ destillat, alterum verò necessitate reddunt, cùm exprimuntur. Gemini subsidij, quod Christiana charitas egentibus subministrat, hic mihi typus quidam est. Unum ex commiserationis affectu sponte elargitur indigentibus, alterum rigoroso præcepto compulsa suppeditat. Primas has Eleemosynæ species egenis debetis, Auditores; unam, quia DEUS eam exigit dato consilio, quo vos in egenos esse cupit liberales; alteram, quam Deus non consilio tantùm, sed præcepto exigit, ac mandato. Et quia utrumque hoc subsidium à vobis impetrare percupio, idcirco, ut utrumque persuadeam, præcepti primùm obligantis vi ac pondere contendam, necessitatem vobis incumbere, quâ ad faciendam eleemosynam obstringimini; deinde præmij propositione utilitates exponam, quæ in Eleemosynarios copiosè redundant. Principio quidem arbitramini, dicturum me hodie pro egenis & commodis illorum; multùm autem fallimini; nam cùm attentas mihi aures præbueritis, perspicietis demum, non tam in mendicorum subsidium, quàm Divitum lucrum ac emolumenta de Eleemosyna me disseruisse.

I.

II. Ex ignorantijs maximè noxijs, quæ Christianam Rempublicam pervadunt, non est minima, quâ creditur; Eleemosynam opus esse consilij tantùm, hoc est, supererogatorium, nec unquam præceptum & ad salutem necessarium. Ex quâ ignorantiâ fit, ut pauperculi ubique jaceant, & eorum plagæ sine balsamo relinquantur; cùm Divites sibi culpæ non ducant, hac in parte fuisse crudeles. Scire igitur vos velim, Eleemosynam tam Legis naturalis, quàm scriptæ mandato præcipi, præceptúmq; hoc Legi Evangelicæ ex omni parte consonum esse. Certum omnino est, omnes hasce tres Leges (quæ demum in unam coàlescunt) unanimi consensu amorem proximi imperare; unde etiam illa opera præcipiunt (quæ est illatio S. Thomæ) sine quibus verus quidam amor nequit subsistere, talis scilicet, cui non sufficit proximo bene velle, sed etiam facere. Unde S. Joannes ait: *Non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate:* non enim sterilis quædam arbor est charitas, quæ tota in apparentis tantum beneficentiæ folia ac fraudes effundatur. Fructuosa est ac fœcunda, vitæ arbor est, quæ nullo anni tempore exarescit; &, ut talis semper eò inclinat, ut quis omnium

S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 5.

Ioan. 3. 18.

um aliorum neceſſitates pro ſuis habeat, iisque ſublevandis ſe totum impendat.

III. Totum hoc per ſe notum erat humanæ menti; quia tamen tam pulchram ac inſignem legem Amor proprius infuſcârat, Deus in montem Sinai ſe demiſit, legémque hanc coloribus longè vivacioribus deſcripturus, ſuis illis tabulis tam præceptum charitatis, quàm, quod conſequens eſt, Eleemoſynæ incidit: & idcirco populo ſuo edi-
Deut. 15. xit: *Præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum verſatur in terrâ. Omnino indigens & mendicus non erit inter vos.*

IV. Denique quia Lex hæc etiam Scripta non adeò plenè vulgo intelligebatur, in propriâ perſonâ Diviniſſimus Legislator de cælo deſcendit, ac proteſtatus eſt, præceptum charitatis omnia alia præcepta ſua tranſcendere, & *ſuum* propriè præceptum eſſe, ſcilicet ſuper omnia alia magis conſpicuum, & æſtimatum: *Hoc eſt præceptum meum, ut di-*
Joan. 15. 12. *ligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Divitibus quibusvis legem Eleemoſynæ promulgavit: *Quod ſupereſt, date Eleemoſy-*
Luc. 18. 41. *nam.* Cujus legis prævaricatores in hiſtoriâ Epulonis graviſſimis Inferni pœnis addixit, & hoc ipſo, dum hanc pectoris duritiem caſtigavit, legem hanc confirmavit: & in parabolâ Avari illius, qui dum opes immenſum cumulavit, opes & vitam perdidit: in noviſſimâ denique ſententiâ, quam con-
Matth. 25. 42. tra illos feret, qui peſſima horum exempla imitari non verebuntur: *Eſurivi enim, & non deſtitis mihi manducare; ſitivi, & non de diſtis mihi bibere*: quapropter *diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum.*

V. Indubitatum igitur eſt, Lege tam naturali, quàm ſcriptâ, ac etiam Evangelicâ Divites obſtringi ad auxilium pauperibus præſtandum. Nec aliter fieri poterat, poſito quòd Deus ſuam nobis Providentiam, eo quo decet modo, manifeſtare voluerit. Præcipuum agriculturæ artificium *in eo maximè conſiſtit, ut ager ſiccus humectetur, &* Theophr. 2. de plant. 4. 18. *humidus exſiccetur.* Simili, longè tamen diviniore artificio, Divina Providentia ſuum moderatur imperium, dum præcipit, ut, qui bene habent, malè habentibus auxilio ſint, ut illud Apoſtoli verificetur: *Qui multum, non abundavit, &* 2. Cor. 8. 15. *qui modicum, non minoravit.* Quærunt nonnulli rudes, quam ob cauſam Deus non diſpoſuerit, ut omnes omnino homines æquâ quaſi diviſione locupletes ſint? Quæſtio hæc ferè eadem eſt cum hac, quare Organopæus non omnes ejusdem organi fiſtulas fecerit æquales, ſed alias ſubtiles, alias denſas, horriſonas alias, alias dulciſonas, illam ſtridulam, ſonoram illam; hanc, quæ copieſum aërem attrahat, illam, quæ modicum. Summâ in hoc arte uſus eſt artifex, cùm ex ipsâ hac inæqualitate harmonia concinnetur, quæ ex fiſtularum æqualitate nunquam obtineretur. Pari ratione decrevit Deus, ut in terris alij opulenti eſſent, alij pauperes, utpote cùm ex hinc harmonia verè mirabilis reſultet, quæ tum habetur; cùm pauper diviti inſervit, dives contrà pauperem ſuſtentat, & ſic ille exercitio

pati-

patientiæ, iste exercitio misericordiæ, ceu unitis vocibus majorem Deo gloriam reddunt. *Dives & pauper obviaverunt sibi: utriusque operator est Dominus.* Deus utramque fecit, & Paupertatem & Abundantiam, ut reciproco communicationis nexu omnium corda colligaret. Et hinc pauperum non est oblitus, utpote quos ita divitibus junxit, ut hi necessitatem quandam & illorum indigentiam habeant: imò hac ratione divites constituit, qui Pauperum Conservatores essent ac Curatores. Sicut enim familiæ Caput, cùm Majoratum erigit, non intendit filio natu majori omnia bona, quæ pro se & solus habeat, sed potiùs, ut splendorem familiæ conservet, fratribus autem natu minoribus de necessariis provideat. Sic Deus, dum Divites ceu primogenitos tractat, non intendit, ut pro suo omnia arbitrio prodigant, sed ut coram hominibus ipsi quidem gradus ac dignitatis suæ decorum teneant, fratrum tamen minorum, quorum nomine pauperes veniunt, non oblivisçantur. Quod si quandoque executioni non mandatur, sine dubio culpa penes Deum non est. An forsan in Xenodochij præfectum culpam conjiciens, si duos infirmos domo lectóque bene compositò locat, alter autem horum stragula omnia inhumanè ad se pertrahat, & socium malè contra frigus munitum relinquat? potiùs in illius crudelitatem invehemur, qui suæ tantùm curiculæ studiosus alterum negligit; partem suam sibi æquè ac alienam arrogat, & sic proximum exspoliat, ac penitus nudum relinquit.

Prov. 22. 2.

VI. Quin, hæc ipsa Eleemosynæ Lex non solùm Dei Providentiam commonstrat, sed Dominium etiam supremum. Deus enim noster tam magnus est Dominus, ut etiam rerum nobis donatarum Dominium non amittat. *Meum est argentum, meum est aurum*: ait per Prophetam. Meæ sunt universi Mundi divitiæ, & illi, qui opes possident, non ita earum sunt domini, quin à me dependeant, imò dispensatores sunt verius, ac œconomi, qui mea in iis distribuendis jussa observare debeant. Quapropter Eleemosynæ elargitio, Divini quædam Dominij veneratio est: *Honora Dominum de tuâ substantiâ*, hac enim in pauperes erogatâ Dominium supremum agnoscitur; siquidem per manus pauperum tale ei tributum penditur, quale ipse imposuit.

Agg. 9.

Prov. 3. 9.

VII. Unde consequens est, omnes illos divites avaros atque acerbos non unam tantùm, sed plures simul injustitias committere, eásque omnino gravissimas. Inprimis in Dei Providentiam injurij sunt, quam pauperum querimoniis exponunt, ceu partium studiosam, quæque egenis necessariam vitæ sustentationem subtrahat; opulentis contrà superabundantem concedat. Iniqui eriam sunt in supremum Dei Dominium, quod Deus semper retinet, tanquam summus rerum omnium Monarcha, quando de bonis pro suo arbitrio & libidine disponunt, haud aliter, ac si Dominium absolutum & nullâ ex parte ligatum habe-

haberent. Ipsis denique etiam Pauperibus vim inferunt, qui, cùm Lege naturali habeant ex rebus conditis alendi & sustentandi sejus, à Divitibus compelluntur merâ inopiâ interire, utpote à quibus etiam, quæ supersunt reliquiæ, denegantur; id quod Sacris Paginis ansam dedit dicendi, idem esse, Eleemosynam pauperi negare, ac illum spoliare; superflua non concedere, ac debito illum defraudare.

Eccl. 41. Fili, *Eleemosynam pauperis non de-*
Iob. 21.6. *fraudes.* Et alibi. *Nudos spoliâsti*
Iob 24.9. *vestibus. Vulgum pauperum spolia-*
Iob. 22.7. *verunt. Esurienti subtraxisti panem.*

Omissis aliis Scripturæ locis, quæ hic magno numero afferre possem, dicere sufficiat cum S. Chrysostomo: *non solùm rapere aliena, verùm etiam sua non impertiri cæteris, rapere est, & fraudatio, & spoliatio.* Et quamvis hac Veritate omnes perstringantur, multò tamen maximè Christiani, quibus Amabilis Dei Providentia, quâ omnes fovet, Dominiúmque in omnes divitias & opes est præ aliis notum. Providentia quidem in homines, ut eò facilius cæsus sinistros, & rerum dispendia tolerarent, efficere deberet; Dominium verò in opes; ut intelligant, quòd si Evangelio suo voluntariam paupertatem suasit, minimè egerit insipienter; imò id egit, tanto antè omnes certos reddendo de curâ providendi omnibus quocunque numero, qui verbis ejus excitati spontaneam hanc inopiam amplecterentur.

VIII. Quæ hactenus dicta sunt, in dubium revocari non possunt, cùm Eleemosynæ præceptum tam sit manifestum, ut, qui pertinaciter illud negaret, hæreticum se proderet. Solùm restat, ut determinemus, tanquam rem difficultate non vacuam, quo tempore hoc præceptum obliget, & quando ad culpam gravem pertingatur? Quod ut determinemus, observare oportet cum S. Thomâ, quòd Eleemosynæ obligatio ab uno ex duobus his capitibus dependeat, scilicet aut ab abundantiâ divitis, aut à necessitate mendicantis. S. Thom 2.2. qu. 32. ar. 5.

IX. Si ad abundantiam oculos convertamus, quæ ex parte divitis est, animadvertemus, duobus ei modis divitias abundantes esse posse; nimirum spectando vel illius naturam, vel conditionem. Spectando naturam illæ sunt superfluæ, sine quibus & suam & suorum vitam sustentare commodè potest. Spectando statum & conditionem, illæ redundant, sine quibus non vita tantùm prorogari, sed gradus etiam honoris & dignitatis, quo illum Deus posuit, potest sustineri. Explico me. Vir Illustris absq; certo servorum numero vivere quidem potest, sed vivere non potest, sicut ista vitæ conditio exigit: sic famulorum iste numerus ad vivendum tantùm, abundat; ad vivendum tamen, ut Personæ dignitas postulat, non est superfluus. Ubi verò servorum numerus ita auctus fuerit, ut ne Princeps quidem majorem desideret, non communem hominis tantùm, sed & viri Illustris conditionem excedet: hominis quidem, cùm sine illis commodè possit vivere; Viri Illustris autem, quia sine his tueri ille dignitatem suam potest.

X. Pari

X. Pari ratione, ne rem intricemus, *Laym. tr. 3. 6. 6.* in casu nostro distinguere possumus duplicem ex parte pauperis necessitatem. Prior extrema vocatur; & est, quando ea desunt, sine quibus vita non ducitur; unde alienâ destitutus ope, aut moritur, aut periculum est, ne moriatur. Altera gravis appellatur, quando Pauper, si ope careat aliorum, vitam ægerrimè producit, aut illâ, quam tenuerat, vitæ conditione excidit.

XI. Hâc notitiâ suppositâ, scire vos velim, quòd Doctores concordi assensu affirment; Divites, cùm egeni in extremam illam egestatem incidunt, teneri ad iis succurrendum, largiendo non tantùm, quæ gradui ac dignitati superflua sunt, sed & ea, quæ ad vitam quomodocunque ducendam redundant. Etenim ordinata charitas exigit, ut vitam proximi pluris faciamus, quam dignitatem nostram. Unde, etiam cùm aliquam partem pompæ, utut honestæ, dimittere oporteret, quò vita proximi conservetur, dimitti omnino deberet.

XII. Quod alteram necessitatis, quam gravem diximus, speciem concernit, fermè non obligantur divites eleemosynam elargiri, nisi de illo, quod etiam statui ipsorum redundat, aut saltem tam parùm pro eodem conservando necessarium est, ut sine notabili statûs sui præjudicio illud erogare valeant; & in hoc saltem sensu intelligi Scripturæ possunt, quæ in locis quàm plurimis in opulentos invehuntur, qui erga pauperes nimiùm duri sunt ac tenaces, eósque ceu omnis commiserationis ac pietatis oblitos arguunt: *Omnes avaritiæ student: Omnes avaritiam sequuntur. Unusquisque ad avaritiam suam declinavit.* Quæ omnia non possunt intelligi de extremâ necessitate, cùm hæc non nisi ratissimè occurrat; sumi itaque debent pro casu frequentiore, tali scilicet, in quo pauper, licèt vitæ periculum non subeat, dies tamen suos inter mille angustias, solâ divitum avaritiâ in eas dejectus, exigit. *Ierem. 6. 13. Ieremi 8. 10. Isa. 56. 11.*

XIII. Dixi *saltem*, cùm non pauci Doctorum censeant, quòd Divites de illis, quæ statui redundant, non tantùm Pauperibus, qui extremâ, aut gravi necessitate laborant, eleemosynam suppeditare, sed iis etiam, qui communi (quâ ferè laborant omnes, qui stipem ostiatim emendicant) teneantur. Et verò si consideremus, quæ hac in parte SS. Patres etiam maximæ & primæ Auctoritatis, scripto reliquerunt, dicere oportet, quòd adhuc largè nimiùm ac laxè præceptum Eleemosynæ interpretemur, nisi illud ad communes etiam misellorum necessitates extendamus. Fatigarem vos, si singulorum sententias in medium proferrem, omnium loco sufficiat Magnus Augustinus: *Quidquid* ait: *excepto victu & vestitu rationabili superfuit, non luxuriæ sicut, reservetur, sed in thesauro cœlesti per Eleemosynam reponatur. Quod si non fecerimus, res alienas invasimus.* Id quod non Augustinus tantùm, sed si non iisdem verbis, eodem certè sensu etiam S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Gregorius, S. Basilius, S. Joannes Chrysostomus, S. Gaudentius, & omnes, aut quasi *Decret. dist. 47. Distin. 42. c. 1. S. Basil. hom. de Divit.*

omnes Patres antiqui asserunt, qui, ut doctissimi, capere nunquam potuerunt, quomodo in tantâ fame, quâ pauperes opprimuntur, dives quisquiam sibi persuadere possit, suum esse, quod ipsi redundat etiam statûs conditione spectatâ. Imò in SS. Paginis etiam à Christo Eleemosyna justitiæ nomine appellatur: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* Etenim licèt illa propriè censeatur inter actus charitatis, nihilominus tantam cum actibus justitiæ affinitatem habet, ut facillimè inmodo communi loquendi eodem cum justitiæ operibus nomine compelletur.

S. Chryso. h. 34. ad s. pap. Gaud. de Vilico Iniq.

Vide Maldon. in Matth. 6.

XIV. Quidquid autem de hoc sit, de quo modò non laboro, certum saltem est, multos Opulentos in altissimâ vivere ignorantiâ, aut incuriâ hujusce sui debiti, & quasi pensionis, quæ in pauperum favorem eorum redditibus est annexa: cùm enim absolutos rerũ omnium, quas possident, se credant Dominos, non meminerunt, se à Deo pauperum patronos, & bonorum tantùm administratores esse constitutos, juxta illud: *Unus quisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Præcipuè autem, cùm annonæ caritas ingruit, ista se cæcitas prodit, cujus tempore cùm divites præquàm aliàs manum aperire, ac indigentibus succurrere deberent, longè magis quàm unquam stringunt, ac pauperes deglubunt. Videre licebit, quòd maxima divitiarum pars, quas nonnulli accumulant, ex fame ac necessitate publica parta sit, dum frumenti pretium immensum quantum augent, sícque pro re exigui pretij modicam illam summam capitalem, quæ pauperibus residua erat, ad se trahunt, agellum inquam illum tenuem, casam miserabilem, & pauperis supellectilis reliquias, Observatum est, quòd sæpenumero caritati annonæ pestis succedat, non pauperibus solùm, sed & bene habentibus infesta. Causam, quæ pauperes ad tumulum abripiat, facile est invenire, si miseriæ, ærumnæ, ac noxii, quibus pasti sunt, cibi in memoriam revocentur: Opulentorum verò mortis causas non tam pronũ est divinare, nisi audaciùs aliquanto Divinæ Providentiæ arcana rimati, è cælo potiùs illam, quàm terrâ malimus accersere. Dico igitur, quòd si frequenter post toleratam famem etiam divites moriantur, iíque omnium præcipui, atque adeò ipsa familiarum capita, (quæ tamen plus quàm alij sibi attendebant) rationem aliunde petere non debemus, quam ex eo, quòd hi officio suo defuerint, quo communi necessitati hominum cum paupertate luctantium providere tenebantur. Siquidem hisce famis publicæ temporibus Eleemosynæ præceptum longè erat manifestius. Faciebat quidem apud nonnullos conscientia officium suum, atque absque intermissione clamabat: *Fac cum proximo tuo, quod tibi in simili necessitate constituto fieri velles.* Nec poterat Avaritia solitâ suâ excusatione se palliare: non posse jam ampliùs veros pauperes à fictis discerni.

1. Petr. 4. 10.

Et-

Etenim famis tempore omnia compita, ac domus plenæ sunt, nec multum indagare necesse est calamitosos; ipsa sese luridâ facie, & squalore produnt, recedentes oculi, pendula cutis, halitus ipse languidus & difficilis summam produnt necessitatem. Quo modo his in eventibus dici potest, Opulentos amare proximum suum sicut se ipsos, dum suorum solummodo commodorum studiosi, se suáque emolumenta procurant, proximi verò minorem, quàm canis aut venatici, aut domestici curam gerunt? *Qui habuerit substantiam hujus Mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* ait S. Joannes. Et si Deum non amat, quomodo sperabit, eodem in Cælo frui, possidere beatitudinis gaudia, gloriam ac regnum jure hæreditario adire? Non est possibile; habet enim pro corde saxum; saxum, in quo, quaqua se conferat, insculptam secum sententiam circumfert sempiternæ damnationis suæ: *Cor durum malè habebit in novissimo.*

1. Joan. 3. 17.

Eccli. 3. 27.

II.

XV. Verùm illa eleemosyna, quæ vi præcepti extorquetur, oleo similis est, quod torculari exprimitur. Plus exigo à clementiâ & misericordiâ vestrâ, succũ scil. illũ virginem, qui sponte sua permanat atq; ita sepulto interim necessitatis momento, quod urgere vos potest, spe præmii benignitatem vestram animabo. Deus igitur, postquam charitatem præcepto imperavit, etiam ad consilium, quo eam commendaret, descendit, ità quidem, ut in suo Evangelio consilium hoc pro fundamento poluerit, sublimis, arduæ ac admirabilis illius perfectionis, cujus asserendæ gratiâ è cælo exiit: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Hujusce consilii executionem familiarem vobis redditurus, propositum à Deo præmium exponam, quod genuinos manet eleemosynarios. Campi, qui Indo flumine irrigantur, ità fertiles evadunt, ut uno eodémque anno geminam messem exhibeant. Pascua quoque Nilo adjacentia ea valent ubertate, ut armenta geminâ pariter fætatione fœcunda reddantur. Pro nobis Christianis autem terræ absque comparatione feraciſſimæ non aliæ sunt, quàm manus Pauperum, in quibus substantias nostras sacræ volunt Paginæ nos seminare, certâ cum pollicitatione, fore, ut fructum omnino centuplicatum referamus; messe duplici. Quâ illâ? Temporali & æternâ. In quem sensum S. Thomas illa Apostoli verba explicat: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ*: ità ut voce illâ: *Pietas*, antonomasticè quasi distributionem eleemosynæ intelligat, & præceptum Legis naturalis, cujus suprà meminimus, ad quartum Decalogi præceptum reducat, cui uni Deus ore suo pollicetur, *promissionem vitæ, quæ nunc est, & futuræ.*

Diod. Sicul. rerũ ant. l. 3. Arist. l. 7. hist. c. 4.

S. Thom. in hunc locum.

S. Thom. 2. 2. q. 32. ar. 5. ad 4.

XVI. Ut igitur à primâ messe, bonorum scilicet temporalium initium faciamus, primò in oculos nostros incurrit frequens illa ac miraculosa

multiplicatio, quâ res verorum eleemosynariorum augentur: qui, cùm se matres quasi pauperum faciant, meritò semper abundantissimo lacte eorum turgent ubera, quo eos alant ac sustentent. Quæ ratio est, quare Sacra Scriptura eleemosynam vocet sementem, eámque dispensare idem illi sit ac seminare; ut scilicet intelligatur, sua pauperibus distribuere, non esse illa perdere, ut nonnullus videtur; sed potiùs illa melioribus commutare, ac cumulare, & Dei manibus ad usuram ac fœnus committere, in quibus omne granum in mille millia excrescit: *Da Altissimo secundùm datum ejus:* Eccli. 35. 12. *quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi.* Da tantùm alacriter, ait Ecclesiasticus, tua Deo tuo, qui, cùm sit Altissimus, pro se quidem re nullâ indiget, nihilominus omne illud, us sibi datum, accipit, quod datur Pauperibus; da animo hilari & læto, juxta proportionem illorum, quæ ab eo accepisti. *Da Altissimo secundùm datum ejus,* & videbis, quâ copiâ tibi fructum ferat: rem enim habes cum tali Domino, qui humanitate vinci se non patitur, & hoc ipso incomparabiliter plura reddet, quàm dederis: *Septies tantum reddet tibi.* Ita solet Cælum cum Terrâ agere: inutiles aliquot vapores extrahit, quos postmodum in tam copiosum rorem convertit, ut omne genus plantarum inde lactetur. Verum quidem est, fœnus hoc Eleemosynæ non ita semper sensibiliter oculis nostris subjici; cùm Deus varios habeat modos, quibus dona sua communicet, quin intelligat aut notet is, qui ea recipit. Ut cùm in præmium erogatæ à vobis eleemosynæ sanos vos ac incolumes longo tempore conservat; cùm litem vobis aut adjudicat, aut, ne aliquam moveant adversarij, impedit; cùm nubem, quæ stragem horribilem agris vestris minabatur, avertit, uniúsque anni redditus servat; cùm insidias, quæ vobis struebantur à latronibus nocturnis, detegit & crumenas vestras à depeculatoribus tuetur; cùm præter sanitatem, quam donat, inquietudines, quas amolitur, lucra, quibus rem vestram auget, damna, quæ avertit, innumera alia in præmium vestræ charitatis vobis etiam non advertentibus subministrat: *Dominus retribuens est.* Certò tamen vobis persuadete, oppidò bonum esse cum Domino agere, à quo, quascunque fœneratorum officinas requisieritis, nullam magis fructuosam, nullam magis fidelem eleemosynâ Prov. nanciscemini: *fœneratur Domino, qui* 19. 17. *miseretur pauperis.*

XVII Sed adhuc in assentiendo difficiles experior, ac persuasos, miraculo opus esse, ut ea, quæ pauperibus elargimini, recipiatis: unde sicut miracula rata sunt, ita creditis lucrum vestrum, quod ex elemosynâ colligitis, rarum, quin omnino rarissimum esse. Verùm toto cælo aberratis: incrementum enim illud, quo Eleemosynariorum res augentur, non ad miraculosam Dei Providentiam revocatur, sed ad ordinariam spectat, ita ut miraculo magis affine sit, si hujusmodi prosperitas de lege ordinariâ non consequatur. Rationem audite. Omnis

alia

alia virtus (etiam ipsa Eleemosyna spiritualis, quæ tota in alterius bonum tendit) hoc sibi proprium habet, ut frequenti sui exercitio non solùm jacturam non subeat, sed accrescat; siquidem actus primus majorem ad secundum aptitudinem conciliat, qua proximo suo consulat, eundem corrigat, aut confirmet, ei errata sua condonet, illatas ab eo molestias toleret, pro eo ad Deum supplex accedat eóque habilior ad hujusmodi charitatis officia reddatur, quo frequentiùs in egregiis his actionibus exercitatur. Unde fit, ut talis Eleemosynarius puteo tandem similis efficiatur, qui, quò plus inde hauritur, eò plus abundat ac dare potest. Eleemosyna verò corporalis non ita se habet. Hæc sui exercitatione magis semper ac magis debilitatur, cùm naturâ suâ bona illa deficiant, quæ porrò egenti distribui possint, scilicet quo operiantur, alantur, aut aliis favoribus subleventur. Quare virtus ista c sternam æmulatur. ita ut si actus suos continuare velit, Deóque rem gratam præstare, oporteat ut vicissim Deus opportunè denuo affundat tantò plus aquæ recentis, quantò copiosiùs illa dispensatur, præsertim si magnâ illam copiâ, ut decet, velit effundi: *si multum tibi fuerit, abundanter tribue.* Et quia Virtutum actiones tunc perfectionem suam assequũtur, quando magnâ cum alacritate & promptitudine exeruntur, necessarium est, ut Deus in antecessum authoritatem suam, quasi oppignoret Eleemosynam erogantibus, ac promittat, tantò eos plura recepturos, quò plura fuerint elargiti: *Cùm effuderis esurienti animam tuam &c. erit sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ*: Ut hi, qui fundo sine fundo, qualis est Divina Promissio, confidunt, apertissimis possint manibus redditus suos inter egenter distribuere, quin unquam timeant, ne, quod dispensent, desit. Neque tamen hæc multiplicatio præmium quoddam est, quo Deus Eleemosynam quasi mercede velit exsolvere (non enim præmio adeò exili eam remunerari intendit) sed subsidium tantùm, quod, ne qui erogant, unquam exhauriantur, suppeditat; sine quo hæc virtus aut non duraret, aut sensim elanquesceret, torrentis instar, qui cùm scaturiginem perennem non habeat, non potest instar fluminis pleno semper alveo campos irrigare.

Prov. 19. 17.

Tob. 4. 8.

Isaia 58. 10.

XVIII. Ex his pronum est inferre, quantum illi decipiantur, qui eam ob causam Pauperibus beneficos se non præstant, quòd timeant, ne facultates suas imminuant, & filiis hæreditatem succidant. Imò verò modus hic longè optimus est, quo filiis provideatur, & facultates stabiliantur, si in pauperes profundantur. Et quidem, quod filios attinet, manifesta, Dei promissa, quæ irrita esse non possunt, fidem faciunt. *Viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt, cum semine eorum permanent bona.* Arcanum hoc est, quo bona, quæ filiis destinantur, augescant, misericordiam scilicet pauperculis exhibere. Famosissima illa inter Legistas distinctio, quam inter bona mobilia & immoblilia faciunt, deridiculo haberi posset, cùm res omni-

Eccli. 44. 10.

omnino omnes, quæ sub Sole sunt, mobiles ac fluxæ sint: siquidem etiam possessiones de familiâ in familiam, quasi in orbitam migrant, non minùs ferè, quàm vestes, picturæ, & quæ sunt alia ejusmodi. Unde verissimus, & solus modus est, bona isthæc stabiliendi, si pro fundamento Eleemosyna

Serm. de Oper. & Eleem. statuatur. *Intuto hæreditas ponitur, quæ Deo Custode servatur*, ait S. Cyprianus *& hoc est charis pignoribus in posterum providere, hoc est, futuris hæredibus paterna pietate consulere.* Quod attinet opes & facultates præsentes prolis, qu prole carent, idem dici potest. Unde Mercator quidam locupletissimus à Rege suo olim interrogatus, sincerè ediceret, quantum

Salmer. in Evan. tom. 5. tr. 6. possideret facultatum, respondit: non plus mille coronatis. Videns autem Regem dicto commotum, ne iliusisse videretur, repetiit; non plus mille coronatis, siquidem Deo in suis pauperibus non plus reddidi, & de his mille certus sum; cæteræ facultates meæ tot ac tantis periculis subjectæ sunt, ut illas vix habeam pro meis. Nisi quòd nemo non videt, opes etiam reliquas eidem ab eo fœnori exponi potuisse.

Prov. 18. 27. *Qui dat pauperi, non indigebit*, ait Spiritus Sanctus. Ne timeatis, unquam fore, ut homo misericors ac beneficus in pauperes, ad incitas redigatur; etenim quo liberaliorem se indigentibus demonstraverit, eò vicissim Deum, qui humanitate vinci se non patitur, in refundendis identidem novis opibus liberaliorem experietur. Atque idcirco cùm vos creditores urgent, cùm Litibus infestamini, cùm insidiantur fures, cùm annui redditus deficiunt, hoc unum remedium arripite, & ne porrò dubitate. Scio fore vestrûm nonnullos, qui consilium hoc, si non ineptum ac stultum, saltem ut simplex condemnent, Consultorem autem reprehendant. At quantò meliùs hi audaculi facerent, si ignorantiam suam confiterentur! Contingit, Juvenem sanguinis ejectione, quæ isti non valeat, multùm affligi. Medicus opportunè accitus venam incîdi jubet. At verò, quî fiet, inquietis, ut sanguis, qui è venis profluit, alterius fluxum sistat? Omnino ita est, eliciendus est è venâ sanguis. Quod si miramini, id inde provenit, quod artis Medicæ peritiam non habeatis. Jam ad propositum nostrum ita ferme Deum nos alloqui credamus: Vos, ait, magnis aures meas planctibus repletis, & ingentem malorum, quæ vos circumdant, catalogum enumeratis; scilicet tempora esse iniquissima; lucra & quæstum succîdi, census imminui, mercatum deficere, Salaria restringi, & sic impares vos esse, qui alienæ domûs paupertatem sublevetis, cùm etiam, quo familiæ vestræ provideatis, plurimum desit. O homines miseros! quibus non dicam prudentia, sed nec Fides constat. Eleemosynas erogate, quibus ex angustiis hisce vestris exitum pandatis: *date & dabitur vobis*: Sanguinem alterum mittite, & illum, qui copiosè promanat, retinebitis. Vestrum utiliter sparigite eâ parte, quâ non effluit, & eâ parte, quâ se effundit nullo vestro commodo sistetis.

XIX. In vitis Patrum refertur; hominem

minam fuisse pauperem, qui, quidquid ex horto, quem multo labore colebat, peculii colligeret, magnâ cum charitate inter pauperes distribuit. Die quadam, instigante haud dubitè Cacodæmone, cœpit intra se dicere: Si omnia, dum Juvenis sum, erogavero, quid me lene fiet? tantúmque effecit insidiosa hæc cogitatio, ut hortulanus intermissâ omni eleemosynâ solicitè omnia sua lucra colligeret, & cistulâ bene firmatâ custodiret. Cùm subitò plaga se aperuit in coxendice, luculenta, & terra, cujus curandæ gratiâ primis coactus est à colendo horto suo desistere, subinde etiam omne suum peculium in chirurgos expendere. Et primùm quidem non modicâ lætitiâ miser homo perfusus est, quòd ex suâ parsimoniâ æs collegisset, quo debitum expungeret; sibique gratulatus est prudentiam, quâ quasi futuri præsagus nummos comparasset. Post satis longam tamen chirurgi operam audire debuit, non aliam, si porrò vellet vivere, rationem proferendæ vitæ superesse, quàm pedis ægri truncationem. Cohorruit ad funestum nuntium miser hortulanus, & licèt vitæ amore in sui mutilationem consentiret, totâ tamen illâ nocte, quæ feralem cultrum præcedebat, amarissimis frenum lacrymis permisit. Estne possibile, ajebat, ut Eleemosyna, quæ familiarum omnium fulcrum est, mihi uni viam faciat ad exitium? quæ fons gratiarum aliis scaturit, mihi puteus sit amaritudinis & miseriæ? atque hos inter planctus & ejulatus noctem exigebat planè desperabundus. Cùm ecce! subitò lucem animadvertit, & in luce DEI Angelum, qui serio & severo in eum vultu oculos defigens, ubi sunt, inquiebat, tuæ illæ pecuniæ, in quibus fiduciam reponebas, ut earum gratia Eleemosynam, DEO acceptissimam, interrumperes? perinde ac si non ista numos tibi, cúmque numis sanitatem suppeditaverit? reductâ postmodum in frontem serenitate, ejus subjunxit, pedem exhibe, plagam ostende. Cúmque æger pedem protulisset, Angelus uno eum contactu ita persanavit, ut cùm die subsequente chirurgus adveniret, pedem mutilaturus, hominem horti laboribus distentum, & palâ terram evertentem repererit, eo corporis vigore, ac si nunquam decubuisset. Videtis, quàm verùm sit, quòd dicebam, eleemosynam ingens arcanum esse iis, qui bene illâ uti nôrunt. Eleemosyna, ait S. Chrysostomus, *ars est omnium quæstuosissima*; non enim ad conquirendum tantùm, sed ad conservandum etiam bona conquisita valet, illo scilicet largiente Domino, qui benedictionem in eas familias inducit, quæ miseratione pauperum tanguntur. Hæc Dei benedictio sola divites facit juxta illud; *Benedictio Domini divites facit*; non industriæ, non astutiæ, non tenacitas; sola Dei benedictio, quam ex alto misericordiam bonis impertit, locupletat eos; qui beneficentiâ in egenos eum honorant.

Hom. 13. ad popul.

Prov. 10. 13.

XX. Mira omnino differentia Matres inter Ægyptias & Hebræas intercedebat. Ægyptiæ prolem unam singulis partubus effundebant; una dein

nocte meliorem omnium jacturam faciebant, primogenitis omnibus subitò interfectis. Hebrææ quandoque geminas enitebantur, ternas etiam ac quaternas, fœcunditate prorsus mirabili; & hæc tam numerosa soboles in annos plurimos vitam protrahebat, ita ut sola familia Patriarchæ Jacob intra annos non plus trecentos sexcenties millenas animas absque feminis & parvulis numeraret. Unde tanta differentia? nisi quòd feminæ Hebrææ, non item Ægyptiacæ, ex Populo à Deo benedicto originem haberent.

Prov. 11. 24. Eadem prorsus differentia Misericordes inter & Avaros reperitur. *Alij dividunt propria & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.* Ratio est, quia illi, non item hi, à Deo benedicuntur: *Benedictio Dei in mercedem justi festinat.* Veniam igitur demus Aristoteli, raro, non fieri facilè, ut, qui liberalis est, ditescat: locutus est ut Infidelis & Ethnicus. At non eandem veniam merebitur Christianus, qui post ampliſſimas Dei promissiones nihilominus tamen dubius hæret, an isthæc in pauperes liberalitas ad opes colligendas adjumento sit. Quin omnes experimentum sumant, & videant, an non cum Ecclesiastico in fine possint dicere: *In benedictione Dei & ipse speravi; & quasi qui vindemiat, replevi torcular.*

Eccli. 11. 24.

Eth. l. 3 c. 1, n. 12.

Eccli. 33. 17.

XXI. Messis isthæc ac Collectio prima est, scilicet temporalis. Æstimabilior, atque etiam securior est altera in bonum Animæ. *Multiplicabit semen vestrum*, ait Apostolus: en primam: *& augebit incrementa frugum justitiæ vestræ*: ecce secundam. Et quandoquidem id, quod superest, summi est momenti, hac ratione majoris claritatis gratiâ ejusdem tractationem distinguamus. Vel istiusmodi homo in egenos benignus ac liberalis in præsentiarum peccator est, an aliquando fuit? Supponamus esse peccatorem. Quis modus melior, deperditam recuperandi justitiam, quàm Eleemosynæ erogatio? *Ignem ardentem extinguit aqua, & Eleemosyna resistit peccatis.* Melior profectò modus, quo ignis coërceatur, non est, quàm aquâm magnâ copiâ affundere. Quod aquæ in incendio, Eleemosyna est in peccato. Non equidem omnino tollit id, quod Gratiæ munus est, sed eidem restitit; ne ulterius serpat, obtinet ac evincit; ac peccatorem etiam disponit ut gratiam consequatur, quâ deinde omnis vitiorum scentilla penitus obruatur ac extinguatur. Hæc fortunatissima Opulentorum sors est, si eam nôsse vellent, quòd nummis suis Dei Gratiam sibi comparare possint, non soùm absque gravissimo illo Simoniæ peccato, sed summâ etiam cum laude ac commendatione. *Date & accipite*, ait S. Chrysostomus: *date eleemosynam egenis, & à Deo gratiam accipietis*, & ex filiis iræ in filios dilectionis adoptabimini. Atque hoc sensu intelligendum est, quod Senior Tobias dicebat: *Eleemosyna ab omni peccato liberat*: non quidem, quòd illa omnia subitò peccata extinguat, olei instar, quo bruchi semel immersi suffocantur; sed eatenus liberat, quatenus Deum movet, ut nobiscum agat

Eccli. 33. 33.

S. Thom. 2. 2. q. 32. ar. 4. ad 2.

Tob 4. 11.

Franc. Padi de Animal. vivent. pag. 104.

agat misericorditer, córque nostrum disponat, ut eandem in se misericordiam recipiat, ac cum Deo cooperetur, qui Gratiam subministrat, quâ auxiliante hoc illóque crimine nos expedire valeamus. De cætero, si quis pauperibus eâ intentione subveniret, ut impunitatem sibi compararet, quâ in sordibus suis securus vitam ageret diuturniorem, tunc enim verò Eleemosyna nequaquam aquæ usum præstaret ad incendium restinguendum, sed picis instar vim ignis promoveret magis, magisque roboraret.

XXII. Quod si autem Justum Deó charum in præsentiarum ponimus, cum, qui Eleemosynam largitur, & ante hac solùm peccatis fuisse obnoxium, modus longè optimus peccata omnia coöperiendi est charitas: *Universa delicta operit charitas.* Etiam inter homines Magnatum vitia liberalitate conteguntur, adeò, ut quos vita pessima in contemptum & oblivionem adduceret, liberalitas tamen & munificentia etiam annalibus ac fastis inserat memorandos. Quæ causa fuit, quare Philippus Rex Macedonum diceret, in suâ esse manu, vituperia in laudes convertere, quibus à subditis impetereretur; satis fore, illam largitionibus aperire. Nisi quòd tegumentum istud, quo Viri grandes vitia sua absondunt, ex gui admodum pretii sit, utpote quod malum quidem obvelet, non tollat. Longè meliori ratione Eleemosyna peccatum operit; non enim ut vestis tantùm operit, sed ut balsamum, quod dum vulnus tegit, etiam persanat, ut ne circatricem quidem relinquat: negari etenim non potest Eleemosynam tantâ apud Deum virtute pollere, ut reatum etiam illarum tollat pœnarum, quas peccator culpâ jam deletâ pendere cogeretur. S. Thom. suppl. q. 25. a. 3.

XXIII. Ecce modum longè verissimum; quo anima iis se debitis exsolvat, quibus aliâ ratione eximi non posset, Eleemosynam. *Redemptio Animæ viri, divitiæ suæ*: & hoc quidem juxta duplex Redemptionis genus; primum, quo quis à servitute, quam incurrit, liberatur; alterum, quo quis, ne in servitutem incidat, præservatur. Est Eleemosyna Redemptio à servitute primo modo accepta, dum hominem debitis illis absolvit, quæ culpis à se commissis apud Divinæ tribunal justitiæ contraxit, juxta illud Danielis, quo sceleratum Babylonis Regem commonuit: *Peccata tua Eleemosynis redime:* & juxta mentem ac communem Doctorum sensum, qui cùm de deEleemosynâ discurrunt, veriti non sunt Eleemosynam cum Baptismo conferre (usque adeo magna illius efficacia est, quâ debita hucusque contracta expungit) imò eidem etiam præhabere ex aliquâ saltem parte; nam Baptismus, utut sit balneum, quo omnes animæ sordes & maculæ absterguntur, non nisi unâ tamen vice illud ingredi conceditur; cùm contra Eleemosyna millies iterum ac millies repeti possit, lavacrum utique tantò salubrius ac commodius tali capiti, quod sæpius ac frequentiùs contingit inficì ac conspurcari. Ex alterâ parte Eleemosyna redemptio à

Prov. 13. 8. Ambr. serm. 32. Leo. ser. 2. de collet. Cyprian. de Eleem.

Prov. 10. 12.

servitute est, quæ hominem præservat, cùm Justum retinet, ne in illa denuo peccata relabatur, quæ ei tantò post pretio essent constituta: ferè ad eum modum, quem paulo superiùs ex Ecclesiastico annotavimus, cùm diximus, quòd Eleemosyna *resistat peccatis*. Quæ si peccatis resistit in peccatore adhuc dum peccatis obstricto, quid non efficiet in animâ ad DEUM jam conversâ? In Peccatore peccatorum vinculis etiamnum ligato resistit, dum illam actuum multiplicationem inhibet, quæ cæteroquin esset consecutura (sunt enim peccata flammis similia, quæ magis ac magis exardescunt, usque dum tota in cineres sylva subsidat) & ita viam facit ad conversionem: *Pœnitentibus dedit viam justitiæ*; in Converso autem dicunt resistere, cùm robur meretur, quò mali habitus, qui remissis etiam culpis persistunt, extinguantur, ne residuis quibuscunque scintillis incendium porrò resuscitetur; & sic perseverantiam finalem operatur: *Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi*. Uno verbo: tantæ Eleemosyna est efficaciæ ad acceptam Dei Gratiam porrò conservandam, ut illam ceu oculi pupillam custodiat: *Gratiam hominis Eleemosyna quasi pupillam conservabit*. Tamque est efficax ad eam reparandam, ut cùm eam propriâ virtute restaurare non potest, posse tamen videatur: *Date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*.

Eccli. 17. 20.

Psalm. 11. 9.

Eccli. 17. 18.

Luc. 11. 41.

XXIV. Verum quidem est, tot ac tantis bonis eos magnam partem privari, qui Eleemosynarum elargitionem in ultimum vitæ tempus differunt. In primis enim netum quidem, quod proposuerant, præstant, vel quia consanguineorum operâ à proposito distrahuntur, vel quia morbi vi oppressi ipsimet obliviscuntur; vel quia increscente in iis divitiarum inordinato amore, & multò magis etiam filiorum, induci nequaquam possunt, ut Christum in ejus hæreditatis partem admittant, quam nunquam satis pinguem arbitrantur. Si quâ nutrix lac diu nimis infanti subtrahit, ita demum lacteus ille humor in mamillis coagulatur, ut nec sugendo, nec comprimendo eliciatur: Idipsum planè infelicissimis his Euclionibus obtingit; dum enim avaritiâ impellente tenaciùs retinent facultates, vitæ tempore congregatas, non tantùm sponte ad sublevandam, ac quasi lactandam paupernm inopiam nihil profundunt, sed ne adhibitâ quidem vi sibi quidpiam extorqueri patiuntur; id quod fit, cùm mercenarii, atque suam expetunt mercedem diurnam, nec possunt impetrare.

XXV. Sed demus, hoc non sequi; concedamus, quòd ad ultimam vitæ lineam devoluti eleemosynas etiam largas testamento transcribant. Quænam tamen hæc est liberalitas? donare Deo, quod retineri non potest? quantò fuisset animæ conducibilius, hoc ipsum, & minus etiam, dudum distribuisse, & in alterius vitæ semitam quasi facem præmisisse potiùs, quàm subsequi jussisse? Quot peccata fuissent impedita? quot preces obtentæ? quantò Divinæ Justitiæ major satis-

satisfactio persoluta, à misericordiâ. Gratiâ impetratâ? *Minus solvit, qui tardiùs solvit: nam tempore minus solvitur*; ajunt Leges. Pronuntiate modo, an reddat, quantum debet, qui tam serò solvit, ut seriùs non possit.

l. si cui ff. de Verb. & rer. sign.

XX. Præterquam quòd hæ ultimæ voluntates sæpius malâ fide executioni mandentur, & verè pauperum exigua ratio habeatur, aliique minùs egentes summè indigis præferantur. Apibus admodum infaustum accidit, si tempestas verna tardiùs solito initium sumat: minus enim laborant, & alimenti minus colligunt. Simile quid evenit pauperibus, quia divitibus primum speratâ ope defraudantur, & non nisi in testamenti tabulis commendantur; deinde verò etiam à Testamenti executoribus, qui Legata aut non ex toto, aut inviti reddunt. Unde meritò Sapiens: *Ante mortem benefac amico tuo, & secundum vires tuas exporrigens da pauperi*: Eleemosyna enim in vivis erogata & salutifera magis, & securior est; salutifera quidem eroganti, secura verò accipienti.

Eccli. 14. 13.

XXVI. Hæc ex occasione. Ut ad propositum revertamur, quis vester sensus est circa geminam illam messem, quam veri Eleemosynarii è manibus pauperum colligunt, tam in vitæ temporalis, quàm æternæ subsidium? *Promissionem vitæ quæ nunc est, & futuræ.* An esse uberem satis ac copiosam negabitis? Magnus quidam Eleemosynarius mercatores in granarium suum inducens, quantum vultis mihi dare, inquiebat, pro ingenti hoc frumenti acervo? reponebant hi: Coronatos tot & tot centenos; quot scilicet propositæ rei pretium exigere videbatur. Cùm ille: novi ego, qui absque comparatione plures multò mihi numerabit. Vos etenim, si frumentum vendidero, paulò plus, quàm ego ipse expenderim, dabitis; at ubi Christo in suis pauperibus distribuero, reditus ille meos identidem geminabit, & ipsum denique Cælum, in amplissimum lucri cumulum addet. Quo dicto mercatores animo compunctos dimisit, frumentum autem magnâ alacritate in pauperes, emptores haud dubiè certissimæ solutionis, dispersit. O negotiationem lucrosissimam! tam modicum expendere, & tam multum vicissim recipere!

XXVIII. Et tamen quotus quisque Christianorum est, qui negotiationem hanc lucri feraciissimam non recuset, quasi cautum ei non foret satis; qui facultates suas Dei manibus plenè committit? an fœnerator Deus, aut fraude non vult, aut iniquâ sorte jacturam opum passus, non potest, promissum in Evangelio centuplum reddere? Certè si ulli, stultorum nomine hi appellari debent, non minùs ac ille à Christo Domino titulum eundem retulit, de quo S. Lucas: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem parâsti, cujus erunt?* Veriissima omnino hæc stultitia est, quæ impedit, quo minùs de rebus judicemus secundùm altissimam earum causam DEUM, & sapientiæ dono adversatur: advertite

Luc. 12. 20. Cajet. 2. 2. q. 46. a. 1.

proin, an non illa sit, propria Divitis sordidi, & in egenos parci. Hic opes & divitias ob illa tantùm commoda æstimat, quæ terrena & caduca sunt; non propter illa perpetua, quæ
Tob. 4. 11. in Cælo apta sunt parere. *Eleemosyna*, ô verba aurea! *Eleemosyna non patitur animam ire ad tenebras.* Et revera ita se res habet. Tam admiranda Dei fuit Bonitas, ut voluerit divitias, quæ naturâ suâ malorum omnium sunt incentivum, & se possidentibus materia perditionis; instrumentum evadant, quo, qui vult, salutem suam operetur, & aptissimum medium Prædestinationis etiam altissimæ, id quod
Act. 10, 1. in Centurione Cæsareensi, de quo in Actis Apostolorum cum laude fit mentio, satis manifestè ac luculenter comprobatur.

XXIX. Neque tamen credatis velim, divitias solis divitibus medium prædestinationis à Divinâ Bonitate datas esse, qui eas largâ manu distribuunt. Non ita, sed ipsis etiam Pauperibus, quibus distribuuntur, in medium vult cedere ejusdem prædestinationis. An id experientiâ non constat? Si margaritarum conchæ opportuno rore turgent, magnis incrementis augescunt margaritæ, si
Plin. l. 9. fides est Plinio: *Grandescit partus.* Contrà verò, cùm Cælum est turbidum & tempestatibus miscetur, ipsæ etiam margaritæ aut colore turbidæ, aut magnitudine exiles reperiuntur. *Pro jejunij modo minuitur.* Utinam non quotidie hoc eveniret Christianis! Quod pauperculæ Virgines, si necessario non carerent alimento, intactam conservarent, quin & magnis auctibus ornarent integritatis suæ Margaritam? at quia omni ope destitutas vident, famèque pressas, non imminuunt tantùm virgineæ castitatis nitorem, sed omnem profligant. Animis quæso vestris perpendite, quot crimina, quot opprobria, quot scandala, quot animarum miserè pereuntium jacturam una impediret Eleemosyna in tempore suppeditata, Dos unica, donum unum, unicum opportunum auxilium? Ad hunc finem Deus copiosas diviti facultates concessit, *ut meritum bonæ dispensationis acquireret*, ait S. Thomas, ut terrâ cælum compararet, non sibi tantùm, sed & proximo suo, cujus dum corpus languidum servat, etiam animam in tuto locat. Dives autem stultus, dum nihil horum perpendit, solùm attendit, quâ ratione se ipsum saginaret, donec tandem fieret victima Divinæ cultro justitiæ destinata.

2. 2. q. 117. a. 1. ad 1.

XXX. Quanto igitur jure illud audire cogitur: *Stulte, hâc nocte Animam tuam repetunt à te! Hac nocte*, in crassis istis tuis ignorantiæ tenebris, aut verius iniquitatis, siquidem eæ ortæ non sunt ex naturalis judicij defectu, sed ex spontaneâ in his sensibus subjectas immersione; in his, inquam, Anima tua à te repetitur: *Animam tuam repetunt à te.* Quod si ab hujusmodi Euclione quamlibet renitente, Anima repetitur, quanto magis facultates repetentur, quas aut malè expendit, aut non melius servavit? Ibi tandem Divites intelligent, quod hactenus capere noluerunt, scilicet,

S. Thom. 2. 2. q. 4. 2.

non

non esse se absolutos rerum suarum dominos, qui possint pro arbitrio de iis disponere, & pro libidine eas expendere, quin rationem aut de dispositis, aut de expensis debeant cuiquam reddere. Tunc agnoscent, præceptum de dandâ Eleemosynâ, quod implere recusârunt; videbúntque, quòd, sicut Leges humanæ in communi quadam navigatione quemque obligant, ut, quem pane nautico destitutum viderit, illi de suo largiatur, majori longè rigore Divina Lex præcipiat, ut, dum universali quadam navigatione conjuncti, ad communem patriam tendimus, si qua proximum egestas affligat, quisque, cui ultra necessitatem suam de bonis prospectum est, alterius necessitati succurrat. 2. Cor. 8. 14. *In præsenti tempore vestra abundantia illorum supppleat inopiam.* Neque ullus sibi persuadeat, solum ne in terris fore superstitem, aut in divitum tantùm gratiam Mundum fuisse conditum: Isa. 5. 8. *nunquid habitabitis vos soli in medio Terræ?* Hæc & hujusmodi à crudelium gente divitum in postremo illo judicio Deus exquiret, iisque ostender, quòd bona, quæ possedêre, sub Mundi hujus primordia omnia fuerunt communia: Unde si eorundem postmodum divisionem ab hominibus factam approbavit, approbavit expressâ hac conditione adjectâ, ut divites pauperum curam susciperent, & ij, qui plus aliis accepissent, Montium instar tantò plùs cælestium aquarum in valles diffunderent, quò ipsi copiosiùs fuissent inundati.

l. si laborante §. cùm in eadem. ff. ad l. Rhod.

XXX. Illud porrò, quod infelicitatem tam culpabilis stultitiæ omnium maximè cumulabit, non in solâ abusûs sui cognitione finietur, quâ opes sibi superfluas pessimè collocatas intelligent, & insuper agnoscent, se tempus porrò non habituros, quo errorem corrigant. *Quæ autem parâsti, cujus erunt?* Transeunt bona per alienas manus, quas inter etiam manus filiorum atque filiarum numero, qui parvo à morte intervallo omnem parentum memoriam deponunt, ita ut eorum non magìs recordentur; quàm si ab iis generati non fuissent. Transeunt, inquam, bona per alienas manus; anima verò interim sine fructu stultitiam suam mille maledictis incusat. Non ita vos, Dilectissimi! Sancti Augustini potiùs consilium audite, opportunum planè & tempestivum: *Da quod non potes retinere, & accipe, quod non potes amittere.* Date DEO libenter id in suis pauperibus, quod à morte defendere non poteritis; & vicissim accipite à Divinâ misericordiâ bonum quoddam infinitum, quod mortis imperio nullâ est ratione subjectum. In Psal. 36.

DISCUR-

DISCURSUS XVIII.

De Modo in erogandâ Eleemosynâ observando.

I. COmmunis Pauperum querela est, refrixisse hac nostrâ tempestate charitatem. Ego illam falsam judico, & credo omnino, quòd saltem de Christianis cum veritate affirmari possit, multos inveniri Eleemosynarios, etiam non quæsitos. *Multi homines misericordes vocantur.* Prov. 20. 6. Sed demus, temporum nostrorum iniquitate fieri, ut non injuriâ hujusmodi questus edantur; adeò ut multâ opus foret diligentiâ, dum verus, & qualem res postulat, Pauperum pater inveniatur; proinde, id quod circa res deperditas observari consuevit; signa vobis monstrabo, quibus virum ejusmodi dignoscatis. Sunt autem tria potissimum, manus, vultus, oculus: manus ampla & aperta; vultus hilaris & affabilis; oculus excelsus & in Cælum defixus. En imaginem Eleemosynarij suis numeris absoluti. Nunc partes illius singulas consideremus, non tam ut in aliis illum requiratis, quàm in vobismetipsis exprimatis, ipso opere Christianam illam charitatem exercentes, quàm facili negotio verbis adeò magnificis in aliis deprædicatis.

I.

II. Primum Hominis verè liberalis indicium est Manus, cùm ad sublevandas Pauperum calamitates est & prompta & larga: *Non dare*, aiebat S. Chrysostomus, *sed cum copiâ dare, Eleemosyna est.* Hom. 27. ad pop. Ant. Cùm tempore æstivo una alteráve guttula in terram sitibundam decidit, non dicitur pluvia irrigua decidisse; tantulum enim non sufficit ad multam terræ siccitatem irrigandam, quæ plenas nubes exposcit. Ita quorundam Eleemosynæ nomine isthoc non sunt dignæ, quæ & illorum opibus, & egentium necessitatibus longè sunt inferiores. Illa nomen suum meretur, quæ liberalis instar pluviæ agros inebriat & saturos reddit. *Inebriavi animam lassam, & animam esurientem saturavi.* Si mo- Jerem. 31. 14. lestum vobis non accidit, dabo vobis eandem miserationis vestræ in alios exercendæ mensuram, quam ipsi à Deo flagitatis. Omnes respectu Dei mendici sumus, atque ideo ad magni illius Patrisfamilias januam supplicamus, nullâ non horâ clamantes: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Domine converte oculos tuos ad miserias meas, & pro tuâ magnâ misericordiâ Eleemosynam largire. Quòd si Dei misericordiam in nos magnam esse volumus, magnam omnino etiam proximo nostro exhibeamus, ita ut non egenus tantùm abeat

abeat contentus, sed Anima etiam nostra suum integrè debitum expungat; ad eum ferme modum, quo sancta illa Tabitha fecisse scribitur: *Erat plena operibus bonis & Eleemosynis, quas faciebat*: plena operibus bonis habita consideratione personæ propriæ, Eleemosynis autem respectu pauperum, quibus erogabat: quasi plus præstitura, si plura mulier præstare potuisset. Et certè, quæ est manus illa, quæ ad dona à DEO recipienda nunquam non aperta; ad expendenda verò pro DEO & DEI amore munera nunquam non est parca & clausa? non est manus Eleemosynarij: & ideo vestra non sit. *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* Eadem S. Thomæ mens est, qui proprium Eleemosynæ esse judicat, date abundanter. *Laudabile est abundanter dare.*

Act. 9. 36.

Eccli. 4. 36.

S. Thom. 2, 2. q. 32, a. 10.

III. Observandum est tamen, hanc abundantiam non absolutè accipiendam esse, sed, ut ipse ait, cum proportione ad dantis bona & vires. Vidua illa, quæ nonnisi *duo minuta* in gazophylacium immisit, majorem, quàm omnes alij à Christo laudem tulit: *plus omnibus misit*: scilicet non alia ex causa, quàm quòd inopiæ illius graviùs accidebat, iltis se minutis exspoliare, quàm opulentis alijs ingens argenti pondus erogare. *Omnes ex eo, quod abundabat illis, miserunt: hæc verò de penuria sua, omnia quæ habuit, misit, totum victum suum.* Potest igitur quis vestrûm magnus esse Eleemosynarius, etiam qui dives non est; potest enim dare partem illius, quod ipsi foret necessarium, & hac ratione superare omnes alios, qui, quo abundant, se privant. *Frange esurienti panem tuum*, ait DEUS per Prophetam: si non habes nisi unum panem, quo vivas, atque ideo totum dare non vales, divide eum, & dimidium egentibus elargire. *Frange*, & parem cum divitibus remunerationem habebis, quin & ampliorem; virtus enim liberalitatis desumitur à cujusque opibus: quo fit, ut non Opulenti tantùm liberalium nomen promereri possint, sed Pauperes etiam, id quod Philosophus docet: *Nihil prohibet aliquos virtuosos, licet sint pauperes, esse liberales.* Sufficiet eam Regulam observare, quam Senior Tobias dilecto filio suo præscripsit: *Quomodo potueris, ita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.*

Marc. 12, 44.

Mar. 31. 14.

Ham. 27. ad pop. Ant.

Jerem.

Isa. 58. 7.

S. Thom. 2. 2. q. 11, ar. 1. ad 3.

Tob. 4. 9.

IV. Antiqui illi Christiani aliâ, eáque longè pulcherrimâ industriâ connitebantur in numerum Eleemosynariorum venire; ut enim rerum suarum partem egenis possent communicare, ipsi jejunabant; ad quod faciendum Summorum etiam Pontificum consilijs inducebantur: *Sin verò aliquis non habet, jejunet, & cibum illius dieì partitus, destinet Sanctis.* Undenon potestis non videre, quanto veri illi Fideles studio contenderint, ut manus ad exercendam charitatem quàm promptissimas & apertissimas haberent, cùm pro se & alijs, quod commederent, non suppetebat; sibi ipsis famem indixerunt, ut alijs, quod roderent, impertirent.

S. Clem. l. 8. Const. c. 12.

V. Quid igitur de illis temporum nostrorum divitibus dicemus, qui manibus semper constrictis vivunt? cùm mendicum sibi obvium habent, ne quidem ad nummulum unum ei suppeditandum moveri possunt, ex tot, quibus crumena turget, satisque se esse misericordes arbitrantur, si dicant sine stomacho: *Deus te adjuvet, vade in pace.* Laudabile est omnino illorum Christianorum inventum, qui cùm non habent, quod erogent, illico preces quasdam fundunt, quibus DEUM exorent, ut ille indigentium istorum curam suscipiat, eisque aut patientiam conferat, aut pecuniosо cuipiam mentem injiciat, ad ipsis subveniendum. Sed quàm mihi hoc placet, maximè in ijs, quibus reverà deest, quod largiantur; ita summè in illis displicet, qui, quod dent, habent. An æquum bonúmque vobis videtur, quòd locuples egenum ad Deum mittat, ab ipso stipem rogaturum, cùm DEUS potiùs hunc ad divitem ableget, ut habeat, cui opituletur? Morabatur Daniel Propheta longo satis tempore jejunus in illo celebri Leonum specu, cùm DEUS Angelum destinavit, qui Prophetam Habacuc capillis apprehensum è Judæa in Babyloniam transferret, à quo prandium messoribus apparatum, utut tenue & frugale, acciperet. Quare *Dan. 14.* Deus non per eundem Angelum, quod illi erat facile, & videbatur viâ longè breviore fieri potuisse, cibum submisit, ac Prophetam Habacuc suum sibi pulmentum habere permisit? Vult nimirum Deus, ut Eleemosynam homines impertiant, & sic mutuo amore in suis se necessitatibus complectantur. *Estote invicem benigni.* Et si quando Inopes, captivi, infirmi, aut quavis alia miseria præpediti, Opulentos accedere non valent pro auxilio opportuno, uti non poterat Daniel, vult DEUS, ut Opulenti in egenos inquirant, eisque subveniant, id quòd tunc Habacuc fecit. Et vos contra optimum hunc ordinem, denuo pauperem ad DEUM amandabitis, quando ipse DEUS pauperem ad vos ablegat? & mittit quidem, non quod infiniti alij modi, quibus egenis provideat, ei non suppetant, etiam sine miraculo, sed quia eos per vos juvare vult, vósque suorum loco dispensatorum constituit. *Dispensatores multiformis gratiæ DEI,* Certè in hoc laudare vos non possum: neque enim DEUS in vestrum vult officium involare, idque, quod vobis incumberet, facere. Si dicat aliquis ex vobis: *Ite in pace, calefacimini & saturamini non dederitis autem, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?*

Eph. 4. 32.

1. Pet. 4. 10.

Jac. 2. 15.

VI. Quid porrò de illis dicemus, qui pauperibus aliquid subministrant, non ea tamen intentione, ut eorum necessitates sublevent, sed ut habeant, quò eos magìs premant? Et hi tamen ipsi Eleemosynarijs se accensent. Quasi pauperum forent Patroni, anticipato quasi munere levamen porrigunt; eo tamen fine, ut suo tempore cum fœnore & usura illud recipiant. Hæ non sunt illius, quem quærimus, Eleemosynarij manus, harpyiarum potiùs ungues dixerimus. Accidit non-

nonnunquam in æstate, pluviam adeò nitro infectam decidere, ut fata omnia destruerentur eo ipso tempore, quo miseri coloni sibi pluviam gratulabantur. Idem Egenis contingit, prodigio nostris temporibus, heu! nimiùm familiari: magnificis nescio quid verbis datur, re ipsa pæne nihil. Lapsu temporis id ipsum, quod cum onere restitutionis concessum fuit plùs quàm acceperint, redhibere compelluntur, ut denique, si res suis momentis libretur, pro eo quòd humoris aliqui alieni pauperculis hisce plantis relinquatur, etiam id, quod proprium erat, exsugatur. Heu crudelia auxilia! nôstis, quòd Chiromantæ, antè, quàm fortem prosperam aut adversam prælagant, manum priùs inspiciant: quæ si bene formata est & lineas palmæ longas, rectas, distinctásque habet, indicium longæ vitæ præseferunt. Ego verò de manu tam liberali atque compressa nunquam auderem felix & auspicatum edere augurium *Vitæ, quæ nunc est futura*, Eleemosynatus à Deo promissæ. Enimvero nihil ad ipsos vita pertinet, dum ipsi nihili pendunt, id quod à morte liberat: *Eleemosyna à morte liberat.*

Georg. Agric. l. 3.

Aristot. sect. 10. Probl. n. 48

Tob. 4. 11.

II.

VII. Pergamus porro in explicanda Eleemosynatij imagine. Post manum amplam & apertam vultus alacris & affabilis venit. Qui rerum militarium bene gnari sunt, volunt, ut qui militem parat scribere, attentè vultum cujusque consideret, atque ex eo de magnanimitate Candidatorum militiæ conjecturam & judicium faciat. Credo equidem, observationem hanc magni esse ponderis. Ego tamen profiteor, non erraturum me, si cujuspiam vultum, qui Eleemosynas elargitur, contuitus fuero, longéque majori cum certitudine edicturum, an veræ misericordiæ radijs resplendeat, an fictis tantùm simuletur: cùm ipse etiam Deus in Eleemosynatio liberalem hilarémque vultum requirat: *In omni dato hilarem fac vultum tuum*: ut ex ore Ecclesiastici audimus. Hæc enim vultûs hilaritas mirum omni Eleemosynæ splendorem conciliat. *Qui misereatur in hilaritate*, ait etiam Apostolus. Ille enim, qui in pauperibus Eleemosynam recipit, Deus, magis intima cordis respicit penetralia, quàm externam operis apparentiam. Quin neque hoc tantùm contentus, per eundem Apostolum pergit dicere, ut, si quid datur, id non fiat *Ex tristitia, aut ex necessitate*, siquidem Deus magis ipsam dantis liberalitatem, quàm doni magnitudinem intueatur: *hilarem enim datorem diligit Deus.* Quod si Deus hæc contestatur, non est, quod in dubium trahatis.

Veget. de re milit. l. 6.

Eccli. 35. 17.

Rom. 12. 8.

2. Cor. 9.

VIII. Quod si denuo rogetis, quanta hæc largientium alacritas esse debeat? dicam. Quisquis Eleemosynam erogaverit, plus se recepisse, quàm dedisse præseferat. Mensura hæc est, quàm S. Chrysostomus vobis consignavit, ad Charitatis Christianæ modum ex æquo cognoscendum, *si putes, te magis accipere, quàm dare.* Robertus Galliarum Rex semper miles pauperes suis sumptibus alebat, eósque viæ comites secum ducebat ab una civitate in alteram, neque unquam

Hom. 13. ad pop.

ferebat, ut pedites incederent; corporis Regij stipatores dixisses, nisi honorarios Aulicos rectiùs quis compellâsset. S. Joannes Eleemosynarius, cùm pauperes ad se vocaret, *Domini mei*, inclamabat. B. Amædeus à Sabaudia nobilissima metaphora canes suos venaticos appellitabat, quorum ope Regnum cælorum venaretur. Hic omnino genuinus Eleemosynariorum vultus est, expers omni rugæ, explicatus, jucundus, in quem lætissimo ex corde hilaritas transpiret.

IX. Verùm quàm remoti à sereniss. hoc vultu sunt, qui, quidquid pauperibus erogant, à se cum stomacho abjicere videntur, adeò invitè largiuntur. Tot adhibent cautiones, tot movent quæstiones ac dubia, priùs quam assis partem minimam è loculis promant, ut de flore sanguinis ex venis intimis eliciendo agi putes. *Quare*, inquiunt, *non laboras? quare te ipsum non juvas? cur vires tuas non exeris? quare tuismet brachijs ac manibus non lucraris, unde vivas?* alijsque similibus miseros sine fine exagitant. *Eccli. 20. 15.* *Exigua dabit, & multa improperabit.* Et hæc est miseratio succurrentis? Olim in Hibernia Matres, ut filios suos ad bellum instituerent, à primis statim incunabulis, panem ensis mucroni affixum porrigebant. Quid aliud faciunt modò nonnulli? tenuem illam stipem, panem mucidum quomodo porrigunt? pro eo, quòd illum dent habitu consolantis, offerunt eum suffixum mucroni verborum acerbè pungentium & vulnerantium, quibus illam Eleemosynæ suæ umbram comitantur. O inhumanam beneficentiam! *in omni dato non des tristitiam verbi mali*, ait Dominus; verba enim suavia omne munus mitè condiunt & sapidum reddunt. *Nónne ecce verbum super datum bonum?* Nimis miserum est beneficium, quod est cum injuria conjunctum: nec unquam accipienti accidere gratum potest, dum ipse non parum facit, si vicissim dum munus acceptat, injuriam condonat. Quod si hoc in omni beneficio contingit, quanto magis in illo, quod exhibetur Pauperi, cui, si nihil aliud, saltem bona verba debentur, utpote quæ danti non magno constant? Quapropter *declina pauperi sine tristitia aurem tuam*, hortatur ipse Deus, & *responde illi pacifica, in mansuetudine.* *Eccli. 4. 8.* Videte, qua ratione pauperes tractari debeant: Non modò communi aliqua mansuetudine, quâ afflicti quique consolationem accipiunt, excipiendi sunt, sed benignitate longè perfectiore, planéque singulari fovendi sunt, quæ viscera eorum pace repleat, *responde pauperi pacifica in mansuetudine.* Quia etsi quandoque ratio subesse possit, parum alicui roganti impertiendi, manúmque contrahendi, nulla tamen unquam subesse potest, quæ ad inhumaniter objurgandum frontémque rugis minaciter exasperandam inducat. *Eccli. 10. 1.*

X. Duo tamen sunt, quibus crudelitatem suam divites immitissimi palliare, tenacitatémque manûs, & vultûs atrocitatem excusare laborant. Primum inde desumunt: quòd Pauperes sæpe se fingant pauperes, & non sint:

sint: aut saltem egestatem suam longè ultra verum exaggerent. Sine dubio cautelâ quædam in distribuendis eleemosynis adhibenda est; & magis indigi, magisque digni aliis solerter præferendi. *Da bono, & non receperis peccatorem*, ait Ecclesiasticus, *benefac humili & non dederis impio.* Eo saltem casu, quo eleemosynæ nonnisi ad confirmandos in sceleribus suis nefarios servirent. Vera sunt hæc omnia, non minùs tamen & istud verum est, quòd nimiæ istæ inquisitiones & solicitæ informationes nihil pænè aliud efficiant, quàm quòd illam dandi promptitudinem, bonámque voluntatem mulcùm labefactent. Virtus misericordiæ non dijudicat merita; sed sublevat miserias. An putatis, quòd quinque illa millia, quæ Christus in deserto abundantissimè refecit, non nisi ex bonis fuerint conflata, nullúsque inter illos nequam fuerit? Servator tamen ad hoc non respexit, sed solam, quam patiebantur, famis rationem habuit, afflictorúmpue commiseratione tactus, omnibus eodem modo, etiam novo ac prodigioso, subvenire non dubitavit. Plus dicam: Misericordiam illam, quæ indifferenter etiam in malos exercetur, ex alio capite longè æstimabiliorem evadere; quia quodamodo divinior est, & magis Patris cælestis bonitatem æmulatur, *qui pluit super justos & injustos*, victumque tàm corvis, quàm columbis præbet, æquè largus in utrosque Providentiæ suæ dexterâ. *Aperit manum suam & implet omne animal benedictione.* E diverso, qui tanquam Quæsitores fiscales egeno homini ne frustillum quidem panis largiri volunt, nisi judiciario priùs processu instituto, Magistrum & Doctorem habent Dæmonem: hic enim, post quadraginta jejunij dies, à Christo in deserto exactos, cùm extremæ huic indigentiæ subvenire deberet, curiosè potiùs rescire voluit, homóne esset cæteris similis, an Dei Filius? Omittite igitur tot quæstiones, boni an mali sint, qui vestram opem exposcunt. Manum marsupio immergite, & facite officium vestrum hilares ac prompti; quia semper bona est Eleemosyna, etiam cùm malus est, qui accipit; & illa melior, quæ celerior. Haud aliter ac ille inter liquores est purior, qui destillat prior. Quòd si Pauper Eleemosynam vestram dilapidabat, luxui exponet, aut commessationibus absumet, non ideò quidquam inde deperdetis; siquidem dici non poterit, vos stipem non dedisse. Hujusmodi farinæ Pauper, in qualem vos incidere tam solicitè timetis, à Beato Jordano, Ordinis S. Dominici Generali, stipem petiit, & obtinuit tunicam veterem. Istam Sycophanta mox divendidit. & cum pecuniola inde redactâ, junctis sibi alijs lucronibus rectâ ad popinam. Quid putatis virum sanctum respondisse homini factum referenti? Malo, inquiebat, tunicam perdidisse, quàm occasionem peritam à me Eleemosynam largiendi: indicaturus hoc suo responso, tum solùm se jacturam fuisse passurum, si alienæ necessitatis non necessaria disquisitione consilium

Eccli. 12. 6.

Matth. 14.

Plin. l. 11. c. 35.

servatoris adimplere clausis oculis omisisset. An non Christus fuit, qui dixit? *Omni petenti te tribue.* Ad quid ergo tã solicita investigatio, num pauper sit, qui stipem petit, an non sit pauper? satis vobis sit scire quod petat ut pauper. Luc. 6. 30.

XI. Quod si ad excusationem à ferendo egenis auxilio non sufficit, dicere, à quibusdam paupertatem simulari, qui tales non sint; quantò minùs excusabimur, si dixerimus, quosdam quidem vera paupertate premi, non tanta tamen, quantam ad extorquendum amplius subsidium obtendunt? Imo hoc ipsum ait S. Joannes Chrysostomus, divitum culpæ adscribi debet, qui adeò duri corde sunt, ut ad commiserationem simplici miseriarum expositione non moveantur, sed necesse sit, illam verbis amplificare & exaggerare. Certè mater illa crudelis est, quæ filio blandæ charitatis signa non exhibet, nisi hic infirmum se fingat.

XII. Alteram parsimoniæ erga inopes excusationem locupletes à familiæ suæ necessitatibus mutuantur: eáque justæ inter eos monetæ usum obtinet; quam vis, si planè adulterata non est, justi saltem ponderis non sit: ut meritò religioni sibi ducere deberent, quòd eâ passim utantur. Non est, inquiunt, habendi cupiditas, quæ facit, ut parcè & inviti Pauperibus largiamur. Facit id, quòd dare his non possimus, quin subtrahamus nostris liberis: facit id amor, quo in hos naturâ ferimur: hic enim cogit majorem semper habere rationem eorum indigentiæ, quàm aliorum, quorum cura ad nos non pertinet. Equidem ante omnia, si aliud propositum Parentibus non esset, quàm de necessariis prospicere familiæ, parùm laborandum esset in respondendo huic eorum effato, eóque refutando: sed quia præterea nemo non id studiosè agit, ut ulteriorem ad gradum illam evehat, ideò nemo unquam habet, quod sit satis; imò quo plus habetur, hoc desideratur amplius, tantóque major est amittendi formido. Qui corpore magis obeso sunt, minus sitiunt, siquidem plus interni humoris habent; at è diverso quò quis in terris opulentior, hoc majori plura possidendi siti vexatur: & instar plus æquo amantium, pericula ut proxima & jamjam imminentia pertimescunt, quæ ne remota quidem sunt. Liberos habetis? quid inde: Sancti Caroli parens largas admodum Eleemosynas in pauperes distribuebat, & hinc ab amico quodam admonitus, quot tam multa egenis largiendo inopes suos liberos esse relicturus: fiduciâ dignâ sanè homine Christiano reposuit: Ego filiorum Dei curam geram, Deus geret meorum. Et dictum eventus probavit. Quis unquam vidit, familiam Eleemosynis ad incitas redactam? quin imò, hic demum est modus omnium securissimus opes cumulandi. *Honora Dominum de tua substantia,* dicit S. Spiritus, *& implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Quis unquam parens locuples prolis suæ Nutrici de victu parcè sordidéque prospexit? quin utut ea vili etiam conditione, ab Hero tamen ad suam met mensam admittitur, ibi ferculis, cibisque Prov. 3. 9.

bísque lautioribus pascitur, ut lacte abundet, quo charam sobolem nutriat. Et vos DEUM, in omnes divitem, fingitis parcum & tenacem erga eos, qui Eleemosynas largiuntur; licèt eorum charitas, tanquam Nutrix amantissima, multis gratissimis DEO filijs, Pauperibus inquam, de alimentis identidem prospiciat. Certum vobis sit, hominem Christianum, qui censet se alienam inopiam sublevando magnam jacturam facere, palam præsefere, nullius apud se ponderis esse divina promissa: nec enim aliàs ita dissereret, sed certò sibi persuaderet, se indigentibus largiendo æs suum fœnori dare magno illi Mensario, qui centuplum addixit etiam in terris, pro omnibus omnino bonis sui amore relictis.

III.

XIII. Sordes istæ nostræ effectus sunt fidei intermortuæ ac deficientis, *Veruntamen Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Quapropter ut manus larga, vultúsque hilaris in Eleemosynario sit, oportet & oculum ejus Cælum respicere. Volo dicere, pauperibus eo fine & motivo esse succurrendum, quo virtus ista Misericordiæ formatur & constituitur. *Eleemosyna*, ait S. Thomas, *est opus, quo datur aliquid indigenti ex commiseratione propter Deum.* Unde ad verum & genuinum Eleemosynarium neutiquam sufficit, pauperi alimenta tribuere; prout etiam canibus aut equis suppeditantur, sed hanc ipsam largitionem ex commiseratione, eâque ex Amore DEI nata, fieri necesse est. Exigit autem hæc commiseratio, ut, qui stipem dat, imprimis sincerè proximi miserijs condoleat. *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat*, dicebat S. Job, *& compatiebatur anima mea Pauperi.* Et in hoc sæpenumero Divites deficiunt; quorum viscera nimia prosperitate non rarò indurantur, cùm eâ potiùs emoliri deberent. Facit hæc opum affluentia, ut, cùm ipsi à tolerandis pauperum calamitatibus, quin, & à tolerandarum timore eximantur, quas in se non experiuntur miserias, nec in alijs æstimare nôrint. Præterea Superbia, quæ verissima est divitiarum tinea, ita D. vites inflat, ut credant, nobiliore se, quàm inopes sint, ex metallo esse conflatos; tantúmque abest, ut miserando alienas calamitates suas facere velint, ut ne audire quidem eas velint, ut in earum notitiam non veniant. Quæ causa fuit, ut S. Job, commiserationem hanc suam instar affectus apud sui similes divites insoliti & inusitati commemoraret, ut qui præter morem in corde suo teneram miserationem foviisset: *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur Anima Pauperi.* Quondam ait: non quòd calamitoso illo in statu, in quo, cùm hæc loqueretur, versabatur, viscera illa pietatis non sentiret, sed quòd magni non faceret pietatem in condolendo alienis miserijs, dum suas ipsa tolerabat; illam autem æstimaret miserationem, quam senserat, cùm à propriarum miseriarum sensu erat immunis. *Cùm sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.*

Luc. 18. 8.

2. 2. q. 32. ar. 1.

Prov. 3. 9.

Job. 30. 21.

Job. 29. 25.

XIV. Advertitis opinor, quòd ad nomen

nomen Eleemosynarij comparandum illa solùm naturalis pietas non sufficiat, quâ homo hominis, quia homo est, miseretur. Usque huc enim etiam Infideles pertingunt : adeò ut ipse Nero principio Imperij sui asseveraret, se, si alium titulum ad admittendum aliquem supplicem non haberet, hoc uno fuisse movendum, quòd communem cum eo naturam haberet. *Nemo non, cui alia desunt, hominis nomine apud me gratiosus est.* Altiùs longè Christiani Eleemosynarij oculus collimat ; non solùm miseratione erga pauperem movetur, sed longè maximè *ex commiseratione propter DEUM.* In antiquo Testamento præter ignem, qui ad cremandam victimam accendebatur, perfrequenter Deus alium è cælo depluum, & nobiliorem ac sacrum addebat, qui priori junctus magnam sacrificio majestatem conciliabat. Idem credite in sacrificio charitatis intervenire, quando præter flammas naturalis affectus, jam ex se laude dignas, aliæ flammæ Christianæ charitatis adduntur, quibus holocaustum in odorem suavitatis compleatur.

Seneca de Clem. l. 1. c. 3.

Eccli. 12. 1.

XV. *Si benefeceris, scito cui feceris.* Verba DEI sunt apud Ecclesiasticum ; id quod etiam Christus primo loco in Evangelio suo nos edocet : *quod uni ex minimis meis feeistis, mihi feeistis.* Non contentus fuit uno quodam admirabili modo realem suam præsentiam in SS. Sacramento nobis reliquisse ; voluit præterea nobiscum permanere in pauperibus, eósque dignitate humanam longè transcendente ornare, quapropter illis est Oratorum, qui ipsam Principis personam referunt ; ita illorum utilitates & commoda cum commodis uniendo, quasi una amborum causa foret. *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori suo*, ait sapiens, *honorat autem eum, qui miseretur pauperis.* Quin imò videtur DEUS sui quodammodo emolumenti oblivisci, usque adeò magnam Pauperum suorum rationem habet. Unde novissimo illo Judicij die vix alijs super quæstionibus examinabimur cum summo rigore, quàm qua ratione opera charitatis in proximum exercuerimus, aut non exercuerimus: adeò cordi est Deo, ut probè intelligamus, se esse in pauperibus, in ijs despici, aut honorari. Beatus Joannes DEI hanc in infirmos, eósque magìs derelictos, pietatem summo studio exercebat, quotquot in urbe Granatensi offendebat : tollebat in humeros, abluebat eorum pedes, osculo salutatos suo etiam lectulo inferebat. Omnia hæc charitatis officia die quadam in pauperem valde miserè affectum conferebat ; cùm verò pedes ejus oscularetur, miro fulgore radiantem subitò ex oculis amisit, ampliſſimâ mercede hujus effati relictâ : *Joannes! quod Pauperi fit, mihi fit.* Accidit huic Sancto, quod nonnunquam piscatoribus, qui, cùm piscem vulgarem reti se cepisse arbitrantur, concham margaritiferam postmodum inveniunt, piscatione thesauro conferendâ. Ita B. Joannes vili mendicabulo famulari se ratus, agnovit se Cælorum Regi sua obsequia præstitisse.

Prov. 14. 31.

In vita.

XVI. Interim tamen, si Christus Do-

Dominus non in cujusvis personâ pauperis se oculis spectandum exhibet; in quohbet tamen tanquam in suo ad divites Legato adest. Et certè postquam Verbum Divinum in sacratissimo Incarnationis mysterio humanam sibi naturam desponsavit, dicendum est, moralem hanc illius præsentiam in quovis homine experiri, (qualis illa est, quam caput respectu membrorum habet) maximè verò in Christianis, quorum caput est non solùm ratione primatûs & perfectionis, quàm omnium hominum comparatione habet, sed vel maximè ratione influxûs, quo in Christianos (quæ capitis propria virtus est) suas Gratias derivat. Nihilominus Christus Dominus in pauperibus est modo prorsus singulari, quo nimirum planam denuntiavit velle se eos inter mortales suo loco haberi, sic ut singulæ eorum miseriæ ad se peculiari quadam ratione pertinerent. *Esurivi & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere, & quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Propterea S. Salvianus Episcopus Christum omnium pauperum pauperrimum appellavit, etiam dum Cælum in omnium rerum abundantia gloriosus incolit; nam, ait magnus hic Vir, cæteri pauperes in uno quodam genere penuriam patiuntur, Servator autem; cùm in omnium pauperum personis unus ipse indigeat, dici potest uno & eodem tempore omnes omnium Pauperum calamitates unus tolerare, frigus scilicet, nuditatem, famem, sitim & hujusmodi, quæ in nullo alio omnes reperiuntur. *Sunt, quibus si desunt multa, non desunt omnia: solus Christus est, qui in omnium pauperum universitate mendicet.* Et hæc ait S. Augustinus, fuit summa illius benignitas, eò reduci voluisse, ut etiam nunc cum pauperibus stipem roget, adeò, ut dum pauper manum porrigit, non Pauper stipem accipiat, sed ipse Deus. Ille est, qui notat omnia & te debitorem constituit, ut suo ea tempore compenset: ille, qui factam repulsam fidâ memoriâ retinet, à quocunque illa pauperibus, personam illius referentibus, circa causam fuerit data. Ille, qui gravissimam vindictam in Evangelio minitatur; in extremo die Judicii sumendam. Gedeon, habitatoribus in Socoth contra desertum, quòd militibus fame laborantibus subsidium ferre detrectâssent, terribiles hásce minas denuntiavit: *Cùm reversus fuero, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti*, ita ut ne memoria quidem vestri remaneat. Quanto verò potentiùs Christo brachium est illo Gedeonis, tanto etiam vindicta erit magìs horrenda in illos, qui ita se inexorabiles & duros præbuerunt, *Cùm reversus fuero, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti.* In falciculum Divites cum divitiis (quæ verissimæ deserti, in quo me contempserunt, spinæ sunt) colligabo & succendam igne omnia, ita ut nullum robur, virtus nulla ullo unquam tempore hoc incendium valeat restinguere.

S. Thom. 3. p. q. 8. ar. 1.

Matth. c. 25.

Salvian. l. 7. ad Eccl. Cath.

Aug. de X. chordis tr. 12.

Iud. 8. 7.

XVII. Hoc igtiur oculo aspiciendi

sunt inopes, & in eorum centonibus invisibilis ille Dominus requirendus qui, cùm necessitatem pati ampliùs nullam potest, in quovis tamen paupere mendicum se exhibet, ut Divitibus occasionem præbeat, quâ meritum Eleemosynæ colligant, dum non miserabili cuipiam homini, quem præ oculis habent, succurrunt, sed rerum omnium Domino, inopum personam induto. Oculo hoc non aperto, Eleemosyna jam non ampliùs est Eleemosyna. Potest quidem Christianus quispiam hominibus liberalis & humanus videri; coram Deo autem, qui sine hoc oculo stipem largitur, titulum Misericordis & Eleemosynarij non promerebitur. Eleemosyna, si Divo Thomæ credimus, verè ac propriè actus est misericordiæ, utpote ex qua una immediatè procedit; quamvis etiam mediatè à Charitate, & à Religione tanquam causa imperante eliciatur. *Eleemosyna est propriè actus Misericordiæ: sed est actus Charitatis ex consequenti & mediatè; Latriæ verò imperativè.* Ecce; quàm pulchræ atque insignes virtutes in una Eleemosyna conveniant, haud aliter ac diversa maximi pretij metalla, ex quibus hoc cæli Electrum componatur. Concurrit inprimis Misericordia; quia Eleemosynarius debet per misericordiam in partem venire omnium miseriarum, quibus pauperes affliguntur; ne beneficâ solùm manu ijs subvenire sed animo quoque condolere: *Necessitatibus Sanctorum communicantes.* Concurrit secundo loco Charitas, dum Proximis succurritur, non affectu merè naturali & humano, sed Divino & supernaturali; qui Eleemosynarijs efficit, ut Egenos respiciant tanquam totidem Sanctos; hoc est ut Christianos, nunc quidem Gratiæ, postmodum verò Gloriæ capaces. Quæ etiam causa Apostolum permovit, ut diceret: *necessitatibus Sanctorum communicantes*; non dicit necessitatibus hominum, quia Charitatis se habeat oporter ad actum Eleemosynæ instar animæ, à qua vitam ac spiritum accipiat. Tertio loco concurrit Religio, eam imperando, *imperativè*; cùm enim Eleemosyna distribuitur, oculus Dei honorem respicit, imperantis scilicet, ut Proximo auxilio simus. Et forsan etiam ex hoc ipso capite Eleemosyna Sacrificium vocatur: *talibus enim hostijs promeretur Deus*: quia sicut in Sacrificio, licèt commodum & utilitas Sacardotibus, qui victimis alebantur, accresceret, finis tamen principalis semper erat honor Dei, cujus suprema Majestas ipsa Sacrificij actione agnoscebatur, quámque immolantes profitebantur; ita quamvis Eleemosynæ proventus pauperi cedant, finis tamen scopúsque Eleemosynam impertientis semper statui debet DEI honor; & hinc oculum suum à terrenis omnibus attollere, ac in cælum defigere debet. Quod ipsum Servator docere nos voluit, quando antequam Eleemosynam illam grandem, quâ quinque hominum millia in deserto pasturus erat, distribueret, & panem piscésque multiplicaret, *respexit in cælum*, ut S. Lucas observavit; ut nimirum sensibili hoc signo ostenderet, simile quid nobis faciendum.

S. Thom. 2a 2. q. 27. A. 1.

Rom. 12. 13.

Hebr. 13. 16.

Luc. 9. 16.

faciendum incumbere, cùm egenis alimenta miniſtramus; fidei nempe oculum in Cælo & DEO figendum, cujus amore Pauperibus ſuccurrimus, non verò in terra & creaturis, quas paſcimus. Beatus ille, qui oculos ita ſemper apertos teneret, ſemperque in Cælum converſos! quomodo enim fieri poſſet, ut pauperibus unquam quidquam negaret? *ſi ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi, da mihi bibere,* dixit Chriſtus ad Samaritanam in aquæ hauſtu concedendo cunctabundam. O quàm id ipſum horum temporum Divitibus occinere poſſet, qui crudeli prorſus tenacitate panis reliquias egenis negant, canibus autem ſuis & equis largè eundem porrigunt! Ah miſer! ſi ſcires, quis ille eſſet, qui in perſona pauperis ad domum tuam ſupplex exſpectat! quis ille, qui voce pauperis aliquod miſeriis ſuis levamen rogat! quis ille, qui in manu pauperis manum ſuam ad te extendit, acceptaturus, quod dederis! *ſi ſcires quis eſt, qui dicit tibi, da mihi bibere,* ſi ſcires, inquam, felicitſſimam ſortem tuam, quæ etiam non quæſita ultrò tibi obvenit, & Regnum cælorum offert; tuorum peccatorum remiſſionem promittit; debitorum tuorum expiationem concedit, & obſtetricante Miſericordia Filium DEI te efficit; certus ſum, fore, ut non modò abundanter, & ſine omni cunctatione dares, nec ſolùm non exprobrando, non faſtidiendo, ſed maximo tuo bono addiſceres etiam tu mendicare in animæ tuæ bonum. Volo dicere ipſum pauperem tumet incitares, ut à te ſtipem peteret: *tu forſan petiſſes ab eo,* ac reputares te aliquid ab eo accipere, cùm donas.

Joan. 4. 10.

XVIII. Maximum itaque Eleemoſynæ arcanum eſt, eandem fide poſſe animare ac bona intentione, & ſic actū aliquem communem ac naturalem ad pretium & dignitatem omnino ſupernaturalem ac cæleſtem attollere. Satis non eſt, ſeminare: ſed inſuper certa Lunæ incrementa aut decrementa, & ejusdem cum aliis ſideribus conjunctiones ſeminanti obſervanda ſunt; majoremq; Cæli quàm terræ notitiam habere oportet, ſi copioſam expectare meſſem velimus: id quod majori longè ſtudio in Eleemoſynæ negotio obſervandum eſt, quæ aliàs tota in herbam brevis vitæ inutilis abibit, abſque eo, quòd unquam in fructum vitalem matureſcat: *receperunt mercedem ſuam.*

XIX. Ex quo facilè inferetis, in quanto illi periculo omnem ſuam Eleemoſynam deperdendi verſentur, qui non niſi cognatis & amicis benefaciunt. Demus enim, agnatos veſtros verè pauperes eſſe, ſaltem habitâ conditionis ſuæ ratione: conſiderandum tamen primò eſt, quòd qui uni ſolùm familiæ, utut egenti & inopi, ſuccurrit, non mereatur nomen communis cujusdam Patris Pauperum (qualem tamen præſtare ſe non unus debet) cùm illius officio reverà non fungatur. Deinde, & longè magis debet attendi, aliud longè eſſe, pauperi quidquam tribuere, & aliud dare pauperi, quia pauper eſt, aut quia pauper eſt à Chriſto commendatus. Siquidem

sanguine junctis paupertate pressis libenter subvenitur, quia tales sunt; & ex inclinatione illa naturali, quæ nos urget, ne nostris desimus: non subvenitur ipsis, quia egeni sunt, aut quia Christi personam referunt: unde quia hujusmodi Eleemosyna coram DEO Eleemosyna jam non est, ita promisso etiam merito, gratiâque caret. Pernicioſissimus ille bruchus est, qui vitem aggressus non satiatur foliorum arrosione quibus tamen alij contenti sunt, sed ipsos etiam vitium oculos, quos dicunt, arrodit. Simili ratione Cacodæmon, quando Eleemosynam aperta vi impedire non valet, occultè saltem intentionis oculum petit, ex quo totum meriti incrementum dependet, & vitæ æternæ principium. Attendat igitur, qui stipem solùm sanguine junctis impertit, ne semen jaciat, quòd terram quidem pinguem reddat, seminanti autem fructum aut nullum, aut modicum ferat. Ad hoc respiciebant magni illi Sancti, qui in consanguineos suos haud aliter, ac in quosvis alios ignotos, liberalitatem suam exercebant; quia licèt ordinata charitas requirat, ut in æquali necessitate magis conjunctis subsidium feratur, gravi tamen periculo non vacat, ne hujusmodi miseratio suo merito excidat, atq; extra orbitam sallat. Unde ad gravissimam hanc deceptionem evitandam, eam sancti Eleemosynæ formam eligebant, quæ à jacturæ periculo magis erat secura, illudque genus seminis, quod fructui ferendo magis foret idoneum. Suis aliquid dare, etiam cùm intra limites æquitatis sistitur, tam vilis res est operæ, ut ne nomen quidem simplicis cujusdam liberalitatis mereatur; ratio est, quia qui suis dat, sibi ipsi dare censetur. Ille liberalis est, qui pecunias à se procul removet, quos aliis largitur, eóque liberalior, quo à se remotiùs quasi fortiori brachio, projicit. Ut quis in consanguineos projiciat, quodlibet brachium sufficit. Quod si igitur misericordia in consanguineos exercita communem liberalitatis titulum non meretur, vòbis cogitandum relinquo, an ea sufficiat ad Eleemosynarij, quem hactenus operosè inquirimus, titulum cuiquam tribuendum?

S. Thom. 2. 2. q. 117. a. 4.

XX. Atque ex hactenus enumeratis signis facile vobis erit colligere, quisnam hoc pulchro nomine dignus censeri possit. Eleemosynarij nimirum sunt, qui & manum largam & apertam habent, multum pro sua quisque conditione & statu Pauperibus impertiendo; & qui præterea vultu sunt hilari ac jucundo; id quod dant, haud quaquam invitì, ac reluctantes largiuntur. Denique qui oculos in Cælum defigunt, non alio, quàm quem Fides proponit, fine ad benefaciendum impulsi. Hi sunt beati, *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem.* Impedimenta, quibus ab eroganda stipe retrahimini, nec vestra sunt nomina, nec propria indigentia, non filij, non familia: prætextus sunt isti, mihi credite; verum & unicum impedimentum inde est, quòd Egenos oculis solùm corporis, non

Psalm. 40. 2.

verò

verò meritis intueamini. Et hinc non ait Psalmista: *Beatus qui videt*: sed *beatus qui intelligit*; scilicet, qui intelligit eum, qui est *supra* Pauperem, Deum inquam, qui hunc charitatis actum præcipit: intelligit eum, qui est intra Pauperem, Christum scilicet, qui ut sibi datum recipit, quod aliis sui amore impenditur; intelligit id, quod est *circa* Pauperem; Divinam Providentiam, quæ Pauperem ad divitem mittit, ut per hunc actum Dives salvus fiat, Pauper verò vivat & sustentetur. *Astitit à dextris Pauperis.* Qui hæc sua intelligit, beatus est, & quidem non tantùm secundum vitæ præsentis conditionem, sed longè magis secundùm futuræ; quia *in die mala liberabit eum Dominus. Dies mala* dies mortis est, quis nescit? *cur timebo in die mala?* Et tali die, quæ ita absolutè mala dicta est, quia plerisque mortalium mala est, tam docilis *intelligens* liberabitur à tot malis, quot sunt, quæ diem illam ultimam malè conclusam manerent. *Beatus, qui intelligit super Egenum & Pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.*

Psal. 108. 31.

* *
*

DISCURSUS XIX.

De Præcepto Correctionis.

INter omnia præcepta à Christo in Evangelio tradita nullum videtur observatu minùs difficile, quàm quod de correctione delinquentium nobis imposuit: *si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum.* Quis enim ignorat, quàm cavillatrix & critica sit hominum indoles ad dijudicanda aliorum opera? Nullus est locus, quo non funestum judicij sui tribunal erigat: sine testium examine, sine utriusque partis auditis rationibus, sine ullo judiciis usitato processu autumat, sententiam se ferre posse de quibusvis cũ omni securitate; & in quovis hoc sibi jus arrogat, & arrogatum exercet cum assiduitate, ut S. Joannes Chrysostomus non vereatur dicere, Homines in hoc judicandi negotio tantùm non omnem suam vitam consumere. *Ad condemnandos veteres, omne vitæ nostræ tempus absumimus.* Quapropter supersedere penitus possem omni de hoc præcepto Discursu, ac supponere, fræno potiùs, quàm calcari opus fore, si de aliorum vita, ac vitæ erroribus corrigendis agendum videatur. Neque tamen ita se res habet; si enim veritati adstipulari volumus, fateri necessum habemus, rabiosis canibus hac parte nos esse similes. Os habemus, quo mordeamus, non quo allatremus. Si de malo detractionibus augendo agitur, toti lingua sumus ad nævos proximi carpendos; at si de malo sua-

Matth. 18. 15.

l. 1. de Compunct. cord.

vi correctione emendando agitur, piſce magis muti ſumus: tunc enim nulla nos ratione in aliorum facta ingerere volumus: tunc ſatis nobis nobiscum negotij eſſe profitemur: tunc nolumus implicari tricis, quæ ad nos non pertinent. Bene eſt, contentus ſum, nolo veſtris humeris majus onus imponatis, quàm vos attingat. Oſtendam proinde, quid à vobis hoc correctionis præceptum exigat. Totum Diſcurſum in partes duas diſpertiam: in prima exponam præceptum errantes corrigendi; in altera methodum docebo, quâ præceptum hoc utiliter ac fructuosè adimplere valeatis.

I.

II. Qui ex officio alios regit, obligatur etiam, quos regit, corrigere. Navarchus, qui navigium vi muneris ſui ad portum dirigere tenetur, nunquid non obligatur ad rectam ſemitam & inter illud reducere, quando aut aquarum impetu, aut ventorum vi ab illo declinavit? Quis hoc neget? Et hanc ob cauſam iſto correctionis præcepto ante alios tenentur ſummi Animarum Paſtores, Parochi, Confeſſarij, Patresfamilias, & quicunque aliquam in alios jurisdictionem exercent temporalem, aut ſpiritualem. Propterea DEUS vehementiſſimè per Prophetam Ezechielem de illis animarum rectoribus conqueſtus eſt, qui ſolummodo reditibus à ſuo grege collectis ſe paſcendo, nullam ſibi commiſſorum curam habebant; non ſanabant infirmos, non reducebant errantes; non quærebant, quod in ſylva aberrando propè perierat. *Væ paſtoribus Iſraël! quod ægrotum fuis, non ſanaſtis, quod abjectum, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiſtis.* Ezech. 34. Vocem hanc, Væ! à Dei ore egreſſam, inſtar tonitrui eſſe cogitate, quod æternam noſtram damnationem præcedat, ô Sacerdotes, ſi Eccleſias parochiales occupemus ut curati, ſi Sacramenta adminiſtremus ut Confeſſarij, animas interim curæ noſtræ creditas æterno exitio exponamus, dum piget os aperire adijs opportunè ſubveniendum. Ex quo inferre licebit, quantum ij deſipiant, qui vellent, ut Sacedos ne ex ſuggeſto quidem in communia, aut pro Sacro Tribunali in particularia unquam ſceſera inveheretur. Quod dum volunt, nihil aliud petunt, quàm ut Sacerdotes pro ipſorum peccatis Infernum ſubeant; ipſi autem interea voluptatibus indulgeant; crumenas & cupiditatem alienis bonis expleant; concupiſcentias in aliorum carnibus reſtinguant, Linguam in aliorum famam exerant; Sacerdotes verò pro ipſis, aut cum ipſis plectantur, tanquam ſuo ſilentio criminum facti participes, licèt voluptatum, quas ex vitijs ſuis perceperunt, omnino exſortes. *Cuſtodi virum iſtum,* ait Dominus ad omnes Eccleſiarum Rectores, *cuſtodi virum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* 3. Reg. 20. Curam habe ſubditorum iſtorum, quos tibi committo, quorum ſi quis tuâ culpâ perierit, nôſſe te velim: pares te cum illo pœnas ſubiturum. Et quàm id jure ac meritò! Si, cùm paſtor altum dormit, ovium grex damnum inferat agris veſtris, quid

quid agitis? ad tribunal pastorem trahitis, dicitisque: Tu es, qui damnum intulisti, tu restitue. Et tamen pastor dormiebat, nec malum ipse ullum inferebat. Verùm ipso suo somno sat mali inferebat, ipsâque suâ socordiâ, quâ malum poterat ab agris avertere, satis se fecit reum. Ita planè etiam se res habet in casu nostro. Scandala illa, quæ nos non corrigemus, nobis imputabũtur, quia tacuimus; scelerisque à Deo majoris arguemur propter peccata vestra, quæ corrigere debebamus; quàm vos ipsi, qui commisistis, non correcti. Sed de his satis; quia hac ratione mihi potiùs, quàm vobis prædicarem.

III. Dicam equidem, quòd sors eadem maneat omnes. Patres, Matrésque, qui nullam aut exiguam in filijs suis admonendis curam adhibent, ut illorum filij non esse videri possent.

Iob. 39. 18. *Durantur ad filios suos quasi non sint sui.* Ita Sacra Pagina de Parentibus hujusmodi loquitur, & utitur similitudine notæ avis, Struthionis, quæ ova quidem parit, sed incubando nunquam excludit, reliquarum more volucrum; solùm arenâ cooperit, & quasi officij sui partes explêsset, sorti illa committit. His forsan magna Christianorum Parentum pars admodum similis est, qui cùm filium genuerint, de ejusdem educatione exiguam porrò rationem habent, sed omnem suam curam ac solicitudinem eò convertunt, ut terrâ cooperiant; anxiè illi de commodis, ac pecuniis prospiciant, atque illius negotia promoveant, haud aliter ac si corpus sine anima circumferret. *Durantur ad filios suos, quasi non sint sui.* Aliis insuper ex causis non paucos ejuscemodi Parentes stolidæ huic avi conferrem. Sicut enim hæc tam valido pollet stomacho, ut ferrum digerat; ita pari ratione illi tam forti stomacho valent, ut gravissima quævis ac exitialia scandala longissimo tempore in suis familijs nullo sensu tolerent ac dissimulent. Villæ quidam Dominus puellæ rusticanæ amoribus capitur, domum ejudem frequentat conscio villico puellæ patre, alloquitur blandè, vestit bellè, donat liberaliter, honestò locare matrimonio policetur. Non fugiunt ista patrem, tacet hic, atque filiam suam esse bene moratam, nihil ab illa mali timendum. Et hoc totum scelesti illius commodi & lucri gratiâ, ne aut domo illâ, quæ mali hujus pessimus nidus est, deturbetur, aut filia donis illis, quibus amicitia pessima fovetur, privetur. Fides abrogatis? sed ignoratis, piscem, dum hiantibus faucibus escam capit, hamo tandem teneri? Quæ vobis causa persuader, ideò tam beneficum hospitum vestrum esse, ut donare vobis velit, quod suum est, dum nonnunquam in rationibus subducendis non dubitavit vobis subtrahere, quod vestrum est? Fiditis pudicitiæ filiæ vestræ? an nescitis, cibis, & blanditijs etiam Tigrides cicurari? nempe auro omnium metallorum rubigo abstergitur; hoc est, quod etiam vos elingues facit; hinc non excandescitis, filiam vestram non objurgatis, vestem ipsi donatam, non dilaceratis, & in ejus oculis in mille frustra discerpitis.

IV. Verùm hoc nonita frequens est: illud

Illud magis mihi dolet, quod in dies singulos evenire cernimus; scilicet, quòd matres ita conniveant filiabus, dum sero vespere sub foribus consistunt, quando in sylvis, in agris, in casis solæ cum solis reperiuntur: ut jam silentio præteream maledictum illum morem, & nullis satis declamationibus proscindendum, quo toto anno in seram noctem vigiliæ extrahuntur, Juvenésque puellis ad latus assident, sine verecundia inter risus, colloquia & omnis generis jocos tempus exigunt. Priscis temporibus, quibus fidei Catholicæ beneficio Idololatria nõ dum proscripta erat, Patres nonnulli ac Matres filiolos suos ad statuam cujusdam Dei sui adducere solebant, eique offerre. Ritus illius consecrationis erat ejusmodi. Luculentus circa alienam statuam ignis accendebatur, tum in ejus jam candentis gremium teneri illi infantuli conjiciebantur. Ne tamen clamoribus suis Parentum viscera commoverent, mos fuit, tubas inflare, tympana pulsare, & instrumentis musicis omnis generis personare, nequa uspiam alia vox allaberetur. Non fallet, qui morem istum nostris etiam adhuc temporibus vigere asseruerit; nisi quòd tunc temporis concremarentur corpora inter candentis Idoli brachia; nunc autem vivere desinant animæ; cum interea omnia domi festis clamoribus personent, canetur, saltetur, ita ut Patres Matrésque ad præsentissimam suarũ stragem adolescentularum nullâ penitus commiseratione moveantur. O Parentes Christiani quid agitis? Si vestrarum vos prolium non tangit miseratio, vestri saltem ipsorum tangat. An non intelligitis, quantum causa vestra aggravetur, quandoquidem omnium excessuum, quos impedire possetis, nec impeditis, gravissimam Deo rationem estis reddituri? Quare igitur non evigilatis? quare non increpatis? cur domo non expellitis hospites, qui aliud nihil, quàm infamiam familijs vestris inferunt? Nulla unquam experientia docuit, Animulam quampiam emolumenti aliquoties ex hac conversandi libertate cepisse; quotidie autem videmus, quamplurimas pudicitiæ, pietatis & salutis jacturam incurrisse. An interim Parentum ullus tam erit barbarus ac ferus, ut post innumeras experientias, quibus docetur, hujusmodi conventicula, & promiscuam inter se agendi licentiam, Juventuti summè noxia esse, nihilominus aut ex timore, ne impediendis hisce corruptelis singularis habeatur; aut ex stupiditate, quâ malum inde promanaturum non apprehendit; induci non possit, ut linguam solvat, os aperiat ad mala non dicam possibilia, sed præsentia convenienti aliquo remedio averrenda?

Blut. de Superst.

V. Dixi, præsentia: perquàm enim facilè contingit, ut filiæ vestræ, quantumcunque vobis simplices ac innocentes videantur, oculos tamen ad malitiam longè habeant magis apertos, quàm vobis imaginemini. Quod si ita esset, ut facilè esse potest, cogitate nonnihil, quæ vobis, quámque stricta sit ratio reddenda, quòd tantam ijs occa-

occasionem suppeditetis, quâ pejores evadant inter Juvenum alloquia & sermones sine teste toleratos? Qui à cane rabioso aliquando morsum tulit, hujusmodi morsûs damnum & virulentiam nunquam magìs, quàm in similiter morsorum præsentiâ sentit. Quantum igitur crescit malitia feminæ, quæ vitio ipsa infecta, cum simili vitiosorum hominum genere adeò agit familiariter? Sed tribuamus vobis, honoríque vestro tantum, ac credamus, filias vestras omnino innocentes esse: creditis, quòd ia sua ista innocentia post tantam sibi concessam libertatem perseveraturæ sint? nimis quam difficile est, ut quis ovis serpentis diu incubet, & serpentes tandem non excludat. Sola illa socordia, quâ parentes periculum bene cognitum amoliri negligunt, stygio Veteratori animos facit oppugnationem tentandi. *Ascendam ad terram absq; muro, veniam ad quiescentes; habitantésque securè.* Hac ratione animatur lupus infernalis ad eas domos perrumpendas, in quibus parentes filiorum suorum confisi bonitate obdormiscunt. Domos apertas, *terram absque muro*, domos januarum expertes, *vectes & porta non sunt eis*, quia diu noctúque tori patent vicíniæ sub titulo moris jam introducti, vivendi hilariter. Pejus est, quòd si filij vestri voluptatis escam semel degustaverint, fieri possit, ut nunquam posthac in omnem vitam dimittant. *Superior pars ædificij cedit inferiori*, ait lex. Qui inferiorum conclavium est Dominus, etiam superiorum esse Dominus contignationum suppo-

Exech. 38. 11.

l. Si inferior.

nitur. Si vitium primis adolescentiæ annis se insinuat, mihi credite, difficulter impedietur, ne in ultimam etiam serpat senectutem. Quapropter eò magìs convenit, ut in filiorum educatione Parentes sint oculati, &, quod evenire potest, etiamsi deinde non eveniat, suspicentur, séque clamando, objurgando ac castigando faciant, quantum possunt, formidabiles. Quæ illa patrum fæx est, qui toto die procul domo ad nundinas & mercatum abeunt, vendunt & emunt, quin ullam unquam cogitationem suorum habeant, in eorum actiones inquirant, de quibus rebus loquantur, quibuscum versentur, in quas domos maximè divertant, quibus sese laboribus impendere consuescant? Omnis alia cura filiorum educationi post habenda esset, cùm contrà prorsus filiorum educatio inter ultimas, quandoq; inter nullas habeatur. Apes, ait, Albertus Magnus, toto illo tempore, quo prolem educant, non mellificant, cùm tamen alio quovis tempore totæ sint in melle elaborando. *Apes eo tempore, quo nutriunt pullos, nihil operantur, sed tantummodo curam habent eorum.* Et hoc est verè patrem esse. Sed ad alia transeamus: adeò enim res ista mihi dolet, & animum commover, ut ad finem nunquam pertingerem, si quæ vellem, omnia hac in re exponerem.

l. 3. de animal. c. 16.

VI. Hactenus de primo hominum illorum, qui ad corrigendos alios obligantur, genere locuti sumus, nimirum de Superioribus: hi tamen non sunt soli. Altero enim loco omnes etiam alij Christiani ad id ipsum tenentur,

tur. Dico altero loco; siquidem Superiores obstringuntur ex Justitia, cùm subditi tantummodo ex charitate tenentur. Nihilominus obligatio ista hæc tam ex naturali, quàm Divina Lege oritur, uti ex pluribus Sacræ Scripturæ locis manifestum fit: id quod geminis in locis per S. Paulum, & quaternis per Ecclesiasticum insinuat Dominus, & ore proprio in Evangelio exponit. DEI igitur præceptum est, quo jubemur errantes corrigere; lex etiam naturalis est sive DEI honorem, sive ipsius proximi nostri utilitatem spectemus. Argutè non minùs quàm sapienter dixit Tertullianus: *In publica injuria naturali jure omnis homo miles est*, & ut talis arma corripere obligatur, quibus honorem Principis tueatur. Unde si de DEI honore agitur, omnes omnino Christiani in censum militum veniunt, ut DEUM defendant, & omnes, qui eum offendunt, corrigant. Id quod etiam in ordine ad utilitatem proximi dici debet: *Vnicuique Deus mandavit de proximo suo.* Nemo sibi persuadeat, quòd sibi uni vivat: omnibus incumbit, ut aliorum quoque rationem habeant, eósque ad bene vivendum perducant. Hæc omnino cura vestra est, hæc ad vos attinet, de hac severam omnino ac strictam rationem reddetis. Voluit enim DEUS omnes Christianos ceu membra in unum corpus colligare; & ideò sicut lingua sentit, ac patitur, cùm pes vulneratur: ita vult, ut nos quoque dolorem percipiamus, quandocunque animarum quarumvis interitum spectamus; imò & remedium exquiramus, eo fermè modo, quo manus læso pedi opitulatur. Quæ etiam causa est, quare nonnunquam Deus unius hominis peccatis inductus integram familiam plectat; quandoque totam etiam Nationem & Provinciam; ut omnes communi aliqua solicitudine caveant, ne peccēt, &, si non moveantur ad corrigendum alterum amore proximi, moveantur amore sui. Ita discurrit S. Augustinus, ac commonstrat, quomodo Deus justè propter unius militis inobedientiam in obsidione Jerichuntis adeò severè puniverit totum exercitum. Ubi etiam rationem prorsus ingeniosam adjungit, quæ quasi à fortiori nostrum effatum confirmat, éstque sequens: Dicitis, ait: rem omnino gravissimam videri & insolitam, eâdem pœnâ justum, ac peccatorem involvi. Sit ita, sed, ait Sanctus Doctor, ostendite mihi justos hos. Multum defatigabimini in his inveniendis: utut enim multi innocentes videantur, & culpæ à Deo universali quadam pœnâ punitæ, minimè Rei, utpote quam reverà non commiserunt; innocentes tamen non sunt, dum sæpe neglexerunt illos corrigere, qui scelus commiserunt. Exemplum ejus rei sit. Communis opinio est, quòd Deus tempestates in segetes immittat in pœnam blasphemiarum, ita ut Imperator Justinianus propter hanc ipsam causam exilij severissimam legem tulerit in blasphemos, tanquam reos mille calamitatum tam privatarum, quàm universalium, quæ per tempestates inferuntur.

Laym. l. 2 tr. 3. c. 7.

l. 6. quæst. 11 Josue.

Quo-

Quomodo igitur aliorum agri tempestatibus subjacent, ac puniuntur illâ pœnâ, quæ solis videtur blasphemis deberi? Nimirum etsi ipsi in blasphemias non proruperint, omisere tamen blasphemos pro viribus persequi, & linguas illas, cùm in DEUM acuerentur, compescere. Non blasphemavit Pater, sed filios blasphemantes toleravit; & is ipse, qui quasi funditus evertere domum videbatur, casu quo vitrum in partes ibat, mutus erat, ac linguæ usu prorsus destitutus, cùm DEI nomen Sacrosanctum ab impio in DEUM filio proscissum vindicandum fuisset. Refert Plutarchus, quòd cùm certam quandam gentem contagiosa valde lues depopularetur, Empedocles magni nominis Philosophus consilium suggesserit, ut locis nonnullis magnæ quædam cavernæ obstruerentur, ex quibus aura corrupta, pestis causa, transpirabat. Obstruite igitur & vos sacrilegas has fauces, ex quibus pestifer inferni halitus transpirat, & pœna, quâ affligimini, illico cessabit. Quia verò apertas relinquitis, dolere postmodum nolite tanquam innocentes, quales non estis, dum ejusdem vos culpæ reos constituitis tacendo, cujus alij se reos faciunt agendo.

de Curios.

VII. Nihilominus principale ac præcipuum motivum nostrum, quo ad corripiendos delinquentes incitemur, non nostrum, sed proximi nostri debet esse commodum, *lucratus es fratrem tuum*. Id quod etiam principale motivum fuit Servatori nostro, propter quod præceptum hoc nobis imposuit; cùm voluit, ut, quemadmodum non obstante illâ DEI providentia, quâ pauperum necessitatibus prospicit, divites tamen particulari aliquo præcepto Eleemosynæ constringerentur, quo pauperibus subvenire essent obligati; ita non obstante illâ DEI providentiâ, quâ interiùs peccatores corrigit; Christiani tenerentur particulari aliqua obligatione fraternæ admonitionis, quæ ob id ipsum à S. Thoma ad speciem Eleemosynæ reducitur, eò nobilioris, quòd non corpus, sed animam tanto præstantiorem concernit: *Corripere delinquentem est quædam Eleemosyna spiritualis*. Ex quo manifestè appareret, quòd correctio proximi, quæ modò Eleemosyna spiritualis dicta est, non sit meri consilij, sed præcepti; sicut consilij non est, proximo in extrema necessitate constituto Eleemosynam corporalem elargiri; unde etiam, sicut qui huic obligationi non paret, gravi se crimine obstringit, ita qui alteram non implet, graviter delinquit.

S. Thom. 2.2.q.33. art. 2.

VIII. Verùm quia præcepta affirmativa in certis tantùm circumstantijs, & non semper obligant, necessarium præterea est, ut, quænam illæ certæ circumstantiæ sint, ostendam: has majoris claritatis gratiâ ad duo capita reducam, scilicet ad peccatum, & peccatorem, quod & ad memoriam erit facilius, & ad mandati observationem. Quod attinet peccatum, debet id esse grave, quod Christus illis verbis significat: *Lucratus es fratrem tuum*: quia, ut observat S. Augustinus, nemo animam illam lucrabitur, quæ nunquam fuit perdita. *Quid est, lucratus est*

Serm. 16. de verb. Dom.

est te, nisi quia perieras, nisi lucraretur te? Deinde debet esse tale peccatum, quod possit reperi; alioquin, cùm peccator in id scelus reincidere non potest, correctione opus non habet. Notat hoc Ecclesiasticus, cùm ait: *corripe proximum tuum, ne forte iteret.* Deinde debet esse peccatum valde manifestum; & hoc iterum patet ex modo loquendi: *si peccaverit in te*, quod idem est ac: *si peccaverit coram te*: hoc est cum quadam ratione scandali, aut infamiæ. Neque enim vult Deus, ut in aliorum facta inquiramus, sed nobis ipsis attendamus: *non ingredieris domum ejus, sed stabis foris*, ait in Deuteronomio, atque ideo non permittebat in Lege veteri, ut, qui debitum suum exigebat, domum ingrederetur debitoris, sed foris expectaret; ut insinuaret nobis, ait Rupertus, quòd, qui alterum corrigit, non debeat defectus proximi curiosè explorare, sed illa tantùm emendare, quæ foris in oculos incurrunt. Quod ipsum clarissimè DEUS in proverbijs docuit: *Ne quaras impietatem in domo justi neque vastes requiem ejus.*

Eccl. 19. 24
Suarez. de Char. disp. 5. s. 2. n. 2.
Deuter. 24. 11.
Rup. l. 1. c. 33.
S. Thom. 2. 2. q. 33. a. 2. ad 4.
Prov. 24. 15.

IX. Quod verò peccatorem concernit, quæ potissimùm sunt delinquentium species, quas oportet non corrigi. Prima eorum est, quos jam pœnituit: etenim quem unquam Belli Ducum reperire est, qui tormentis muros quatere perseveret post factam deditionem? Altera eorum est, qui è diametro prioribus opponuntur, & ita obstinati sunt, ut resipiscentiæ spem nullam faciant; sed potius in pejus animum obfirment, adjungentes etiam admonitioni contemptum, & odium quo monitorem persequantur. *Noli arguere derisorem, ne oderit te.* Ait sapiens: non quòd odium illud absterrere te debeat ob aliquod malum temporale in te redundans, sed ob illud spirituale, quod in illum met derivatur. Et sic videmus, illos vituperari Medicos, qui in ægris omnino desperatis medicamenta tamen adhibere non omittunt; dum ex una parte attem medicam convitio exponunt, ex altera morbum aggravant, pro eo quòd leviorem reddere deberent; mortémque ccelerant, quam remorari oporteret. Refert S. Augustinus, Serapide in Ægypto vivis erepto, Populos illos decreviſſe, eundem vel in gratiis Veritatis ut DEUM colere. Quare lege sanxerunt, ut morte lucret, quisquis eum mortuum affirmaret: consequens enim fuisset, eum communi aliorum sorte mortalem extitisse. Hunc in finem è regione sepulchri illius Deum silentij depinxerunt, Harpocratem nomine, qui digitum ori imponeret, quasi parte una vesitatem confiteretur, ex altera spectatoribus imperaret; Tacete; & quamvis ossa putrida, & tumulum funebrem videatis, nihilominus ne dixeritis, Serapidem fuisse mortuum, aut tanquam hominem meri potuisse. Nisi fallor splendidè, id sæpenumero etiamnum contingit in re nostra. Personæ quædam nonnullius auctoritatis, & præsertim quædam feminæ, quæ ceu dominæ & pro potestate agunt, nescio quas illis minas intentant, qui os aperire, & in scandala in locis illis usitata

Prov. 9. 8.
Galm.
Æ. l. 18. de Civit. c. 5. ex Varrone l. 3. de Lat. ling.

rata invehi ausint. Et quamvis neminem lateat, quàm putidæ ac fœtidæ illæ sint ob turpe illud commercium, quod diu noctúque cum Amasijs illarum domos frequentantibus protrahunt; nolunt tamen à quoquam dici, quod omnes vident. Væ illi, qui unam aliquam illarum Meretricem diceret: Tantum abest, ut videri velint prolapsæ in turpitudinis sentinam, ut ne labi quidem posse credi velint. Objurgant, convitia jaciunt, omne malum comminantur, ipsis etiam Confessarijs, qui illas, non secus ac alias, illico non volunt absolvere; quin & Parochis, nisi consentiant S. Communione publicè præbita affectatam illarum innocentiam confirmare. Quisigitur hoc hominum genus perversum corrigat? Sinite stare. Cænosæ paludes sunt, quæ quò magis moventur & agitantur, eò fœtorem magis abominandum exhalant.

X. Necessarium tamen est, duas huic regulæ exceptiones adjungere, eásque magni omnino momenti. Prima est, non debere facilè animum desponderi, omnémque spem fructûs abjici. Sæpe fera, quæ non illico ad ictum concidit, in nemus redit, ibi vitam ex vulnere posítura. Ita ille, qui hodie correptus non emendatur, forsan paulò pòst, die altero, aut mense se emendabit. *Non desinent vitia*, ajebat Seneca ad nostrum propositum, *sed intermittent: fortasse autem desinent, si intermittendi consuetudinem fecerint.* Si peccare non cessat, non peccabit saltem ita protervè, quod ipsum dispositionis cujusdam signum est ad peccatum omnino detestandum. Novi equidem, Cacodæmonem, quamvis sæpius rejectum, non omni tamen sæpe excidere vobis potiundi, sed vires identidem ac animos etiam, cùm victus fuerit, resumere ac vos impetere. Quare igitur vos è diverso animum illico abjicitis, cùm ad primam correptionem vestram delinquēs non resipiscit? resumite adhortationes amicas, quis scit, an non ad repetitas monitiones lucrum reportetis? Nónne id ipsum in agris vestris & arvis quotidie tentatis? hi si hoc anno votis vestris copiosa messe non responderint, non ideo tamen anno subsequente otiosi deseruntur & sine semine inculti, donec post varia experimenta demum intelligatis, omnem operam perdi. Deinde, sicut Divini verbi Præco non est Auctor illius fructûs, qui refertur ab Auditoribus, sed Deus, qui Gratiæ suæ voce interiore verba concionantis exteriora reddit efficacia, & animas suaviter cōmovet ad agendam pœnitentiam; ita linguæ, quæ delinquentem corripit, emendatio tribuenda non est, sed auxilio DEI, qui per medium hoc externum occasionem accipit, quâ gratiam suam erranti applicet, & ad emendationem illum permoveat: *Corripere, Hom. 13. in Matth. ut prosit, Dei est*: ait S. Joannes Chrysostomus. Unde qui tam citò desperat de fructu ex correctione sua faciendo, ipsum videtur Deum arguere velle, quasi verbis eam vim indere non valeret, quâ corda delinquentium penetrare possit. *Omnibus debemus*

S. Thom. 2. 2. q. 33. a. 2. ad 1.

Epist. 40.

fraternæ correptionis officium impendere alt S. Thomas, *sub spe divini auxilij.* Et hinc non est, quòd timeatis pro correctione cruda verba & non expectata responsa audire; quia cùm impetus passionis resederit, facilè poterit contingere, ut, qui correptus est, iniquum suum agendi modum agnoscat, suámque obligationem eò majorem, quo major in vobis eluxit charitas, quâ vos exposuistis periculo malum pro bono recipiendi. *Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet ad eum; magis quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit.* Quod si vobis in ipso correptionis actu gratias non refert, referet *postea*, & si apertè gratias non agit, intra cordis sui latebras aget occultè. Ebrius, qui rixam movet, totus in vos excandesceat, cùm vi gladium è manibus extorseritis; at ubi vinum digessit, manum illam vestram osculabitur, quam dentibus discerpere volebat, eique benedicet; utpote quæ occasionem exercendi facinoris sustulit.

S. Thom. 2.2.q.33 a.2.ad 1.

Prov. 22. 13.

XI. Altera limitatio contra veros Blasphemos est, qui tanquam omnium peccatorum pessimi, etiam cùm non speratur emendatio & fructus, corripi debent ac objurgari, juxta præceptum Concilij Lateranensis, quod alio jam loco adduxi. Ratio hujus obligationis est, quia officium cujusque boni filij est; omni meliori ac possibili modo honorem patris resarcire, quem linguâ maledictâ graviter audit proscindi. In tali casu, quando Blasphemia hæreticalis est, aut aliàs graviter in Deum injuriosa, oportet omnes Zelo exardescere, & animosa correctione, Dei honorem defendere. Cùm Rex Cræsus à Cyro fuit prælio victus, in ipsa sua regia armis hostilibus fuit impetitus. Jámque militum quispiam brachium levabat, fatalem in illum ictum vibraturus, cùm filius Regis à nativitate mutus, quem fulgur gladij præsentem perstrinxerat, tanta pietate in patrem exarsit, ut partim amore, partim timore omnia linguæ vincula ruperit, ac exclamârit: *ne, iste, ne feras*: & hoc tam laudando conatu linguæ usum indeptus est. O si scintilla ardentis amoris in cordibus vestris, Christiani, residua esset, qui fieri posset, ut amantissimum Deum ac Patrem vestrum linguis impiorum, ceu gladijs acutissimis, feriri toleraretis? nunquam id concederetis, & quamvis muti ac linguæ usu destituri modum tamen ac rationem inveniretis, sceleratas istas hominum linguas castigandi, & antequam impias voces totas proferrent, in medio veluti cursu eas sistere sciretis. Verùm quia ne una quidem in cordibus nostris veri in Deum amoris scintilla micat, ideo in faucibus nostris voces emoriuntur, & patientiùs gravissimas in Deum Blasphemias, & injurias audimus, quàm levissima etiam in nos, aut nostros conjecta dicteria audiamus. Non nego, talem quandoque pusillanimitatem, quâ quis minùs aptum se judicat ad blasphemantem corripiendũ, in casibus præsertim minùs atrocibus, à lethali peccato excusari posse, siquis eâ præpeditus debitam correptionem omittat; maximè cùm Superioris officio non fungitur, aut merito sibi persuade-

Conc. Later. sub Leone X. sess. 9.

S. Thom. 2.2.q.33 a.2.ad 1.

suadere potest, alios meliùs id officij obituros. Nolim tamen, levem quamvis causam tanto apud animos vestros robore pollere, quanto tam ob Dei honorem, quàm proximi vestri bonum, præditos esse deceret. Refert Plinius, l. 8. c. 8. quòd si Elephas in foveam cadat, illico omnes alij Elephantes ad auxilium prompti accurrant, & quidquid occurrit, fossæ injiciant, donec terrâ & arborum truncis eam expleant, & locium captivitate liberum prodire conspiciant. *Omni vi conantur extrahere.* An non igitur Christiana charitas tantum suggerat Fidelibus, quantum natura bestijs rationis expertibus?

II.

XII. Restat nunc, ut post exploratas singillatim obligationis hujus partes, ad modum transeamus, quo hactenus dicta utiliter executioni mandari possint. Facile nobis hoc accidet, si animum ad motiva, quæ in reddenda præcepti hujus ratione adduximus, advertamus. Inprimis igitur hoc animis vestris statuite; unicum DEI & hominum hostem esse peccatum; in hoc cùm Deus implacabili odio feratur, illúdque perpetuò impugnet, omnes nos milites scribit; ut contra monstrum hoc decertemus, illud opprimamus, vincamus, & si tantùm possumus obtinere, internecione deleamus. Ut adeò non solum Superiores, ut ex dictis patet, sive Ecclesiastici sive sæculares illi sint, nec soli Parentes, Verbi Divini Præcones, & Confessarij, sed omnes omnino Christiani ad bellanda hæc bella Domini teneantur. Jam verò ad victoriam in bello referendam omnium opinione duo sunt necessaria, Vires & Ars: neque enim Arte sola geruntur bella, dum multa animo simulacra & victoriarum ideæ statui possunt, quæ in opus nequeant deduci. Pugnare autem solis viribus, pugna stultorum est, quibus propria quandoque arma in damnum cedunt. Utrumque ergo conjungere oportet, Vires & Artē; his stabit securè Victoria.

XIII. Quod ad Artem attinet, oportet eam in casu nostro esse maximam, dum vitium odio habere, non eum qui vitio laborat, necesse est; culpam plectere, non qui culpam commisit, debemus; itaque delinquentis animum curare, ut dexteritate nostra Chirurgum proximè æmulemur, qui dum oculi vitio medetur, ita pupillæ velum detrahit, ut oculum ipsum non offendat. Vult igitur Ars ista, ut, qui corrigit, tempus ac locum correctioni opportunum attendat, simili pænè ratione, ac Dux Belli bene peritus locum & tempus opportunum observat, cùm decretoriâ pugnâ decernere constituit. Advertite quæso, quomodo Christus modum belligerandi contra peccatum nos doceat. Inprimis de loco sic ait: *Corripe inter te & ipsum solum.* Non dicit, ut priùs per compita, & omnes urbis officinas delicta publicentur, & sic peccata plurima committantur, quibus unum emenderur. Multò minùs dicit, ut officium corrigentis in præsentia multorum assumas, sed omnino clam omnibus, inter te & ipsum correptio-

S. Thom. 2.2.q.33. a.1.ad 3.

reptionem instituas jubet. *Studens correctioni*, juxta S. Augustinum, *& parcens pudori.* Ab artis suæ bene gnaro hortulano exemplum capite; hic, cùm frondem trunco inserit, truncum non findit altiùs, quàm frons requirat. Animam emendare, salvâ tamen & integrâ famâ. Tempus autem cupit Dominus id à nobis observari, quo delinquens ad correctionem à nobis accipiendam melius est paratus. Et idcirco dixit: *vade & corripe*, ut intelligamus, non eo, quo deliquit, momento proximum esse corripiendum, sed expectandum, dum passione animi paulum defervescente, rationi locus sit, & tum correctioni insistendum. Et hæc opportunitas eò magis observanda est, quò magis, qui corrigendus est, correctione opus habet. Experimur cibum, qui à sano sumitur tempore non suo, magnam alterationem non inducere; at cùm extra tempus à febricitante accipitur, ipsam quandoque mortem accire. *Intempestivè canavit, & mortua est:* dixit Hippocrates, cùm repentinæ mortis ægræ cujusdam rationem assignavit. Prima correctio, quæ in mundo facta est, fuit illa, quâ Deus Adamum correxit: neque Deus illum post commissum statim delictum increpuit, sed tempus, quo ad se rediret, concessit; potuit suam nuditatem priùs agnoscere, audire potuit accusantis conscientiæ stimulos; scilicet ut exemplum nobis daret, quo dirigeremur, cùm quemvis alium corripere & corrigere oporteat.

Serm. 16. de Verb. Dom.

XIV. Neque tamen sic tempus lo-

cúmque observâsse sufficit; longè enim adhuc magis requiritur, ut corripientis verba sint omnino blanda ac suavia. Unde Dominus non dixit: *increpa*, reprehende, sed *corripè*, admone. Profectò mordaces & asperæ quorundam Confessariorum & Patrumfamilias increpationes nihil aliud in delinquentibus efficiunt, quàm quod cruda ac incuria manus in vitro purgando, quæ dum vitrum abluit, frangit. Non est iste corrigendi modus à Christo præceptus, & à Christi imitatoribus hactenus observatus: *Corripiet me justus in misericordia:* Charitas ista ac misericordia remedium affert: fermè sicut Sal, cùm carnem servat à putredine, ante liquescit, & sic dum interiora penetrat, finem obtinet, nunquam obtenturus, si integer in superficie persisteret. Si modum hunc insipiens Rex Roboam tenuisset, ex decem Israelitici populi tribubus novem non perdidisset; quia verò inconsultè maluit objurgare, & terrere subjectos, irritavit potiùs, quàm diffidentes compescuerit. An non idipsum propria vos experientia docet? Cùm apes relicto alveari avolant, nunquid temperato quodam sono ad stationem suam repetendam à vobis alliciuntur, à qua tamen incondito quodam strepitu magis dispellerentur? id quod fortè Sapiens indicare voluit, quando intempestivam & duram nimis correptionem mendacij nomine insignivit: *Correctio mendax:* talis scilicet, quæ injurijs, irâ, opprobrijs mista non jam remedium, sed venenum præbet. Quis unquam vidit, ulcera

Psalm. 140. 5.

Eccli. 19. 28.

cor-

corrosivis coalescere? *Correctio mendax* non tantùm proximo non medetur, sed vos etiam ipsos perdit.

XV. Et hoc velim maximè à parentibus observari, qui etiam cùm volunt corrigere, nihil proficiunt: quam verò ob causam? geminum ob peccatum, quod in corrigendo committunt. Primum est quoddam partium studium, quo inducti non omnes filios æqualiter ad pœnam trahunt. Aquila tria parit ova, ait S. Basilius, duo tantùm excludit, & ex his unicum tantùm educat & alit. Idem faciunt quandoque parentes. Si prolem geminam habuerint, masculam unam, femineam alteram, identidem puellam increpant, & filio, quamvis pejori, blandè arrident. Postmodum cùm educant, ut filio pinguè hæreditatem compareant, pensi non habent, puellã cum modica dote dare marito, sub cujus jugo ingemiscat: aut domi suæ illâ ut famulâ utuntur, nubendi facultate præcisâ. Hoc planè est officio suo nimium quantum deesse. *In circuitu meo pueri mei*, dicebat S. Job, volebátque verbis istis omnes Parentes Christianos admonere, quòd in medio filiorum suorũ tanquam centrum in circulo ipsos stare deceat; ita ut æquali ab omnibus spatio distent, nulli magis, quàm alteri odioso partium studio admoveantur. Altera causa est, quòd non sciant suos corrigere cum amore; sed ut Leones in sylva desævire in suos videntur, contra quàm Deus vetet. *Noli esse sicut Leo in domo tua, evertens domesticos tuos & opprimens subjectos tibi.* Hæc enim gubernandi ratio tyrannum, non patrem arguit, qui se non timeri sed odio haberi velit. Et quid quæso boni speratis ex intolerabili hoc rigore? Qui balsamum colligit, Arborem cultello ligneo, non ferreo scindit: secus enim nec balsamum obtinet, nec arborem servat: *emoritur protinus.*

XVI. Sed & Matresfamilias, & Conjuges multùm hoc documento opus habent, quæ si semel de Maritis suis suspicionem conceperint, actum est de pace domestica, & totius viciniæ. Per omnes affinium ædes spargunt, quantum à Maritis suis patiantur; & qui eos defendere voluerint, haud secus ac ipsi Mariti tanquam Diaboli respiciuntur. Pessimum est, quòd hujusmodi familiarum ruinæ è solis quandoque suspicionum umbris proveniant. Sed seu veræ illæ, seu falsæ sint, solùm quæro ex vobis, an malo mederi vultis, an illud exasperare? hac certè ratione augetis. Si remedium afferre cogitatis, prudenti illa animadversione vos uti velim, quam Abdemelech in eruendo ex cœnoso lacu Jeremia adhibuit. Portexit Liberator iste amantissimus funem, quo implicantem se Prophetam extraheret; cum fune tamen panniculos etiam projecit, quibus manus indueret, bene gnarus, fore alioquin, ut manus correpto fune in ascensu miserè lacerarentur. Maritus vester in cœnosum lacum delapsus est: nunquid? & cœno infixus est gutture tenus, an non ita est? oportet itaque, ut succuratis, eúmque vestra correctione sursum attollatis. *Infixus est in limo profundi*: ne autem funis durus nimium sit,

Arist. l. 5. hist. anim. c. 34. n. 5. *S. Basil. hom. 8. in Hexæ.* *Job. 29. 5.* *Eccli. 4 35.* *Plin. l. 12. c. 25.* *Jerem. 38. 12.*

charitatem in corrigendo ceu panniculos adhibere; aliàs enim bona vestra consilia non volet apprehendere, aut ijs, cùm manus admoverit, offendetur. *Supervenit mansuetudo, & corripiemur.* Psalm. 89, 10.

XVII. Hæc de Arte; cui tamen si Vires in consortium non jungantur, victoria de peccato referenda frustra speratur. Non sunt corrigendi delinquentes tanta lenitate, ut oleum vino non misceatur, tali scilicet austeritate, quæ lenitatem reddat efficacem. Manus, ait Galenus, non debebat tota ossibus constare, cum inhabilis fuisset ad quidquam apprehendendum: sed neque totum debebat esse carnea, quia, si tam mollis fuisset, nihil potuisset tenere. Multi contenti sunt, vocibus omnino mellei dixisse: *Filij estote probi, honoris curam gerite*, putántque se officio suo fecisse satis, ad eum ferè modum, quo Heli, dum nequissimis filijs suis non aliam correctionem adhibuit, quàm *nolite facere rem hanc.* Plus peto. Media omnino lenia applicanda sunt, talia tamen, quibus finis obtineatur; secus enim lenitas in vecordiam degenerat, & tunc præsertim cùm docet experientia, lenitatem nil quidquam proficere. Prima vice, quâ Christus Dominus in Templo mercatũ illum offendit, non nisi Templo exegit Loci Sacratissimi profanatores: cùm verò animadvertit, hac illos ejectione non emendari, è funibus flagellum contexuit, multóque cum vituperio ac verberibus adjectis è Domo Dei ejecit. Propterea Parentes, cùm linguâ nihil proficiunt, manus in auxilium advocent, dummodo id faciant in tempore; serum enim erit consilium, cùm carnem annis gravem ferreis volent vinculis coërcere. Et sic, cùm pueri verbis non emendantur satis, quo minùs ad iram concitati nomen Domini blasphement, colaphum ori infligite, & tum videbitis, num corrigantur. Et si filia vestra à fenestris & foribus simplici verborũ cummonitione non retrahitur, baculo tergum ac humeros pulsate, & vel sic periculo liberate. At quid cum grandioribus agendum, qui fustuarium porrò non metuunt? Christum imitamini, & illis ejus verbis ad officium compellite: *Si non laverote, non habebis partem mecum.* Domo ejiciendos dicite, hæreditatis jacturam iturentate, & potiùs omne incommodum ac damnum vos subituros denunciate, quàm immorigeros domi vestræ filios sitis toleraturi. Sic facit, qui testudinis chordas ad concordiam revocat: mavult unam reliquis dissonam rumpere, quàm tolerare. Quod si non feceritis, officio vestro non facietis satis: cui etiam illi Confessarij desunt, quibus sufficit ad pœnitentes dicere, ut occasionem proximam tollant. Oportet quandoque etiam absolutionem negare, dum illam sustulerint: neque propterea timeant, fore ut Pœnitentes Confessarium traducant, scrupulosum, austerum ac difficilem proclament; forsitan enim non facient. Imò quemadmodum Imperator Theodosius confessus est, neminem se invenisse, qui nomen Episcopi meliori jure mereretur, quàm S. Ambrosium, à quo

de usu part. c. 6.

Joan. 13. 8.

Theod. l. 5. hist. c. 19.

à quo inusitata prorsus animi magnitudine conceptus fuisset: *Solum Ambrosium Episcopum novi dignum eo nomine*; ita qui vis Pœnitens prudens palàm fatebitur, solum illum Confessarium hoc nonine à se dignum haberi. Quod si autem non nemo malè contentus abscedat, ac Confessarium inhumanum ac imprudentem appellet, quid faciendum? Etiam Propheta, quia officio suo in reprehendendis malè moratorum vitijs fungebatur, litigiosi nomen tulit, quique discordias ac jurgia ubique seminaret: *Virum rixæ, virum discordiæ in universa terra.* Justorum hoc est proprium, pati propter Justitiam.

Ierem. 15. 10.

XVIII. Ad viam nunc redeamus: Efficacia ista, quam in Correctionis negotio hactenus vobis commendavi, primùm oratione juvabitur, cùm Deo facti fueritis supplices, ut verbis vestris robur addat: neque enim admonitio externa quemquam corrigit, nisi Deus Gratia suâ eum prius intus correxerit: *Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit.* Præterea bono exemplo plurimùm juvabitur. Certè quatenus plerumque lingua nihil efficiat, causa est, quòd sit monstrosa, hoc est, major ipsa manu. Si Mater jam vidua, & annis gravis libenter adhuc cum viris versatur, & vestibus ornatur splendidis, quâ ratione Amores filiæ, ejúsque vanitates improbabit? filia enim ad facta potiùs, quàm verba Matris animum convertet. Quando Josue Solem stitit, cum stante Sole omnes etiam Stellæ constiterunt, utut nullo ad hoc imperio adstrictæ. Si quidem ad exemplum capitis familia per se componitur, &, si majores in divinæ legis observationes constantes aspiciat, & ipsa facilè in eadem observanda confirmatur. Solis verbis parùm sanè proficitur. Hoc erat imperium, quo Apostolus Titum suum loqui volebat: *Loquere cum omni imperio*, atque hoc est, quod omnem vestram Correctionem reddet efficacem.

Eccli. 7. 14.

Abul. in c. 10. Ios. q. 22. Corn. Eckius.

Tit. 2. 15.

XIX. Quod si post tot præcepta quis esset, qui aut corrigendis officium detrectaret, aut Correctionem admittere recusatet, quid porrò dicam? dicam illi, ut attendat, ne lingua, quæ à reprehensione pertinaciter abstinuit, post paululum in lamenta solvatur: *Vami-hi, quia tacui:* tum potissimùm, quando ad DEI tribunal adductus non de suis tantum, sed aliorum quoque delictis, quæ corrigendi officio prætermisso sua fecit, rationem reddet. Qui verò correctionis impatientem se ostendit, huic illud SS. Litterarum in memoriam revocabo; quòd non peccator tantùm, sed pestilens peccator sit, adeóque dignus, quem omnes fugiant ceu peste contactum. *Non amat pestilens eum, qui se corripit*; nisi malimus dicere, illum peccato suo Cacodæmoni assimilari, qui non peccator tantùm, sed & incorrigibilis est: *Qui odit correptionem, vestigium est, peccatoris*, hoc est, Diaboli, qui primus omnium in mundo peccator fuit. Est igitur ceu vestigium quoddam Diaboli, qui benevolæ Prædicatorum, Parentum aut Confessariorum admonitioni repugnat; & quemadmodum vestigium simile est pedi, à quo impressum

Isa. 6. 5.

Eccli. 21. 17.

Iansen.

fuit, ita hujusmodi malitia est similis malitiæ diabolicæ, atque ideo si fixum est illi æternùm perdi, non mutet viam; jam enim illam insistit; quâ certò ad infernum itur; eat, pergat. Si quis ita incedentem conspicatur, quid agat? ire sinat prohibendus à progressu non est, qui palàm se reprobum declarat. *Sit tibi*, ait Christus, *sicut Ethnicus & Publicanus.* An erit aliquis, qui non timeat ruere in præceps potiùs, quàm dicentem audiat, quòd via, quam tenet, ducat in præcipitia? Matth. 18. 17.

DISCURSUS XX.

De Moderatione Iræ.

I. MAxima Chimicorum ars in temperando igne consistit, ut ne remissus nimiùm nihil operetur, aut nimiùm intensus destruat potiùs, quòd ea arte paratur, quàm illud ad perfectum excoquat. Credo ego idem de Christiana Morum Philosophia cum proportione dici posse, Maxima in usu ignis illius, quem irascibilis intra nos facultas accendit, ars sita est, ita ut animus in quotidianis eventibus nec nimiùm remissus, nec nimiùm etiam sit concitatus: *Irascimini & nolite peccare.* Mentis aliquem obtutum non dicam in publicos defectus, qui nostro judicio judicari non debent, sed in privatos defigite, quales in nullis non familijs quotidie occurrunt, & invenietis eos omnes oriri aut ex nimia indulgentia, & tolerantiâ, aut ex cujusvis levis etiam incommodi impatientiâ. Vel enim parùm prudentis cujusdam dissimulationis cinere ardor ille obtegitur, qui corrigendis erratis debetur; vel in flamas odij prorumpere sinitur, aut indignationis saltem, & nimiæ austeritatis, Ideo postquam de opportuna correctione egimus, quæ prius illud peccati genus, & ignavam tolerantiam emendat, res postulat, ut de Ira moderanda disseramus, quæ alterum peccatum corrigit, præteritis diebus à nobis tantùm indicatum. Psal. 4. 5.

II. Antiqui Scoici totum animum persanâsse sibi videbantur, si Iram omnem ex eo penitus evulsissent. Verùm ea in persuasione haud aliter fallebantur, ac Medicus aliquis, qui ad persananda, quæ bilis copia infert mala, ab infirmo corpore omnem vellet bilem extrahere. Inprimis hoc fieri omnino nequit, &, si re ipsa fieret, valetudinem non tantùm non repararet, sed eandem planè pessundaret. Sciatis igitur oportet, non peti à vobis, ut convitia non sentiatis, ut nullo vituperio commoveamini, ut instar trunci immobiles ac insensibiles persistatis. Hoc exigitur, ut non cæco statim impetu in vindictam abripiamini, bestiarum instar; néve nimiæ Iræ, quæ ita universali quadam lue humanas mentes invadit, moderari negligatis, Dixi, adeò universali; quòd si enim totius Mundi statum, & veluti vultum curiosiùs

sius observare juvat, reperietis fortè non paucos ex Christianis, qui divitias contemnant, multos, qui voluptatum appetitum edoment, qui curiositatum lenocinia aspernentur, qui ab ambitione remoti sint: at verò ubi multos reperietis, qui vesanoiracundiæ impetu non abripiantur? Incendium hoc est, quod per omnes serpit familias, in omni ætate succenditur, & omne pectus exedit atque consumit. *Nullam transit ætatem, nullum genus hominum excipit, tam inter Graios, quàm Barbaros potens.* Videte, igitur, quanta nobis necessitas incumbat, passioni huic frænum injiciendi, quæ alioquin instar equi indomiti nullum non facilè ephippio excutit, & humi affligit.

Senec. l. 3 de Ira c. 2.

III. Jam verò, nisi fallor, eadem infrenanda Ira, quæ in equis ratio tenenda est, & utrobique utendum dexteritate ac robore; illâ, impetum non nihil permittendo, hoc eundem frangendo, dum nunquam ita frænum retrahimus, ut equus supinus concidat; nunquam ita laxamus, ut effræni libertate in præceps ruat.

I.

IV. Quod attinet ad dexteritatem: eò primùm convertenda est cura, ut æstus inminuatur Passioni, quæ præquam ulla alia exardescit. Et eum in finem imprimis perpendite id, quod iracundiæ vestræ animos addit, persuasionem quandam esse, quâ creditis, vos jure ac meritò irasci. *Nulli irascenti sua Ira videtur injusta*, ait S. Augustinus: Atque adeo ad restinguendam indignationis intemperiem, meo quidem judicio, ratio perquam expedita est, observare tranquillè, quot modis Ira nostra & Juris & Rationis limites transiliat. Peccat autem Ira triplici potissimùm modo: primò, quia irascitur ijs, quibus non decet; secundò, quia ex causis, ex quibus non decet, & tertiò, quia plus quàm decet.

S. Aug. l. de vera Innoc. c. 3.

V. Primò irascuntur homines, quibus non decet. Sunt, quos videamus exardescere, cùm equus eorum umbris terretur, cùm cespitat, cùm non ad arbitrium eorum progreditur. Quin videmus ipsis etiam saxis quosdam indignari, in quæ impingunt; igni si non confestim accenditur; calamo, si liquorem tenaciùs retinet; chartæ, si eundem avidiùs fugit; filo si intricatur, & multò maximè chartis lusorijs, cùm ad votum non obtingunt, ita ut hæ etiam in frustra quandoque abeant. Qui sic irascuntur, ut ne homines dixeris, sed belluas; neque enim ijs irascuntur, à quibus verè offenduntur, aut quos ut tales bona ac sana ratio dictat; sed quos ipsi apprehendunt, aut qui tales quoquo modo apparent; atque ideo dum his irascuntur, solâ se duci sinunt imaginatricis facultatis vi, quæ etiam bestiarum furorem legibus suis moderatur. Hisce annumerandi quoque sunt, qui opportunè monentibus irascuntur. Hi pro eo quòd oderint culpam; tanquam vulnus, oderunt Correctionem, quæ est Balsamum, curando vulneri affusum: & hac ratione se planè phreneticos commonstrant, cùm neminem alium tam acerbè oderint, quàm illos, qui Medici in se partes suscipere

S. Thom. 1. 2 q. 46. a 7. ad 1.

re cogitant. Potéstne igitur unquam rationabile vobis videri, in eos cõmoveri, qui ante alios sese vobis beneficos declarant?

VI. Secundo modo Ira in causis peccat; exardescunt enim nonulli ex causis levissimis: ex offensis nimirum veris quidem, sed tam exiguis, ut pudere quem debeat, quòd ullam earum rationem habeat. In familijs etiam Christianorum tantus quandoque ex unius vitri casu strepitus exoritur, atque tumultus, quo vix majorem in cujuspiam Regni seditione excitari par esset. Sed ita nunc res sunt: assuevimus terrenas hasce reculas tanto in pretio habere, ut quævis earum etiam minima jactura nostrâ æstimatione magni semper sit ponderis. Atque hic error nos in furias agit, quòd credamus, ab eo nos contemni, qui rei exiguam curam gerit, quam tanti nos æstimamus. *Inde nobis Ira & insania est, quòd exigua magni momenti æstimamus*, verba sunt sapientis magni licèt Ethnici. *Senec. l. 3. de Ira. c. 34.*

VII. Denique peccant Iracundi plerumque in modo. Dabo vobis, causas irascendi justas esse, & rationi conformes: at tales profectò non sunt impetus, in quos indignando prorumpitis. *Ita viri Justitiam DEI non operatur.* Pedum ille strepitus, qui ab aliquibus excitatur; illa digitorum admorsio; illud intra dentes murmur, illa torva oculorum sursum contorsio, quasi minæ cælo intententur; illa denique mille imprecationum eluvio perspectum facit, multorum corda tempestuosi instar pelagi concitata fervere, quòd intestinos illos tumultus suos intra viscera nequeant continere; adeò jam modum illi excessere. Ajunt quidam, Ursum, cùm vulnus accepit, illico omnia, quæ primò unguibus occurrunt, terram, lapides, pulverem, spinas quin adeò congerere, iisque vulnus obturare; & hac ratione quandoque majus sibi ipsi malum, quàm à lædente acceperit, inferre. An non hoc ipsum etiam inter vos accidit? Injuriam accipitis; huic ut medeamini, in tantas vosmet ipsi ruinas agitis præcipites, ut, qui vos læsit, pares non cogitârit. Circa istum autem, quo de agimus, irascendi modum, duo maximè errata observari velim: primum illi admittunt, qui irascuntur citiùs, quàm deceat: secundum qui diutiùs. Rem pluribus edissero. *Ira, 2. 20.*

VIII. Appositè Aristoteles Iram cani comparavit, qui cùm primùm audit ædium fores pulsari, mox ex superiore ædium parte ad limen accurrit allatraturus quemlibet, priusquam indaget: amicus sit, qui pulsat, an hostis; domesticus, an exterus. Ita videmus quosdam momento in Iras exardescere, & absque alio fundamento, solâ cujuspiam suspicionis nebulâ animum offuscante, ingentium rixarum ac jurgiorum machinas moliri. Postmodum in medio Irarum æstu amicus esse dignoscitur, qui latro putabatur. *Multos absolvemus si cœperimus antè judicare, quàm irasci*: ajebat Seneca. Propterea *maximum Iræ remedium, mora*: pergit idem Philosophus docere, ita ut qui hominibus Iræ stimulus est, re bene perpensâ deberet esse *Eth. l. 4. c. 6.* *Senec. l. 3. de Ira. 9. Senec. l. 2. de Ira. c. 18.*

esse frenum. Filios non punitis, nisi cùm Irâ excanduerit is: unde si tum illi se occultent, vel longiùs abeant, eorumdem inobedientiæ postmodum non succenseris, dicitisque, Iram vobis jam resedisse. Alia omnia. Cùm enim Ira fervet, tum à filiorum castigatione abstinere penitus oporteret, ne scilicet castigando excedatis; cùm
Psal. 76. 5. verò resedit impetus, tum ad pœnam vocandi sunt. *Turbatus sum*, ait S. David, *& non sum locutus.* Ideo linguam continui, quia sanguinem effervescere persensi. Quî sanum de quavis re judicium feretis, cùm intellectus passione obfuscatur? Mulier gravida, cùm primum faciem, quam arbitrari cupit, speculo admovet, speculum obfuscat. Sic Ira tenebras rationi offundit, ne sinit discernere, quid magìs
Moral. l. 5. c. 30. conveniat. *Ira intelligentia lumen subtrahit*, ait S. Gregorius, *cùm mentem permovendo confundit.* Etiam illa, quæ ipso sole meridiano clariora sunt, iracundus animus non pernoscit; namque ut ille, qui vallem densâ nebulâ obsessam pertransit, neque quid intra, neque quid extra eam vallem sit, dignoscit, sic animus Irâ turbatus neque intra se videt, quantum cæco illo & præcipiti impetu excedat: neque extra se, qualia sint errata, quibus ita indignatur: unde tunc ad judicandum planè ineptus redditur.

IX. Et verò tolerabilius malum foret: si Ira non probè perspiceret objecta, quibus movetur; pessimum est, quòd semper illa majora intueatur, quàm re ipsa sint. Observant rerum naturalium periti, quòd, cùm Eurus aërem perflat, omnia majora videantur, quàm cùm Zephyrus eundem pervadit; cujus rei causam vaporibus tribuunt, quos secum Eurus advehit. Hæc igitur non exigua Iracundiæ miseria est, quòd non cæca modò sit, sed & plus justo videat, dum turbatum suarum causas auget, eásque pro arbitrio sibi fingit, semper tamen verò majores. Quæ cùm ita sint, quis satis explicet, quantas Cacodæmon prædas agat, cùm sit lupus, qui nullum spolijs tempus habet opportunius, quàm quo Cælum est turbidum, aut tenebris obscuratum. Vos ipsi ignorare non potestis, quantum Irâ & illo fervore mitigato, ceu dispulsa nocte, errores vestros ipsi obstupescatis: excusatis vosmet tamen, & dicitis: *Iratus eram*: quæ excusatio ipsâ quandoque Iracundiâ mihi pejor videtur. Etenim si fuistis Irâ correpti, non debebatis tum quidquam decernere, longè minùs excusationi mandare. Scitis utique; chrystallum fractam aptam non esse, ut faciem inspicientis integrã reddat! Et hoc ingens illud malum Iræ *Arist. l. 4. Eth.* est, de quo priùs dixi: ante tempus 4 Irasci, quod illorum hominum proprium est, qui in Ira Acuti, sed veloces appellantur.

X. Intolerabilius tamen est alterum malum eorum, qui non tantùm, in Ira Acuti, sed & Amari sunt. Sunt autem ij, qui non tantùm præmaturè efferveseunt, sed Iram semel conceptam diutiùs, quàm par sit, animo fovent. *Ira in sinu stulti requiescit*, ait Spiritus *Eccli. 7. 10.* Sanctus, quasi velit dicere: Iram belluam quandam esse, quæ quidem per ani-

animos sapientum etiam transit, in ijs tamen non moratur, ut in suo spelæo; sed in sinu fatuorum quiescit ac proprium cubile habet. Aristoteles observat, illa animalia, quæ sanguine magis materiali constant ac crasso, diutius iram retinere, id quod in Apris & Tauris planum fit. Idem in agrestioribus etiam hominibus usuvenit; quibus ad mansuetudinem revocandis nulla quandoque motiva sufficiunt, non Ratio, non Fides pacem persuadet; coram his etsi quis se abjiciat, errorem confitendo, aut veniam quàm demissè ac studiosè precando, in cassum tamen ibunt omnia, adeò ut planè ignores, quam in ijs pacandis rationem tenere oporteat. Cor enim eorum destructæ instar ferè nullâ jam, ne propriâ quidem clavi, aperiri valet.

XI. Admonitio proin, quam hac in re dare possum optimam, illa S. Jacobi videtur: *Sit autem omnis homo tardus ad iram.* Si tamen ista quandoque frænum inadvertentibus vobis è manibus excutit, ocyus illud resumite, nec unquam ex toto dimittite. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Impetus illi Iræ exæstuantis ita comprimantur, ut non nisi momentanei sint. Quis unquam aget cum homine, qui nulli veniam impertit? qui omnem injuriam etiam leviſſimam Porphyretico marmori insculpit? qui nō nisi vindictâ sumptâ quietem capit? Desiderabilis omnino foret in membris nostris inconcussus quidam ac perpetuus tenor valetudinis; quod si tamen humorum abundantiâ partem quandam apostema invadit, saltem mollis sit tumor, non crudus. *Molles tumores boni, crudi verò mali.* In quo axiomate tam corporis, quàm Spiritûs Medici conspirant. Oporteret semper tranquillæ mentis malaciam conservare, ut nemo ullus, ultra quàm ratio suaderet, iræ indulgeret. At si plenum noxio humore est corpus, qui alicubi collectus protuberat, sit saltem, quàm fieri potest, mollis hic tumor, haud quaquam crudus: volo dicere, manum admittat medicantis, qui partes ad aliquē mutuæ pacis consensum reducat; cùm haud aliam pejorem iram iuvenire sit, quàm illam, quæ non solùm Acutos, non solùm Amaros, sed etiam difficiles, id est cujusque alterius satisfactionis, quæ per ultionem non accipiatur, impatientes reddat.

Jacob. 2. 19.

Eph. 4. 16.

Hip. l. 5 Aph. 67.

S. Thom. 1. 2. q. 5. a. 8. 2. q. 158. a. 5.

XII. Interim, Dilecti in Christo, animis vestris expendite nonnihil quàm sæpè immeritò iram vestram justitiæ ac æquitatis titulo excusetis! Creditis, vos meritò irasci; & ideo tam vehementer turbamini: sed non observatis interim, quod etiamsi quandoque revera vobis causa irascendi non desit, non tamen causa suppetat ijs irascendi, contra quos exardescitis; aut non ex his motivis, aut non hoc modo, ut saltem non isto tempore, quo iræ passio vos infestat. Quam vobis veritatem si bene, ac verè persuasam haberetis, nullus dubito: quin multùm remitteret Iræ vestræ impetus, qui deliberandi spatium illi non concedit. Quod si insuper cogitaretis, aut justam succensendi causam

sam omnino vobis deesse ; aut non tantam saltem, quantam arbitramini, suppetere, haud aliter vobis contingeret, ac cuniculis illis, ad quorum latera foramen aperitur ; hi enim ignem quidem concipiunt, sed sine strepitu vis pulveris pyrij tota in auras ac fumum abit.

XIII. Verum est, ut rectè hoc, de quo actum est, utamur remedio, opus esse; ut omnes, quantum fieri potest, occasiones prævideantur, quæ nobis negotium facessere possunt ; & contra eas justa arma parentur. An non desiperet, qui equo, jam in cursum effuso, frenum primùm injicere cogitaret ? Scio quidem, esse quosdam tam dextros, ut in equum, non currentem solummodo : sed pænè volantem jactare se saltu possint ; nunquam tamen audire me memini, fuisse, qui frenum aptaret equo effuso cursu pergenti, Omnino igitur difficillimum est, ut sibi quispiam persuadeat, justâ se irascendi causâ destitui, quando Passio jam pleno cœpit cursu effundi. Antè sibi persuadeat patientiam, & frenum ori injiciat, cùm tranquillus est animus. Est hoc magnum sapientiæ arcanum, ita se habere hominem, ut nulla ei inexpectata res accidat, ac improvisa. *Timor, quem timebam, evenit mihi, & quod verebar, accidit*, ajebat S. Job. Tribulatio mea repentina mihi non fuit & inexpectata ; prævidebam eventus tam insolitos, qui nunc me exagitant. *quod verebar, accidit.* Et hæc provisio ac præmeditatio, quæ Sancti Jobi patientiam plurimùm confirmavit, haud facile dictu est, quantò magis adversorum patientes redderet omnes Christianos, si illâ uti scirent.

Iob. 3. 28.

XIV. Nemo sibi persuadeat, cuncta sibi semper ad votum ac desiderium eventura, sed potiùs in animum inducant singuli, plurima semper fore, & spei, & votis contraria ; eos qui hactenus amicitiam vobiscum coluêre, in juratos nominis vestri hostes degeneraturos. Filiolos istos vestros, qui modò tam sunt gratiosuli ac morigeri, cùm adoleverint, obstinatione sua ac pertinaciâ dolores, quos in partu, longa educatione exantlâstis, geminaturos : opes perituras ; lites orituras; languoribus innumeris, ac morbis gravissimis vos occupandos, verbo; quam agebatis hactenus Comœdiam Tragicâ Catastrophe finiendam. Statuite vobiscum, vos in tanta rerum vicissitudine durare velle corde intrepido, ut inter fluctus scopulus, qui omnes tandem superat non agendo, sed patiendo. Decernite, bona hujus Mundi post hac plutis non facere, quàm eorundem vanitas ac instabilitas mereatur; nec alios pro beneficijs, quæ vel Agnatos, vel alios proximos contulistis, fructus expectate, quàm quos humani cordis tellus plerumque solet reddere; hæc autem, ut solum sterile, frumenti loco ac tritici infelix quandoque lolium rependit. Paucis : Imaginamini vobis, imitationi vestræ, ceu Christianis, vitam Christi Domini exhiberi, qui, ut S. Augustinus loquitur, *venit mira facere, & mala pati*: Omnibus in hoc Mundo benefecit, & non nisi mala semper retulit.

tulit. Quæ persuasio efficiet, ut nullus unquam eventus, votis vestris contrarius, peregrinus vobis accidat, quem non immoto pede sustineatis, aut saltem minùs reformidetis, quàm si repentinus prorsus ac improvisus vos obruisset.

XV. Congrediebantur Persei Milites cum Exercitu Romano, cùm in ipso prælij æstu sol magnâ cœpit Eclipsi obscurari. Milites Romani, qui jam ante per Astronomos hac de re edocti fuerant, ne hilum quidem commoti sunt, sed pergebant in hostem pugnare mira fortitudine & animi robore. Persei verò phalanges, phænomeni, quod in cælo conspicabantur, novitate perculsi, causámque rei insolitæ ignorantes ita cohorruerunt, ut laxatis mox ordinibus nulla habita Ducum aut quorumvis aliorum ratione, in præcipitem fugam effunderentur, rati, non jam homines solùm, sed & sidera contra se pugnare. Hujusmodi perturbatio singulis pæne momentis etiamnum accidit. Una improvisa fortunæ Eclipsis, una favoris, sanitatis, divitiarum, Honoris, Amicitiæ jactura, quæ non expectantem obruit, innumeros Christianos vehementer etiam atque etiam perturbat: qui si animum infallibilibus Scripturarum & Patrum prognosticis applicarent, rerúmque humanarum cursum non secundùm vota sua, sed secundùm veritatem multâ jam experientiâ comprobatam metirentur, & mala præviderent, tum enim verò in omni rerum vicissitudine, in adversis æquè ac prosperis, generosè decertarent, ac glorioſam ex omnibus victoriam reportarent: *In die bonorum ne immemor sis malorum*, ait Spiritus Sanctus. Eccl. 17. Cælo sudo ac sereno præsagite animis vestris nubes & pluvias, & priùs quàm portu excedatis, contra procellas vos armate, ut cùm in altum promoveritis, sulcare maria & fluctus everberare possitis. Quid expectatis in isthac lacrymarum valle, quam habitamus, nisi ærumnarum segetem & laborum? Multæ vobis injuriæ inferentur, molestiæ innumeræ & contemptus, partim eorum, qui melùs agere non possunt, ignorantiâ; partim imbecillitate eorum, qui quod vellent, agere non possunt; partim eorum malitiâ, qui bene vobis facere etsi possent, non volunt. In omnes hujusmodi casus vos parate antè, quàm veniant, & ita animos vestros obfirmate, ut nulla eos passio & impetus transversos agat; non instar palearum vento vos permittite, sed state immoti, partim alienis miserijs condolendo, partim etiam, quid alij à vobis patiantur, considerando. Ita ut, quemadmodum Grues securæ per aërem remigant, cùm ingruente vento pro saburra saxum rostro tenent; etiam vos pondus vestrorum erratorum, quæ fortè non levia sunt, attenta mente perpendendo, refrenetis impetum, quo contra alios incitamini. Ælian. Hist. Anim.

XVI. Et certè quis æquo unquam animo ferat, quòd in Christianorum domibus minùs, quàm in spelæis Ursorum nonnunquam pax vigeat? Marirus contra Uxorem, Uxor contra Maritum: Pater contra Filios, Filij contra

contra Patrem, Vicini contra se mutuò concitantur, & solido Christianæ charitatis vinculo colligari nesciunt: Gen. 49. 5. *Vasa iniquitatis bellantia*: corda iniquitate repleta & contentionibus; id est, homines, qui vel maximè opus habent, ut benignè ab alijs tolerentur, tolerare ab alijs volunt omnino nihil. Discite aliquantum, à tantis clamoribus, vociferationibus, convitijs abstinere; animum Christiano homine dignum induite, seu quod idem est, pacificum: Coloss 3. 12. *Induite vos sicut electi DEI, sancti & dilecti, viscera misericordiæ benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam supportantes invicem, & donantes.* Unum alterúmve proximi vestri erratum dissimulate, haud aliter ac si non videretis, gnari, subinde medicinam, in occultis præsertim ac intestinis morbis, ipso malo esse pejorem. Hippoc. l. 6. Aph. 38. *Quibus cancri occultè fiunt, eos præstat non curare; qui enim curantur, citiùs pereunt.* Contrà verò ùm ipsi corrigimini, discite saltem pati, si non amare correctionem. Plurimos invenietis, qui ne verbulo quidem tangi sustinent, non dicam à Majoribus domi suæ; sed ne à Sacerdotibus quidem in Tribunali Pœnitentiæ; ita ut si quis Confessarius admissos à Pœnitente errores exaggerârit, idem fecerit, ac si bellum indixerit, aut omne saltem commercium se inter & Confitentem sustulerit. Quantocyus ad inquirendum alium Animæ Medicum digrediuntur, qui plagis gossipium oleo tinctum imponat, quibus ceu fistulis jam inveteratis ferro & igne fuisset obviandum. Porphyrius ille, maximus Christianæ Legis hostis, non aliam ob causam à fide defecit nefandus Apostata, nisi quòd ab honestissimis quibusdam personis fuisset admonitus, ipse autem admonitiones istas, utut amicas, ferre non vellet. Socrat. Hist. Eccl. l. 3. c. 23. Quæ ipsius Ira tam stulta, quàm superba, effecit, ut DEI primùm Gratiâ excideret, mox etiam vitâ, quam funesto fine abrupit.

XVII. Ad viam nunc redeamus. Hæc duo monita, primum, Inducendi in animum, non eam semper, qualis apparet, indignationis causam suppetere; alterum; multum ad quoscunque eventus in vitæ humanæ societate evenire solitos alacriter perferendos conferre, si animum antè paraverimus, & venturos præviderimus, hæc inquam duo monita bene expensa & usu comprobata illam nobis dexteritatem conciliabunt, quam primo loco ad edomandam Iracundiam, ceu equum indomitum requisivi.

II.

XVIII. Verùm, ut equus dometur, ars sola non sufficit, brachio etiam opus est. Et ideò, ut ex omni parte impetus nostros habeamus in potestate, industriæ etiam robur jungamus oportet; maximè autem tunc, cùm Ira longi temporis lapsu in odium degeneravit, quemadmodum quibusdam cordibus accidit, è quibus sæpenumero vapores ascendunt, exhalationum illarum simillimi, qui æquo diutius intra nubes concluſi in mera fulmina indurantur. Ad meliorem rerum dicendarum intelligentiam supponendum est, duas esse Passionum

num acies, quæ bellum nobis indicunt: quædam ad Concupiscibilem pertinent; & hæ nos oblectamentis impugnant; quædam ad Irascibilem, & hæ doloribus nos invadunt. Jam sicut arma sunt diversa, quibus hæ Passiones nos infestant, ita pugnæ quoque & resistendi ratio, quibus victores evadamus, esse diversæ debent. Contra Concupiscibilem, quæ delicijs nos impugnat, fugâ repugnemus, & ad Josephi Ægyptij illius æmulationem, qui Dominam suam impudicam fugâ declinavit, fugiamus: *fugâ usus pro armis* ait S. Basilius Seleuciensis, & propter hanc causam toties vobis in memoriam revocavi, & etiamnum revocabo, ut occasiones ad peccandum omni studio devitetis; Juvenibus vestris tantam inter se conversandi licentiam ne concedatis; quin nec vobis ipsis eam permittatis: neque enim innocentes ac innoxij perseverabitis. Tota spes, quòd vinea ad frugum suarum maturitatem sit perventura, in bona sepe collocatur, quæ si defuerit, vindemia jam collecta est. *Ubi non est sepes, diripietur possessio.* Eccli. 36, 27.

XIX. Contrà verò, ut Irascibilem vincamus, magno robore & animositate obviam procedendum est, & omnino oppositum ei, quod passio suader, faciendum, bonúmque pro malo reddendum. Qui sic operatur, optimè commonstrat, illo se nomine, quod à Christo geret, dignum: Christianorum enim proprium est, sub vexillo Sacratissimæ Crucis omnes perversas inclinationes virili animo debellare. *Labora sicut bonus miles Christi.* Sunt vestrûm nonnulli, qui sancta quadam curiositate nôsse cupiunt, an in DEI Gratia sint, an DEUM ament, an hospitio cordis sui recipiant verum & sanctum DEI Spiritum. Ecce signum vobis manifestum. Ex quo cognoscitis, utrùm piscis vivat, an mortuus sit? si vivit, adverso flumine natat, vimque aquarum superat: mortuus autem nonnisi secundo flumine devolvitur. Dico proinde, quòd si nunquam vim vobis inferatis, sed præcipiti vestræ passionis impetu abripiamini, nullum mihi motivum suppetere, quo in animum inducam, vos vivere: at verò cùm hujusmodi impetus magnis conatibus reprimitis & vincitis, fateri cogor, Charitate vos, & sancto Spiritu animari, qui vitam animæ, ut anima corpori tribuit. In hoc itaque vera virtus probatur, cùm possumus etiam inter illos vivere pacificè, qui pacem oderunt: *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus.* Cæterùm virtus non est, non irasci, quando nemo est, qui vos impetat; cùm illi potiùs, qui vobiscum agunt, virtutis studiosos se probent. Etiam palus, cùm non movetur, non fœtet; neque tamen ideo statim cum fontana in comparationem adducenda est; hæc enim, etiam cùm movetur, nec turbatur, nec fœtorem emittit. Pax igitur Christiana, pax est victoriosa, quæ ad illustria prælia consequitur; non est pax indecora, quæ ignobili se recessu abscondit. *Nova bella elegit Dominus.* Ante hac alio prorsus & diverso modo pugnabatur, odium cum odio, 2. Tim. 2. 3. Psalm. 119. 7. Jud. 5. 8.

odio, injuria cum injuria collidebantur. At ubi Servator in terras descendit, novum belligerandi modum attulit, quo odium benevolentiâ vincitur, injuriæ beneficijs expugnantur. *Ego autem dico vobis; diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Qui oppositum fecerit, non erit victor, sed victus. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Et quia velem, ut cupiditate vincendi in bono malum flagraretis, eventum planè mirabilem, huicque nostræ materiæ perquam accommodum, enarrabo; qui etsi aliàs vulgatus est, vobis tamen fortasse novus accidet.

Matth. 5. 44.

Rom. 12. 21.

XX. Bononiæ platea est, quæ Pia dicitur ob memoriam prodigiosæ, quæ ibi exercita est, charitatis. Matrona quæpiam nobilitate & opibus conspicua; ex marito mortuo susceperat unicum filiolum, in quo spes suas omnes positas habebat. Contigit autem die quodam, ut, cùm in platea puer lusu distineretur, peregrinus quidam transiret, qui vel casu, vel petulantiâ ita lusum ejus turbavit, ut adolescens in Iras excandescens graviter de injuria expostularet. Exterus ille, quàm facilis ad lacessendum fuit, tam ad tolerandas injurias difficilis gladio manum admovit, & adolescentem lethali vulnere saucium, humique prostratum exanimem reliquit. Mox fugâ sibi consulturus, ut fit in subitis casibus, qui antè fiunt, quàm prævideantur, cruentum adhuc manibus ferrum gestans ad domum ipsius occisi inscius se recipit; utpote quam primam, more apud nobiliores usitato, apertam invenit. Recenti adhuc scelere turbatus citato cursu, saltúve scalas emensus est, & eòusque progressus, ut ad ipsam denique Matronam nobilem perveniret, utut sibi penitus ignotam. Coram hac in genua provolutus DEI amore supplicavit, ut se reciperet, & occultum servaret. Inhorruit ad cruentum spectaculum Matrona: & quia non norat, homicidam filio suo manus intulisse, omnem ei securitatem adpromisit, ac statim ad intimos domus suæ recessus eum deduxit, atque occultavit. Interea supervenit lictorum agmen, homicidam ijs in ædibus indagantium; quem tamen post sedulam investigationem non repererunt. At ecce! in ipso satellitum discessu altâ voce lictorum nonnemo exclamavit: Domina hæc ignorare debet; suummet filium fuisse occisum; alioquin enim ipsa foret prima, quæ nostris homicidam manibus traderet, nullo autem modo absconderet. Facile cogitatu est, quantum frigus horrórque omnes miseræ matris venas ad hasce voces pervaserit. Enimverò parùm fuit, quin & ipsa filij defuncti comes in vestigio animam exhalaret. Verùm recepto paulatim Spiritu, & Divinâ, quâ abundabat, Gratia confortata DEO se obtulit, promisítque, in honorem Divinæ legis, & gloriam sanctæ Fidei, omnem se injuriam ei condonaturam, à quo maximam fuisset passa: &, quasi id esset parùm, insignum, quòd ex animo ei ignosceret, pollicita DEO est; se homicidam filij loco habituram, omnémque defuncti

Nicius Exem. 8.

filij hæreditatem in eundem translaturam. Nec segnius, quàm promisit, executa est. Mox enim certam auri vim suppeditavit, quâ se Judicum tribunalibus eximeret, ac postmodum facultates suas omnes in eum contulit, ut promiserat, tanto heroicæ pietatis ac mansuetudinis Christianæ exemplo, ut ab eo tempore platea illa, platea Pia appellaretur. Quid ad hæc Auditores? Quid ad modum hunc prorsus novum propriam Iram expugnandi, alienam in bono vincendi & beneficijs obruendi? O Fides, quâ tantæ res fiunt, sublimitatem! O grande Gratiæ Divinæ robur! An non unum hoc factum sufficiat, ut omnes infidelium sectæ evidenter convincantur, & Fides JESU Christi, quam nos profitemur, longè supra omnem aliam stabiliatur?

XXI. Hoc est, quod ego cordibus vestris hodie insculptum velim altissimè, ita ut si deinceps injuriâ quâdam impetamini, non alia vos ratione vindicetis, quàm beneficijs, quibus inimicum obruatis. Saltem si aliud quidpiam non occurrit, DEUM pro illo orate, eámque orationem eousque continuate, quousque illius injuriæ memoria apud animum vestrum perseverat. O vos beatos, si vos ipsos vincere ac debellare tanta cum gloria decreveritis! Videor mihi ipsum oculorum meorum acie Cælum penetrare, ibique in libro Vitæ nomina vestra lucidissimis characteribus inscripta legere: nomina scilicet eorum, qui sub vexillo pulcherrimæ Charitatis bella gesserunt; *bella nova*, uti dixi, electa à DEO pro bellis suis, quæ è cælo in terram secum detulit: *Nova bella elegit Dominus.* Antiquorum Gentilium Sacrificuli solebant victimas aperire; & ex intestinarum partium motu conjicere, num cæsæ victimæ Cælo forent acceptæ, an secus. Viscera Vestra pervidere cupio, atque ex cordis motu, & dispositione ad vindictam vel charitatem, fidelissimo augurio prædicam statum, quo coram DEO versamini, an Reprobis an Electis sitis accensendi? Neque objiciatis velim, perfectionem hanc nimiùm sublimem esse; etenim reponam, eam, quantumcunque alta ac sublimis sit, nihilominus Professioni vestræ, quâ Christianis adnumeramini, competere; illa enim filiorum DEI propria est, unde dixit Christus: *Diligite inimicos vestros; ut sitis filii Patris vestri, qui in Cælis est.* Matth. 5. DEI filij esse desideratis? Patrem imitari oportet, non bonis tantùm, sed & malis bona faciendo. An non videtis, quot ille gratiarum milliones non in sinum eorum tantùm, qui in eum credunt, eúmque adorant, depluat, sed illorum quoque, qui in eum blasphemias conjiciunt? Quomodo igitur vos Dei filios venditaris, si tantum ab ejus moribus degeneratis? *Sola dilectio*, dicam cum S. Augustino, *sola dilectio discernit inter filios DEI, & Filios Diaboli.* Nihilominus tamen, ut faciliorem vobis reddam perfectionis, quæ usque adeò vobis sublimis videtur, praxin, duo vobis media proponam, unum quidem, quod Charitati, alterum quod Patientiæ subserviet.

XXII.

XXII. Et quidem, quod attinet ad Charitatem, scitis, quàm vobis accidat difficile, eos amare, qui vos oderunt, benedicere maledicentibus vobis, ijs benefacere, qui vos persequuntur. Ratio est, quia proximum in se considératis, non verò in Deo Domino suo. Considerate eundem nonnihil in corde, ut ita dicam ipsius Dei, qui eum amat ceu opus suum admirabile, simulacrum, subditum, Hæredem Regni cælestis, & ad hunc modum considerantibus erit possibile, ut ei malè velitis, qui Deo in amoribus est? Quomodo erit possibile, ut difficultatem experiamini in eo vobis conciliando, qui una vobiscum super sidera regnabit æternùm felix? Magnorum Regum & Cæsarum filij, quamvis ob ætatis conditionem erroribus ac nævis sint obnoxij, facilè tamen ab ijs tolerantur qui non solum præsentem pueritiæ statum respiciunt, sed conseensuros aliquando thronum prævident. Id ipsum vos facere oportet, quando à proximo vestro injuriam sustinetis: hic, debetis dicere, qui tam inhumanè me habet in infan ia sua, cùm ad statum perfectum fuerit adductus, Rex erit, immensæ gloriæ particeps, meus in æternum frater erit, & à me ut alter ego amabitur. Quomodo igitur in corde meo locus sit alienationi ab illo, qui per omnem æternitatem deliciarum mearum objectum erit? Quid musca in se vilius? quod si tamen succino immersa conspiciatur, in omnibus Principum thesauris miraculi loco habetur. Quare igitur proximus noster, utut in se vilis sit, malignus ac protervus, si tamen ut proximus consideratur, hoc est, velut in divinæ charitatis abyssum immersus, quâ supernæ capax beatitudinis efficitur, nobis non videatur amabilis, dignúsque, qui corde nostro recipiatur? Lacrymas mihi exprimit extrema Christiani populi ignorantia, quâ fit, ut Idioma prorsus peregrinum evadat, quod vernaculum esse deberet.

XXIII. Bene igitur me intelligite, Amor, qui proximo debetur, non est amor quidam naturalis; in genij quadam similitudine fundatus, in venustate vultûs, modo agendi humano, & mutua affectionum consensione. Hic enim amor etiam inter Infideles, quin & bruta viget. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis*, ait Christus *nónne & Ethnici hoc faciunt?* Christiana charitas non est aurum sortis infimæ. Est virtus supernaturalis, quæ movet ad bene cuipiam volendum ex motivo purè divino, persuadens etiam illum amare, qui non mereretur in se spectatus amari; nec proximum in se, sed in Deo contemplatur, cujus præceptum est, ut proximus ametur. Et ut doctrinam hanc, altissima consideratione dignam, bene animo defigatis, nôsse debetis, proximum nostrum in DEO nostro eo ferè modo esse, quo fœtus in Matre. Filius tribus omnino modis in matre esse potest, nimirum intra viscera, in quibus concipitur; in corde, quo amatur, in sinu, in quo lactatur. Tribus ijsdem modis, quamvis multò nobilioribus, Proximus noster in Christo JESU reperitur; intra

Matth. 5. 46.

viscera quidem; utpote inter millenos dolores Passionis tempore in monte Calvariæ genitus; in corde, utpote amore infinito & insatiabili ab eo amatus; in sinu denique, etiamnum in SS. Eucharistiæ Sacramento Sanguine suo sacratissimo solitus lactari. Unde animadvertamus tantisper, quantam Christiani mutuo nos amore complectendi causam habeamus; & quod consequens est, colligamus, quantam DEO facit injuriam, qui de proximo ultionem petit; siquidem proximo suo damnum inferre nequit, quin in DEUM, quo cum ita conjunctus est, injuria redundet. Qua ratione fœtum in utero matris delitescentem ferietis, quin priùs in matrem infestas manus stringatis? ita si oculos fidei lumine illustratos haberetis, uti habuit Apostolus, illico in intimis Jesu Christi visceribus proximos vestros contueremini. *Testis est mihi DEUS,* Philipp. 1. 8. *quomodo cupiam omnes vos in visceribus JESU Christi.* In corde illo Divino omnes videretis tanquam in abysso Charitatis, ubi ex omni parte circumdantur & ambiuntur: qui igitur persuadere vobis poteritis, proximum ferire vos posse, quin DEUM feriatis? Illos ferite, qui velut utero gestantur, & illum non tangere, qui ut mater eos utero & Charitate circumfert? Animis vestris reputate, atque omne dubium inde expellite, hoc solum unúmque motivum fore satis efficax, quod possit pectora vestra omni rancore purgata pristino dulcore perfundere, ita ut primam Christianæ militiæ regulam opere comprobare valeatis, quæ in eo versatur; ut injuriæ beneficiis vincantur.

XXIV. Quod si hoc motivum, in quo Charitas fundatur, tanquam minùs, quàm oporteret, expensum ac intellectum, satis non foret ad coërcendos Iræ vestræ impetus jam nimis tumidos, alterum motivum in tempore accedat, in quo Christiana Patientia fundatur. Et quod istud? Audite. Causa, quare tam citò in eos concitemur, qui nos offendunt, est, quòd illos ceu unicam omnis mali causam credamus: cùm tamen revera non ita sit. Quis autem est, qui intelligat? *Quis est vir Sapiens, qui intelligat hoc, quare perierit terra, & exusta sit quasi desertum?* dicam & ego cum Jeremiâ attonitus. Quis est, qui intelligat, quo ex fonte omnia nostra mala deriventur? Mala culpæ quidem certò à nostra mala voluntate promanant, quæ sola desiderio suo concipit portenrosum illum peccati abortum, & se solâ pravis actionibus eundem gignit, & in lucem profert, dum viribus liberi sui arbitrij, potentiarum ac Passionum suarum, quas sibi subjectas habet, ad hoc tantùm utitur, ut ijsdem DEO, à quo accepit, bellum inferat. Mala verò pœnæ, Divinæ Providentiæ adscribenda sunt, quæ modò per hunc, modo per illum delinquentes castigat, ferè ut Judex, qui hunc modò, modò alium in reos carnificem armat. Quapropter sicut illi Rei insanirent, qui ad supplicium ducti, Carnifici irascerentur, eique præcipuam mortis suæ causam imputarent; ita stultissimi omnino Christiani

Ier. 9. 12.

stiani illi sunt; qui Iram suam in eos effundunt, à quibus offenduntur, litibus exagitantur, injurijs provocantur, facultatibus suis etiam iniquissimè evertuntur: in his enim aliísque omnibus eventibus Proximus noster non nisi instrumentum est. Repeto. Odium illud, illa injuria, injustitia, contemptus & hujusmodi, quo proximus vester ita malè vos habet, in quantum culpa & peccatum est, certissimò à Deo non venit, utpote qui etiam prohibeat, sed à sola humana malitia. At verò damnum illud, quod, qualecunque sit, accipitis, cùm à potentiore familia per vim opibus vestris dejciminis; cùm fama ac honor vester à calumniatrice lingua denigratur; cùm fratre quodam vestro, aut filio, aut marito per mortem ab hostibus vestris illatam spoliamini, atque omne illud pœnæ malum ab uno solóque Deo descendit, tanquam causâ omnium universalissimâ. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Deus omnium adversitatum vestrarum fons est; Proximus vester tantummodo canalis. Am. 3. 6.

XXV. Quibus ritè perceptis sancti & veri Christiani, qui hanc veritatem, ut oportet animo concipiunt, omnem inimicum patienter sustinent; utpote quem haud aliter aspiciunt, ac flagellum in manibus Dei, qui illo instrumento ad ipsos castigandos tantisper utitur. Ubi contrà cæca ac rudis plebs, nullo habito ad Deum, qui adversa immittit, respectu, ad solum proximum convertitur, qui ea infert, nec verecundatur instar fatui canis in saxum ferri, quo læsus est, lædenti autem tergum obvertere. *Ecce!* inter omnes nuncios, qui S. Jobo dolorosissima nova attulêre de pessundatis fortunis suis, nullus fuit, qui diceret: Deus hanc & istam calamitatem intulit. Ille Chaldæos reos agebat, alius Sabæos, nonnemo ventum incusabat, nonnulli fulmina, procellas, ignem, solus Job veram calamitatum causam agnovit, ac dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Et hoc solum ac unicum motivum tantum effecit, ut ad immanissimas has concussiones immobilis perduraret. *Obmutui: & non aperui os meum: quoniam tu fecisti,* ajebat David. *Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerit?* inquiebat Ezechias. Et hoc usitatum fuit Scripturæ sacræ idioma, quo Sancti nos edocent, quòd motivum omnium fortissimum sit, quo Iram in proximum, qui nos offendit, coërceamus; considerare scilicet proximum ut Dei instrumentum, quo nos vult punire, non verò ut causam miseriarum nostrarum principem. Ita eodem tempore cor nostrum placatur, ac disponitur, ut suaviter ac cum voluptate adversitatum pondus in se suscipiat, dum eas semper intuetur, ut à Domino suo paternè immissas, calicem amarum quidem, sed oppidò salutarem. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Venti Australes cùm primùm oriuntur, frigidi sunt; at quia, dum ad nos tendunt, Zonam torridam pertranseunt, fit, ut naturam suam mutent, eúmque, quem experimur, teporem induant, Job 1. 21. Psalm. 38. 10. Isa. 38. 15.

Idipsum accideret malis, quibus affligimur, si Fide instructi, omnia acciperemus ceu per manus Divinæ Providentiæ transeuntia, quæ omnia summa charitate disponit, & ad profectum nostrum immittit.

XXVI. Magnum itaque arcanum, quod ad Iram nostram refrenandam facit, est illa consideratio, quâ proximum nostrum Dei corde concluſum intuemur; ita ut etiam, cùm nos offendit, amare illum valeamus, ac in Dei manibus positum tolerare. Prima consideratio suo vigore animatam conservat Charitatem, Altera suo robore confirmatam Patientiam. Nolo in longum extrahere sermonem, omnia monito Apostoli supra allegato complectar: *Noli vinci à malo sed vince in bono malum*, hoc memori semper mente tenete. Rom. 12. 21.

XXVII. Inprimis ait Apostolus, *noli vinci*. Et hinc nolite mihi oggerere: *Sum natura admodum fervida, non possum non irasci. Qui liberos habet, non potest non quandoque in illos maledicta conjcere. Qui injuriam accipit, non potest non etiam reddere. Non potest saccharum quisquam in illum effundere, à quo non nisi fel recepit.* Non ita loquamini, admodum enim vosmet ipsos fallitis. Vinci Ira non potest, quia non vultis. Tentate nonnihil, & ex animo conamini velle, fusis etiam hunc in finem precibus, ardenter Deum deprecamini, & videbitis, an non adjuvante Dei Gratiâ de effræni vestrâ naturâ victoriam reportare possitis. *Noli, noli!* Vobiscummet ipsis decernite, nunquam cedere, & dimidia ex parte debellâstis, hoc ipso, dum non succubuistis.

XXVIII. *Noli vinci à malo*, Expendite præterea, Iram Adversarium vestrum & hostem esse, qui vos sibi subjcere, & pede collo impositio conculcare velit; vos tamen etiam ut domesticum vestrum ac inquilinum eum accipitis, & cùm portam ante ora occludere deberetis, obviam procedits ad hospitium vestrum eum invitaturi. Si æmulum tantummodo in cursu haberetis, conniti deberetis, ut eundem superaretis; nunc cùm in acie hostis occurrat, nec dum arma arripitis, vósque ad defensionem strenuam accingitis?

XXIX. *Noli vinci à malo.* Insuper animadvertere vindictas vestras rem esse minimè gloriosam, contrà quàm vobis videatur: sed ad opprobrium & dedecus potiùs cedere. Neque enim victoria est, pertrahi ab inimico ad id faciendum, quod vos fugere oporteret; ut scilicet malum pro malo reddatis; vinci hoc est, non vincere. Vincere est hostem ad id præstandum adigere, quod eum facere convenit; id quod quándoque fit, cùm ei bonum pro malo reddendo, ejus voluntatem beneficijs ita immutatis, ut ex hoste amicum se profiteatur. Sanctus quidam Abbas, Sergius nomine, dum Rusticani hominis petulantem insolentiam miti responso accepit, ita eum commovit, ut Monachum indueret. Quæ ipsa patientia in multis matribus effecit, ut filios haberent obsequentes, in uxoribus, ut maritos sibi reconciliarent. Ita de

magne-

magnete dicitur, quod ferrum vincat. Quomodo? dum persequitur? nullo modo: sed dum ad se per aëra attrahit, non obstante pigrâ illâ & gravi metalli hujus naturâ.

XXX. Clypeus, quo omnes Passionis vestræ ictus retundere possitis, erit persuasio illa, de qua dixi, non suppetere vobis illam irascendi causam, quæ prima fronte animis se vestris objicit. Ira enim ignis quidam est infernali magis, quàm elementari similis: nam ardet, & non lucet, imò corda illa, in quibus accenditur, magis tenebris suis opplet. *Psalm. 57. 9.* *Supercecidit ignis & non viderunt solem*: etiam de flammis Iræ dici potest, quæ nimium quantum Rationis Solem obfuscant. Cùm turbati estis, rem nullam momenti gravioris decernite, nec aliorum errata reprehendite; valde enim difficile est, sagittâ scopum tangere medijs in tenebris. Similiter occasiones illas animo præconcipite, quæ ex facili suboriri possunt, intentionibus vestris contrariæ, ut, cùm arcum frangere jam non potestis, tela saltem reddatis obtusa. Certum habetote, magnam impatientiæ nostræ partem ex ignorantia & hebetudine nostra originem suam trahere: non conamur eam prævenire, nec ultra pedes oculos extendimus. Forsitan immutabilis vestra erat sanitas & valetudo, quòd ita perditæ indoleatis? & vester honor ac fama, non ut aliorum, convitijs hominum erant exposita? & facultates vestræ, non ut res aliorum, furibus erant obnoxiæ? ita ut soli vos ab omni calamitate immunes essetis, cùm tamen, etiam qui Regnis præsunt & Imperijs, varijs cladibus & calamitatibus sint subjecti? Alias porrò similes occasiones vos ipsi generoso animo præconcipite, illum imitaturi, qui, ut disceret æquo animo repulsam ferre, à statuis Eleemosynam rogitabat, à quibus ne responsionem quidem extorquebat: alias autem solerter declinate, non adverso pectore torrentem excipiendo ab alto proruentem, sed à latere eum tantisper sustinete, quantum sufficit ad impetum alio divertendum. Volo dicere, ne cum iratis contendatis, sed impetum nonnihil declinate, dum præterlapso Iræ pleno torrente aqua tantisper subsidat, &, ut priùs, etiam vado transiri possit. Ne corripiatis Maritum, Irâ jam succensum, nec jacturam lusu factam exprobrate, cùm ab aleis redit; hoc enim dum facitis, ignem flatu animatis magis, quàm extinguitis; & ut S. Chrysostomus advertit, contra omnem experientiæ regulam igne ignem extinguere allaboratis: *Non extinguitur ignis igne, sed aquâ.* *Hom. 18. in Matth.*

XXXI. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Ita denique cor vestrum in officina ac foco charitatis temperate, ut non solùm à vindictæ cupiditate non superetur, sed insuper Iram beneficijs vincat. *Christianus nullius est hostis.* Verba sunt Tertulliani. Aut Professioni Christianæ nuncius remittendus est, aut alius super terram inimicus, nisi quisque sibi, habendus non est; ita quidem ut qui nobis adversantur, non habeantur *Tertullian. ad Scop.*

tur pro persecutoribus, sed ad Fidei lumen, Proximi censeantur, sed quod idem est, res quædam DEI propria, à Deo singulari studio protecta, mitâ providentiâ pasta, & velut à matre in sinu gestata. *Qui portamini à meo utero, & gestamini à mea vulva.* Hac ratione insignis illa Victoria difficilis non accidet, quâ vincitur in bono malum, Victoria in qua nemo quidquam perdit, omnes lucrantur. Victor triumphat, Victus in triumphum non ducitur. *Vince in bono malum.* Hanc ego vobis victoriam ex animo precor; Ut nunc per Christum, & in Christo vincentes, cum Christo aliquando triumphare mereamini, ac læticoncinere: *Deo gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum JEsum Christum.*

Isa. 46. 3.

1. Cor. 15. 57.

DISCURSUS XXI.

De Socijs, qui alios ad peccandum inducunt.

I.

VEhemens aliqua passio ita quandoque excæcat, ut cùm alium ad exitium pertrahit, interitum proprium sæpenumero non attendat, aut videat. In India serpens est Elephanto infensissimus, quem etiam hac fraude circumvenit ac enecat. Inprimis ejus sese pedibus circumvolvit, & antequam Elephas se spiris istis possit evolvere, lethali circa pectus vulnere sauciatur. Verùm fraus hæc plerumque in auctorem recidit. Elephas enim ita saucius illico in terram concidit, & casu suo, gravissimóque pondere Serpenti, à quo vulnus accepit, caput elidit, & vitam sine remedio eripit. Quid dici similius posset de pravis Socijs? Illâ ipsâ ruinâ involvuntur, quam alijs moliti sunt, & ubi complures ad Infernum animas præmiserunt, ipsi sequuntur; alias autẽ post se eódem pertrahunt. Quapropter hodie hanc summi momenti veritatem expendemus, quanto studio pravum consortium sit devitandum, tum propter damnum illud, quod Socij pravi alijs inferunt, tum quod ipsi sibi. Quia qui alios ope fraternæ Correctionis à malo nescit retrahere, qui Correctionis illius finis est, cavere saltem debet, ne Scandalo, quod Correctioni vel maximè oppositum est, alios ad peccandum inducat.

I.

II. Verùm ut intelligamus, quinam scandalosi & exempli pravitate nocentes Socij sint, nôsse prius debemus, quid sit Scandalum. Scandalum dare, aliud nihil est, quàm dare occasionem, quâ alter ad peccandum inducatur. Hujusmodi autem occasio duobus dari modis potest; directè, vel indirectè. Directè quando malis suggestionibus Proximi ruina Spiritualis intenditur: indirectè, & cùm

S. Thom. 2. 2. q. 43. a. 1. & 4.

cùm hujusmodi ruina quidem non intenditur, ex verbis tamen nostris, aut actionibus quibusdam facilè prævidetur secutura; & tamen, nullâ justâ de causâ, non impeditur. Hodie nonegam, nisi de illis Socijs, qui directè lacandalum præbent; ut sunt illi, qui primi sunt generis. Et ut clarius pateat, quantam iniquissimi hi Socij Animabus hominum stragem inferant, arma in conspectum proferam, quibus utuntur; sùntque triplicis generis, singula ad lædendum potentissima; nimirum: Exempli pravitas; prava consilia; & apertus virtutis contemptus. Et hæ sunt ternæ virulentorum istorum Scorpionum chelæ: quo nomine etiam Sacræ Paginæ Seductores designant: *Subversores sunt tecum, & cum Scorpionibus habitas.* Primò itaque pravum Exemplum expendamus, quæ velut prima chela est, quâ feriunt.

S. Thom. 2. 2. q. 43. a. 3. C.

Ezech 2. 6.

III. Res facillima, quam præstare aliquis truncus potest, est, pati se secundo flumine ferri. Sic res longe facillima est, quam præstare animus debilis & infirmus potest, pati se aliorum exemplo duci: hac enim ratione magnâ se molestiâ exonerat, quam in operando haberet, si agendi causas ac momenta examinare ipse ac ponderare deberet. *Imitari insitum est hominibus à pueris, & in hoc differunt à cæteris animalibus.* Et ars hæc juxta alterius ideam actu pingendi, (quam inde à teneris discimus) multò evadit facilior, in vitiorum quàm virtutum imitatione, ob naturæ nostræ corruptionem, quæ congenita quadam vi ac mole magis deorsum fertur. Hinc colligite, quanta quàmque gravia mala ex malorum Sociorum multitudine, eorumque pessimis exemplis in rempublicam humanam redundent! O quot hominibus id, quod Zachæo accidit, qui quò corporis statura minor erat, eò magis à numerosa turba oppressus, non tantùm ab adeundo Servatore, quod in votis habebat, prohibebatur, sed à videndo quoque! *Quærebat videre Jesum, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.* Non paucæ sunt hujus sortis puellæ, quæ periculis nimis liberæ conversationis agnitis libenter Amasios suos deterrerent, atque ab oblectamentis, choreis, vigilijs & amoribus se abstraherent, ut eo melius Christianæ se devotioni impenderent; sed turba eas retrahit, quò minus ad Christum pertingant; imò ne vel à longè eum contueantur, impedit. Animadvertunt illæ, alias ejusdem secum ætatis ratò admodum ad Sacram Synaxin accedere, in Templo amatorijs obtutibus distineri, liberè nullo respectu, cum vicinioribus confabulari, remotioribus annuendo, subridendo, sese inclinando respondere, & sic paulatim etiam ipsæ nullum ob hujusmodi levitates remorsum sentiunt, eâmque pecuniam pro bona habent, quæ in continuo commercio est; licitum arbitrantur, quod nemo non facit. Quare Zachæum imitari oporteret, & in arborem ascendere, semitâmque hanc petulantis turbæ transcendere, suæ salutis, non aliorum vitæ rationem

Luc. 19. 3.

Arist. polit. cap. 4.

nem habere. Inter mille flumina, quæ in mare illapsa omne maris vitium contrahunt, dum eodem permiscentur, unus est Alphæus, qui sine ulla commixtione salsas pelagi undas illibatus pertransit, & suam retinet dulcedinem. Non nego itaque, quòd Animæ quædam ita sint perfectæ, ut scandalum non patiantur: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Istæ enim non attendunt, quid alij faciant; sed quid facere deceat. Scandalo solæ imperfectæ animæ sunt obnoxiæ, atque idcirco à Christo parvulæ vocantur. *Nota, quòd, qui scandalizatur, Parvulus est,* ait S. Hieronymus, *Majores enim scandala non recipiunt.* Verùm ex hoc ipso certissimò colligite, quantò plures sint animo, quæ omni scandalo succumbunt, quam illæ, quæ incussæ persistant: *Quasi greges, Parvuli eorum.*

Psalm. 118.
S. Thom. 2. 2. q. 43. a. 5.
Job. 21. 11.

IV. Parùm itaque supra dixi, cùm asserui: Exempla multitudinis in unius Animæ exitium cedere. Debebam dicere, exempla etiam unius animæ, integræ quandoque multitudini interitum afferre. Solent nonnunquam Senes nostri dicere: ante hac non ita vivebatur, non tot lites ac jurgia audiebantur; non tam sine verecundia illicitis amoribus indulgebatur: Juvenes Majoribus suis reverentiam exhibebant longè majorem, multóque erant modestiores. Et planè verum dicunt; at nihil proficiunt, cùm non exquirant perversionis hujus originem ac causas. In has si inquirerent, haud dubiè reperirent, hanc quantúmvis maximam morum mutationem nonnisi ab unico quandoque homine, ceu fonte promanâsse. Juvenis unus protervus & impudens, cùm palam dissolutè ausus est vivere, innumeris alijs, qui modò eum sine fræno imitantur, viam stravit. Femina una matrimonio juncta, quæ Meretricis instar vivere non erubuit, alijs etiam Matronis verecundiam ademit. Puella una, quæ aperto pectore & brachiis mediam partem denudatis in Ecclesia comparuit, suo exemplo effecit, ut jam tot nutrices, quot puellas in Templo videre tibi videaris; & cùm ad Altare Divinum Epulum recepturæ veniunt, credas ad furnum accedere, ut isthoc habitu panem coquendum in illum mittant. Paterfamilias aliquis, audiit in terris alienis iratum quempiam Sacrosanctum DEI nomen maledictis ac blasphemijs proscindere; ad suos rediens infernale hoc idioma secum attulit, & liberis suis ut hæreditatem reliquit: hi in totam latè viciniam propagârunt. Utinam non ita esset! Facilè nimis addiscitur, quod malis exemplis docetur. *Citò malis ducibus erratur:* ait S. Ambrosius. Quæ etiam causa est, propter quam Cacodæmon ita omni studio conatur malè facta propalare; eum in finem mira homines curiositate stimulando, quâ ea exquirant, exquisita modò ad hunc, modò illum deferant, ut hac ratione in publicum emanent. Vult scilicet Orcinus hostis & insatiabili cupiditate desiderat, ut omne peccatum fiat insuper scandalum, & omnis febris in contagio.

de fuga saculi. c. ult.

gionem degeneret. Peccatum, quod in arcano est, soli nocet peccanti; cùm autem publicatur, etiam Innocentibus; eósque disponit ad peccandum, dum timorem illis tollit, quo primi esse & digito monstrari verebantur;

Eccli. 16. 17. *In populo magno non agnoscar.* Et ideo, quanto pejus est fontem quendam publicum veneno inficere, quàm puteum unius domus, tanto Cacodæmoni quæstuosius est, scelera ex occultis fieri publica & manifesta.

V. Altera chela istorum Scorpionum, seu malorum Sociorum, verba sunt, quibus stragem, quam malis exemplis intulerunt, geminant.

1. Cor. 15. 33. *Corrumpunt mores bonos colloquia prava*, ait Apostolus. Siquidem omnino universalis morum corruptio nulli magis causæ, quàm pravis colloquijs tribui potest. Valent quidem exempla plurimùm, & id, quod persuadent, cordibus imprimunt vehementer; sunt tamen instar literarum solâ Typographi manu excusarum; at ubi exemplis prava etiam colloquia junguntur, literarum instar sunt, gravi prælio expressarum. Nonnunquam igitur pestiferæ hæ linguæ bonum impediunt, aliàs malum persuadent; ex quibus quid altero sit scelestius, non facilè dixerim. Miser ille cœcus, audiens, quòd JESUS transiret, id unum agebat, ut magnis clamoribus, à sua cœcitate liberari peteret. Illi autem, qui circumstabant, non modò preces ejus suis quoque clamoribus non adjuvabant, ac pro ipso intercedebant, sed

Matth. 19. 13. *increpabant eum, ut taceret.* Ecce! quàm res hæc quotidie etiamnum contingat. Vult quandoque Anima quædam, diutinæ suæ cæcitatis conscia, oculos tandem aperire, & in hunc finem domi, vel in Ecclesia prolixioribus Deum precibus interpellat. Observant hoc alij, murmurant, & pro eo quòd animare deberent, objurgant: absistat modò, & more antiquo vitam ducere perseveret, novitatem proscribat, & precum gratiâ laborem ne intermittat. *Increpabant eum, ut taceret.* Statim incipiunt, velut Promissæ Terræ exploratores, exaggerare ingentes difficultates, quæ se objiciunt, & hostium robur, quod perfringendum occurrit. Et: non perdurabis, inquiunt, in ista tua modesta vivendi ratione; tuis toties repetitis Confessionibus non nisi scrupulos in animo excitabis & angores: familiam largis hisce eleemosynis ad egestatem perduces; quid cogitas? an non & nos salutem cordi habemus? habemus, & tamen utimur tempore. Ita illi: & hac sua loquendi perversitate ex domesticis fiunt inimici omnium pessimi: *Inimici hominis domestici ejus.* Matth. 10. 36. Adeò, ut, quemadmodum Perdix, cùm ovis incubat, neminem ita, ut marem, ea celat; ne scilicet frangat, dum ludibundus femellam exagitat; eadem ratione Animus ad seria conversus, neminem magis sua bona opera ac intentiones celare debet, quàm Socios suos, qui eas disturbare omni modo allaborabunt, ut ad solitos eum jocos, nugas & ineptias abstrahant. Arist. hist. Anim. l. 9, c. 8.

VI. Nocentiores tamen adhuc eva-

evadunt linguæ istæ scandalosæ, quando etiam malum suadent. Qui his vicinus agit; causam habet identidem gemendi cum Propheta. *Væ*
Isa. 6. 5. *mihi! Væ mihi!* siquidem *in medio populi polluta labia habentis, ego habito.* Quis eorum insultibus resistet, cùm cœperint dicere, peccata impudicitiæ inter omnia hominum peccata esse minima; hisce Deum compati? Cælum in Christianorum gratiam, non in Turcarum esse conditum, aut neminem, aut omnes fore salvos? Res prodigio similis videtur, quòd Adam, tantâ vir sapientiâ, naturâ & indole tam compositâ, & parere promptâ, tantis Gratiæ donis instructus, memoriâ denique recentis mandati, ac minarum gravissimarum commonitus, veritum tamen pomum degustare
Iob. 6. 7. præsumpserit. *Potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?* Verùm ne miremini, ajunt præclarissimi quique Interpretes, exemplum verbis uxoris roboratum, eum Adamo impulsum impressit, ut præceps adiret.
Cajet. in Gen. 3. Thom. 2. 2. q. 163. a. 4. C. Dicebat mulier; tamen & ego comedi; sime amas, mecum comedere, cur recusas? Aut ambo moriemur, aut nullus. Et quæso ubi mortis aliquod indicium? mandatum ego transgressa sum, & vivo. Quæ colloquia tam fuêre potentia ad evertendum Adami pectus, ut cum omni sua Sapientia, Scientiâ, & Gratiâ succubuerit. Atque hæc sunt prava colloquia malorum Sodalium, qui Dei justitiam omni ex parte extenuant, peccati malitiam elevant, & in se ipsis quasi innoxiam ostentant, quia necdum debitâ pœna vindicatam.

VII. Quod si impiorum consiliis usque adeò miserè sapientes illi succumbunt, qui solis exemplis non expugnarentur, facilè inde colligemus, quid miseris Juvenibus, & dicam meliùs Pueris, futurum sit? nec enim alijs magìs, quàm teneræ & innocenti utriusque sexûs ætatulæ pessimum hoc hominum genus insidiatur; eo fere modo, quo fœtidissimæ capræ, cùm ad pascua educuntur, germina teneriora, majori aviditate & appetentia decerpunt. Equidem magno Dei auxilio opus est, quo æras hæc tenera ac improvida immunis evadat, ne vel in Socios incidat, qui in transversum agant, aut si incidat, in transversum agi se non patiatur: tantò magis cùm non unus, aut alter hujusmodi pestilens scorpio timeri debeat, sed totâ Provinciâ quàm plurimi sint disseminati,
cum Scorpionibus habitas: & tot miseEzech. 2. 6. ræ animulæ eorum inter chelas, mala inquam exempla, & pejora consilia, perpetuò sunt constitutæ.

VIII. Nullum tamen majus damnum, quàm aperto virtutis contemptu inferunt, qui jure merito extrema Scorpionum horum infernalium pars, seu cauda dici potest, tanquam duabus jam dictis chelis longè nocentior (quamvis & illæ satis sint pestiferæ) atque damnosior. Ultimus insultus, quo Cacodæmon ad impugnandum S. Jobum usus est, fuit lingua Uxoris, quæ contemptu in Maritum fuit armata. Hæc audacissima femina Mari-

ti

riti sui virtutem, simplicitatem appellavit, ac stultitiam, eumque instigavit, ut malediceret Deo & ita moreretur, ac immanissimis se se doloribus exi-
Iob, 2. 9. meret: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere.* Et quamvis hic Dæmonis conatus in irritum cesserit, quia vir sanctissimus eor impugnabile opposuit ac ære fusum, plurimum tamen apud Christianos, & quotidie promovet, utpote quorum non pauci aut cretâ, aut cerâ sunt molliores. Quando mali Socij bonæ vitæ homines subsannant, cùm appellitare incipiunt, Devotulos, Sanctorum simias, quotquot non perfrictâ fronte, ut ipsi sunt; cùm eos stolones, aut fungos palàm proclamare cœperint, cùm ut Rusticos, Hypocritas, inurbanos traducere, quotquot eorum votis non obsecundant, mirò sanè mirus sit, si Juvenes firmo pede consistant. Subinde dicere solemus, Ecclesiam DEI nunc pace sui ac tranquillitate, non infestari à Tyrannis, Persecutores versos esse in Cultores, Otiores in Subditos, Oppressores in Nutricios, juxta illud
Isa. 60. 14. Prophetæ: *Et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi.* Neque ego pulcherrimæ huic veritati contradico, sed ex animo applaudo. Plurimum tamen lætitiam hanc imminuit & conturbat gaudium Ecclesiæ DEI bonorúmque omnium, quòd videre cogamur, Persecutores, re ipsa non sublatos, sed tantùm mutatos esse: cùm ipsi Christiani Christianorum Persecutores evadant, & qui strictissimam Deo fidelitatem jurârunt in Baptismo, ij inquam ipsi bellum inferant, adeò ut verissimè Ecclesia possit dicere cum S. Bernardo: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima;* Siquidem persecutiones, quas Ethnici moverunt, ad Fidei propagationem faciebant? illa autem, quos moliuntur Christiani, ad eam evertendam serviunt. Id quod Christus confirmat: *Væ mundo à scandalis!* expendens immanem ruinam, quam nullo non tempore homines scandalosi inferent. Non dixi: Væ mundo à bellis! nec: Væ mundo à peste, ab annonæ caritate, ab inimicis, qui ferro & igne Fidem illam, quam è Cælo in terram detuli, tantis laboribus disseminavi, ipso meo Sanguine irrigavi, persequentur. Solùm dixit; *Væ mundo à scandalis!* quia omnia denique mala alia Cælum Incolis replent: cùm scandala nonnisi infernum Damnatis reddant frequentem, *Væ mundo à scandalis.*

II.

IX. Sed non minus etiam væ hominibus scandalosis? *Væ homini illi per quem scandalum venit!* quæ est altera discursus nostri pars. Scorpij, utut habeant virus nobis noxium, sibi non habent. Illud ipsum enim, quod alijs mortem affert, ijs cedit in alimentum. Non ita se res habet cum malis Socijs. Hi enim nulli damnum inferunt, quin sibi prius exitium afferant. Quod ingens malum, quo scandalorum authores se ipsos perdunt, ut probè intelligamus, duo observare juvat; officium nimirum, quod Sodales improbi omnes invadunt,

Matth. 18. 7.

dunt, & intentionem, quâ illud exercent.

X. Et primum quidem Officium illorum non est aliud, quàm Locumtenentis Diaboli, & Vicarij in munere subversoris. Cùm Pharao Rex timore cæpit concuti; ne Hebræi ingenti numero multiplicati in Regnum suum insurgerent, aut eo excederent, innumeros Præfectos constituit, qui tanquam Regis vices tenentes nunquam ab eorum lateribus abscederent, & semper occupatos indignis laboribus distinguerent, luto scilicet in lateres cogendo: *Præposuit eis Magistros operum, ut affligerent eos oneribus.* Exod. 1 12. Ecce Stygiæ Politiciæ prototypon! timet Lucifer, ne Christiani memores Terræ Sanctæ Cælestis illis promissæ, si Evangelicæ doctrinæ adhæreant, infame denique jugum excutiant, quod crudelissimus ipse tyrannus eis imponit, dum nonnisi ad tractandum lutum pecuniarum, honoris & carnis compellit! æquissimam fugam impediturus, pravos sibi Socios substituit, qui tanquam præfecti tam lutulenti laboris eorum semper lateri assistant, quotquot virtuti student, & pessimis exemplis, persuasionibus, pollicitationibus, minis, dicterijs, derisionibus nullam quietis partem illis concedant, sed uno scelere perfecto, illico ad aliud, idque deterius absque ulla interpolatione inducant.

XI. Imò parùm adhuc dixi, quòd pravum Sodalem Diaboli Vicarium compellârim; ipsum revera Diabolum, & non tantùm ejus vices agentem appellare debuissem. Hoc eum nomine Christus designat. Verbum omnium maximè horrificum, quod unquam Christi ore prodijt, cùm vitia reprehendit, fuit illud, quo Petrum Sathanam vocavit, illâ occasione, quâ Sanctus Apostolus naturali illa sua pietate, quâ in dilectissimum Magistrum suum ferebatur, ei mortem in Cruce subeundam dissuasit. *Vade post me Sathana, scandalum es mihi*, ut qui me ab Opere, quo post homines natos majus nullum gestum est, patrando abducere laboras: à morte inquam pro hominibus subeunda. Ex quo duo maximi momenti capita considerate, ut pessimum pravæ Societatis officium intelligatis, quo innumeri homines totidem Diaboli incarnati evadunt. Primum est, quòd Christus semper cautissimus fuerit in reprehendendis vitijs. Judas licèt verè esset proditor & latro, Amici tamen nomen tulit. *Amice, ad quid veniſti?* Herodes Tyrannus, Adulter, incestuosus, Crudelis, Homicida, non alio, quàm Vulpis tantùm vocabulo fuit compellatus: *Ite & dicite Vulpi illi.* Et quia Pharisæorum fastus merebatur etiam publicè humiliari, à Christo Serpentes vocitabantur: *Serpentes & Genimina viperarum*: & ad summum denique eò progressus est, ut quadam vice filios Diaboli nuncupârit: *Vos ex patre Diabolo estis*, eò quòd Dæmonem moribus æmularentur, quemadmodum filius refert patrem. Hoc autem loco Christus cum S. Petro non eâdem utitur cautelâ, illúmque non Diabolum tantùm, sed omnium Diabolorum maximum, qui est Satha-

Matth. 16, 23

Matth. 12, 34

Matth. 23, 37

Sathanas, appellat. *Vade post me Sathana*, & rationem, ob quam eo usque in ipso vituperando progrediatur, affert, scandalum: *Scandulum es mihi.* Alterum caput consideratione dignum est, quod verba Petri (ita pronuntiante S. Thomâ, postquam rem ad amussim Theologicam examinavit) propriè non fuerint scandalosa: *Scandalum ibi largè ponitur pro quolibet impedimento*; quia erant verba à Petro homine recto prolata animo mimimè malo; nec ad malum inducebant, sed solùm id, quod Personæ Divinæ decentius videbatur, proponebant, ut scilicet majorem sui, suæque dignitatis rationem haberet. Unde factum, ut Christus quamlibet iratus, si verba ritè expendantur, non auderet Petro dicere: *Scandalum mihi præbes*, sed tantùm: *Scandalum mihi es*; quia Petrus verbis illis suis majore teneri animi sensu, quàm prudentiâ prolatis scandalum solùm materiale, non deliberatum, ac ex ignorantia dabat, & in hoc etiam majorem culpam non contrahebat, quàm quòd ostenderet, plus humana quàm Divina se sapere. *Non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Et tamen Christus nulla tali excusatione admissa liberè Petro nomen Sathanæ imponit, eâdem prorsus linguâ, quâ eum paulò antè Beatum pronuntiavit: *Beatus es Simon Bariona*: & ad umbram illam Scandali, quam in illo animadvertit à se repellit ijsdem modis, quibus Luciferum in deserto tentantem rejecit: *Vade Sathana, vade, vade.* Quam ergo nomenclaturam coram Deo merebitur, & quo in gradu reperietur, qui ex nostro numero Scandalo vero, intento, certo ac evidente, non præcipiti impetu, sed malitiâ; non sine bono, sed diabolico facit quantum potest, ut homines probos avertat à semita virtutis, imò in omne malum præcipites agat docendo, insinuando, quin & cohonestando, cum dicto: peccatum non esse, aliter fieri, aliter vitam duci non posse, non eum in finem creatum esse hominem, ut solus sit? Certè satis non erit hujusmodi homines Cacodæmonis nomine compellare, sed dici oportebit, omnibus eos Dæmonibus esse deteriores, *Sunt Synagoga Sathanæ*: quia Sathanæ scholam illam propagant, quæ ipsis opem non conferentibus pridem desiisset.

S. Thom. 2, 2, q. 43. a. 2, ad 2, & a. 5 ad 1.

Matt 16, 23

Luc. 9, 22.

Matth. 13. 37.

Matt 16. 17.

Matth. 4. 9.

Apoc. 2. 6.

XII. Revera nullum toto Inferni barathro Cacodæmonem reperire erit, qui pravo nobis exemplo ipse præiverit, ipse per se nobis fuerit offendiculo. Nemo vestrûm poterit dicere: Diabolus suo me alloquio tale scelus docuit: cùm linguam non habeat, & idcirco vobiscum loqui non possit, nisi illo vellet ad vos modo loqui, quo in Mundi exordio locutus est, linguâ à serpente mutuo acceptâ. At verò an negare idipsum poteritis de Socijs vestris, quòd suis vos alloquijs flagitia docuerint? Beatos vos: si negare potestis; forsitan in hanc usque horam non didicistis. Sed neutiquam id mihi persuaderi patior. Ac proinde luce meridiana clariùs apparet, pravos Sodales ipso Cacodæmone multò esse pejores, quem iniquitate non tantùm

exæquant, sed nocendi etiam efficaciâ longè exsuperant. *Desideria ejus vultis perficere*, Christi verba sunt, & illud malum, quod ille animabus inferre desiderat, neque tamen potest, vos illius loco Scandalis vestris executioni mandatis. Et hoc fit tantò certiùs, quantò minùs apparet. Inter omnes lupos quis demum esset, qui majorem ovibus stragem inferret? ille certè, qui formam canis pecuarij nôsset induere. Oves ipsæ non eum fugerent, sed ad eum confugerent. Canes cæteri non abigerent morsibus, sed ad consortium admitterent; ipsi Pastores panem pro baculo porrigerent. Hujusmodi lupus est quivis Sodalis pravus. Non est Diabolus solùm hoc enim minus foret malũ, sed est Diabolus personatus, adeóque talis, cui similem in tota reperire non est Abysso. Unde licèt plurimum noceat, quia tamen incognitus venit, fores ei patent, Puella eum læta excipit, & manu ducit, salutat blandissimè Mater, ac dolorem ex raro ejus adventu contestatur. Paterfamilias ut Amicum ad cænam invitat, omnémque ei humanitatem exhibet, quem tanquam proditorem gravissimis verbis abigere & procul habere oportebat. An non ita est? Si Cacodæmones specie & figurâ, quâ revera sunt, se vobis aspectabiles præberent, quid denique mali inferrent Animæ vestræ? ad Ecclesiam illico confugeretis, ad Tribunal Pœnitentiæ curreretis, & Crucifixi Dei Simulachro armati, animatúque ab Animarum Pastoribus, etiam provocare auderetis. Possent illi quidem precibus ad peccandem vos allicere, possent blanditijs, & minis denique: vos autem omnem ijs fidem abrogaretis, & sic omnem illorum audaciam infringeretis, ac irritam redderetis. O igitur Diabolos & Diabolis pejores malos Socios! siquidem Juvenum vultum mentiri, venustâ formâ mali atrocitatem & omnem periculi timorem obtegunt; non jam Cacodæmones, sed Amantes appellantur, respiciuntur vel in Templis, invitantur ad ædes, & una familias filia alteri amantem invidet, & in sui amorem pellicere studet.

Joan. 8. 44.

XIII. Hujusmodi igitur officium, quale Tentatoris est, deterrimum utique, poterítne ita unquam succedere, quin denique majus tentanti, & ad tantam malitiæ voraginem inducenti damnum inde accrescat, quàm tentato, qui quandoque ex humana solet fragilitate everti? Scandalum, mihi credite, quo animæ studiosè ad exitium pertrahuntur, scilicet bonum dissuadendo, malum docendo, ad illud stimulando & exhortando, tantum ac tam grave peccatum est, ut non verear dicere, nullo illud tempore remitti & veniam obtinere. Ipsum DEUM dicentem audite: *Super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quatuor non convertam eum, eò quòd dissecuerit prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum suum.* Condonabo, ajt, filijs Populi mei alia peccata, & numero & gravitate subinde suâ majora; hoc autem non remittam. Quinam verò isti sunt, Politici usque adeò crudeles, qui desiderio finium suorum latiùs pro-

Amos 1. 13.

proferendorum succensi ad id sceleris devenerunt? Mali Socij sunt, qui ut sine omni cura metúque, sine pudore ac verecundia addant flagitijs flagitia, & identidem vesanæ suæ libidini novam materiam inveniant, ipsam non raro matrem cum fœtu necare non timent; non, inquam, dubitant. Animam in peccatum præcipitem agere, & omne illud bonum, quod mente præconceperat, & suo tempore in lucem edi tura erat, si in Innocentia perstitisset, intervertere.

Horum in hunc locum.

XIV. Et hic inusitatus rigor, quo Deus præ omnibus peccatoribus Scandalosos plectere vult, longè adhuc melius apparebit, si finem expenderitis, quo pravi Socij munus illud Diabolum scilicet humanâ formâ repræsentandi, in se suscipiunt. Etenim rectà in Deum insurgunt, capûtque capiti, ut dicitur, opponunt, dum omnia Dei consilia & intentiones evertere moliuntur, ut de ijs Propheta possit dicere. *Quæ perfecisti, destruxerunt.* Tu, ô Deus, moriendo animas tibi vindicâsti, & pro animabus temetipsum expendisti, ipsi verò te Animabus, & Animas tibi rapere allaborant.

Psalm. 10. 3.

XV. Ergône Seductor omnibus ingenij viribus, omnibus artibus eò collimat, ut animas Christo eripiat? Vos pane uno animam æstimare soletis: *Pretium scorti vix est unius panis.* Imò nec toto quandoque pane opus est, adeò vili in terris pretio Animæ habentur. At unam ejuscemodi Animam, quam tam parvi æstimatis, in bilancem Crucis Christi ponite, quæ errori obnoxia non est, & tum primùm ignorantiam ac deceptionem vestram comperietis: tanti enim valoris ac ponderis est quævis Anima, quanti vita illius DEI, qui eam pretio vitæ suæ comparavit. *Transisse ipsum video in pretium meum*, exclamat attonitus Eusebius. Et Animam, quæ tanto pretio Servatori stetit, omni vos contentione ex ejus manibus extorquere nitimini? tam impudens, sacrilegúmque furtum non horretis? imò quasi de re optimè peractâ vobismetipsis gratulamini? *Væ homini illi! Væ homini illi! per quem scandalum venit!* Si humanam Animâ nonnisi industriâ & arte DEUS comparâsset, nec illam sudoribus, Sanguine, & atrocissimâ Morte, inter duos latrones obitâ, redemisset, deberetis tamen ad atrocissimam hanc rapinam horrore percelli; postquam autem tanto constitit, ridetis? Referunt, Albertum Magnum miro rotarum artificio statuam instruxisse, ut se ipsam moveret, imò voces quasdam articulatas ederet, quæ accedenti horrorem incuterent. Contigit, ut in id conclave S. Thomas Alberti tum Discipulus ingrederetur, Magistri sui laborem & artificium penitus ignorans, cùm ad motus & horrificum statuæ murmur suspicari cæpit & dubitare, an non diabolicæ præstigiæ subesserent; unde eam magno animo aggressus etiam confregit, nec errorem suum antè dedidicit, quàm Albertus ad conclave reversus exclamaret: Fili quid fecisti? triginta annorum laborem unâ horâ perdidisti. Nihilominus tamen statua isthæc non

Hom. 2. de Pasch.

Prov. 6. 26.

nisi industriâ & artis inventione suo Authori stetit. Quod non dixisset, si eam vitâ suâ comparâsset: Hoc ipsum, & quidem multò justiùs, & causâ immensum quantum æquiore uni cuipiam vestrûm Servator dicet, non jam animo ad tolerandum porrò & concedendam veniam parato, sed ad justissimam iram concitato, cùm non multò abhinc tempore ad ejus tribunal judicandus sistetur, Perdidisti, inquiet, Animam, pro qua non laboravi tantùm, sed triginta tribus annis etiam passus sum: pro illa carnem humanam assumpsi, & cùm Dominus essem, servum indui; pro illa paupere in tugurio natus sum; in officina fabri plures annos vitam abscondidam duxi: pro illa tot & tot passus feci, conciones coëgi, jejunia toleravi, sudores profudi, opprobria sustinui, calumnias infamissimas audivi, & mortem denique mille mortibus truculentiorem in Cruce obij: Tu autem pro oblectatione momentanea, & belluina libidine eam mihi sustulisti? Ote Proditorem! *Et peribit infirmus, propter quem Christus mortuus est?* 2. Cor. 8. 11.

XVI. Atque hæc tanto magis, quòd Christo lucrum animæ non emptio tantùm fuerit, sed partus; ex quo capite ejusdem jactura longè gravior evadit. Reginam quandam animo concipite, quæ novem mensium doloribus, & gravi onere filium utero circumtulit, ac demum elapso hoc tempore majores inter cruciatus in lucem edidit. Si post partum, cùm onere levata & prolem ad Regni columen enixa jam respirat, cùm Rex maritus in gratulationes effunditur, cùm Aula universa festo campanarum, tympanorum ac tubarum sonitu & artificiosis ignibus gaudium contestatur; si, inquam, illo ipso temporis articulo ante oculos Matris Nutrix infantem regium ex incuria in terram cadere permittat, quanta esset subditorum perturbatio ad feralem hunc nuntium, quis dolor Patris, quæ Matris, funestum casum spectantis, angustiæ? Quid si non incuriâ, sed datâ operâ Nutrix isthæc eum è fenestra præcipitaret? quis horrorem satis explicet? quis pœnam statuat parricidæ? & tamen factum hoc dirissimum umbra est hujus, quo de loquimur. Propheta Jeremias Christum Cruci affixum Matris instar inter mille dolores parturientis nobis proponit: *vidi*, ait, *omnis viri manum super lumbum suum quasi parturientis*: ubi Christum nomine *omnis viri* intellexit, scilicet, quia omnium hominum caput, Redemptor, & Regenerator est, qui pro omnibus & loco omnium accipitur; & dicit: hunc hominem se vidisse cum manibus super lumbos inter gemitus & clamores, quasi in partu dolorosissimo constitutum. Et revera tunc genuit Ecclesiam cum animabus, quibus constat, quando *emissâ magnâ voce expiravit*. Unde S. Augustinus eleganter Crucem appellavit: *Thalamum parturientis*. Jam cùm ex partu tam dolorifero, non per novem tantùm menses gestato, sed per annos triginta tres formato in lucem tandem prodit Anima hæres Regni cælorum: cùm festum diem agit ipsum Jerem. 30. 6. Marci. 15. 37. l. 1. de Symb. c. 6.

ipsum Cælum cum universis suis Incolis ipse etiam Pater æternus cum unigenito Filio suo sibi gratulatur. & Filius omnes suos Inexplicabiles cruciatus ut bene & cum fructu exantlatos æstimat; En, homo unus sceleratus, qui amicum expansis brachijs mentitus, innocentem animulam blanditijs, osculis, amplexibus suavissimis fovet ac stringit, denique ex amplexibus excidere sinit, & in abyssum ac voraginem, quæ animo non humano tantùm, sed Angelico etiam intellectu ac Divino, concipi potest horridissimam, peccatum scilicet mortale abijcit. Et putatis temeritatem usque adeò enormem habitum iri pro noxa, quæ facilem à Deo veniam mereatur? Non ita, non ita. *Super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quatuor non convertam eum.*

XVII. Præterquam quòd Deus plerumque soleat illas injurias severiùs castigare, quæ proximo, quàm quæ ipsimet Deo inferuntur. Ita satis manifestè in Caino comonstravit, quem, cùm in sacrificio offerendo Sacrilegium admisisset, non nisi benignissima verborum correctione increpitus est; at ubi fratrem suum morte sustulit, maledicto subjectus fuit. Hinc vobis dijudicandum relinquo, quibus Sodalem pravum oculis Deus sit aspecturus, qui, præterquam quòd Animam, quam Christus redemit, & tanto Sanguinis profluvio lavit, Domino ac Redemptori suo eripiat, ipsi etiam Animæ gravissimum damnum accersit, dum gratiâ, & cum gratia ipsâ etiam plerumque gloriâ exspoliat? Quis nescit, decretum esse in Divinæ tribunali Justitiæ? *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam*, proximo suo, cùm potuit. Quo igitur Judicij rigore ille judicabitur, qui non solùm misericordiam Proximo suo non fecit, sed mille dolis ac fraudibus in malum malorum omnium pessimum illum conjecit, cùm ad peccatum mortale induxit, & per peccatum mortale in æternum egit exitium præcipitem? *Iac. 2. 13.*

XVIII. Scrutamini tantisper intimas animi vestri latebras, &, si nullâ illum hoc in genere maculâ tam detestabili inquinatum reperitis, si inquam vobis conscij non estis aut vestro exemplo, aut conatibus vestris, aut hortationibus ullam unquam Animam in transversum egisse, Deo gratias referte; magnam enim referendi causam habetis. At si contrà immanis hujus delicti vos reos deprehenditis, timete valdè ac tremite. Quo enim animo quisque vestrûm esset, si anima aliqua à vobis seducta hoc jam tempore infernalibus cremaretur ignibus? quibus putatis clamoribus, quibus vociferationibus & mugitibus contra vos fremeret? Auditi sunt in Apocalypsi, qui in odium Fidei animas suas posuerunt, magnis clamoribus contra persecutores suos vindictam poscere; & tamen persecutores isti, à quibus vitâ spoliati sunt, aliquid operæ contulerunt, ut Purpura eorum, quam in omnem æternitatem glorioſi in Cælis gestarent, tingeretur. Quam igitur vindictam exposcent infelicissimæ illæ Animæ, quæ à pravis suis Sodalibus

bus seductæ, ac sempiterno exitio involutæ sunt. Refert Thomas Cantipratanus, Condiscipulum quendam suum, principiò probum, à nequam postea Vicino corruptum, sine Confessione mortuum ac inter hæc verba vitâ defunctum fuisse: Ego ad Orcum abeo; *Væ autem illi, qui seduxit me.* Quod si in hunc modum moriens exclamavit, cogitate, quid mortuus dixerit, quando Inferno receptus horrificos Dæmonum vultus aspexit, tormenta gravissima persensit portas terrifico post se strepitu occludi audivit, nunquam postea in omnem æternitatem reserandas?

l. 2. c. 30. p. 8.

XIX. Nec ideò, quia Animæ istæ Deo invisæ sunt, minùs earum graves questus timendi sunt; etenim solæ non sunt, quæ contra seductores vindictam exposcant. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Dixit Deus ad Cain barbarum fratricidam, ut intelligamus, non solùm Abelis sanguinem vindictam inclamâsse, sed ipsam etiam terram, quæ illo perfusa erat, ita fuisse vociferatam, ut si quando Sanguis conticuisset, ipsa altissimis clamosa vocibus scelus propalâsset. Pari ratione non illa tantùm addicta æternis rogis Anima ultionem poscet, sed misera quoque illius Mater, quæ filiæ suæ labem & casum tam pudendum planxit, & amarissimis lacrymis deploravit: clamabit etiam tota Prosapia, cui macula fuit inusta: clamabit tota Patria, quæ Scandalum passa est: clamabit Ecclesia, quæ fuit prodita; clamabunt Sancti & Sanctæ & omnes Angeli, qui amicissimam in felici æternitate sociam amiserunt; clamabit denique plusquam alij omnes sacratissimus ille Sanguis, quem pro Anima ista Christus profudit; sed profudit frustra. Vociferationes hasce non auditis modò, audietis tamen, cùm ad Tribunal severissimi Judicis sistemini. Ibi majorem, quàm fingere animo possitis, peccatorum inundationem reperietis, adeò ut attoniti omnino ac sideravi exclamaturi sitis: *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Arbitramini equidem, delicta vestra velut rivulum quendam esse suas tantùm aquas trahentem, illa nimirum peccata tantùm ac delicta, quæ ipsi perpetrâstis, sed torrentem offendetis plus aquis alienis quàm proprijs exundantem; observabitis è cunctis vicinis collibus ac montibus vestrum in alveum undarum colluviem derivari: omnium nàmque malorum, quorum aliquo modo causa fuistis in alijs, & omnium bonorum, quæ vestrâ culpâ omissa sunt, cumulus oculis vestris obversabitur: & quomodo vos, qui ne vestra quidem scelera seriâ unquam pœnitentiâ expiâstis, gravissimorum scelerum, quæ alijs admiserunt, Deo rationem redditis?

Gen. 4. 10

Psal. 17.

XX. Berengarius, primùm Hæresiarcha, postmodum Pœnitens, mòriens his circumstantes verbis affatus est: Paulò post ad Dei debebo tribunal comparere, rationem vitæ meæ redditurus. Et quantum mea peccata attinet, veniam spero, eò quòd pœnitentiam egerim ex animo; at quot peccata occasione erroris mei com-

Spondã. Anno 1088.

commissa concernit, timeo etiam atque etiam, ne æternum peream, cùm modum non sciam; quo pro ijs satisfaciam. Vobis ne istud quidem levamini esse poterit, quòd expiaveritis noxas à vobis admissas; unde mirum in modum conturbatio vestra crescet, cùm aquis undique confluentibus vos obrui videritis ac suffocari. *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Quòd si Deus justissimâ Irâ succensus vos ipsis etiam æternis ignibus adiceret, qualis ac quanta vestra in abysso illa foret desperatio! O quantis cæcitatem vestram lamentis detestaremini? quoties admorderetis labia; eò quòd verbis meis fidem non dedisse-tis! Et tamen quàm est facilè, ut malo hoc malorum gravissimo involvamini? *Qui ruinâ lætatur alterius, non erit impunitus.* Quid si non evadit impunitus, qui aliud non agit, quam quòd ad vicinæ domus incendium gaudio efferatur, quid illo fiet, qui ignem ipse subjecit? Prov. 17. 5.

DISCURSUS XXII.

De Venia Inimicis impertienda.

I. VEteres quidem Æthiopiæ Populi in more positum habebant, omnem certo quodam anni die ignem extinguere, & postmodum novum reaccendere, quem silice ipse Rex elicuisset; pœnámque mortis in eos statuerant, qui aliunde sibi, quàm à manu Regis, ausi fuissent providere. O quàm beata foret Christianorum Natio, si morem hunc laudatissimum modo quodam spirituali ac mystico observaret! Cuperem vehementer, ut hic ille dies foret, quo, si quis corde suo Iræ ac inimicitiæ flammam adversùs proximum suum concepisset, omnem illum alienationis ignem extingueret, & de novo sibi igne provideret: non ad alium tamen quem quam, quàm ad Christum Dominum novæ hujus flammæ gratiâ accederet, atque ab eo ignem illum exposceret, qui ut eundem in terris reaccenderet, ab usque Cælo se demisit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* Eia igitur, Auditores dilectissimi, de Charitate nobis provideamus; condonentur invicem injuriæ hactenus illatæ & acceptæ, tollantur inimicitiæ, Pax novo fœdere statuatur. An est quisquam vestrum, qui voris tam justis non annuat? si quis est, aures mihi suas attentus commodet, dum pluribus demonstro, quòd, qui pacem negat alteri, sibi eam neget, & suusmet re verissimâ sit hostis, qui hostem se alteri profitetur. Luc. 12. 49.

II. Tres in specie Pacem distinguit S. Thomas; scilicet quam cum DEO tenemus, quam nobiscum, & In Ioan. 14. lect. 7.

quam cum Proximo, quam omnem sibi negat, qui cum Proximo in gratiam redire detrectat. *Quam sibi igitur pacem promittunt inimici fratrum!* ait S. Cyprianus. Et quidem quod Pacem cum Proximo habendam concernit, non est, quod dicam, eam enim Vindictæ cupidi non quærunt: de gemina altera loquamur; & primùm quidem de Pace, quam quis secum habet, & quam hi sibi ipsis negant.

S. Cypri. d. 30. c. neque ad Caïn.

I.

III. Quid igitur est Pax? Respondet S. Thomas loco citato; *tranquillitas ordinis*: ita, ut si res fuerint in corde hominis turbatæ, Pax esse non possit. Jam verò, quæ major esse turbatio potest, quàm cùm Rationi, ad quam hominis spectat gubernatio, Passio tam turbulenta ac plena impetu, qualis est Ira, dominatur? Omnes inordinatæ Passiones in corde nostro faciunt, quod in mari venti, sùs déque vertunt omnia. *Impij quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Longè tamen magis Ira desævit, quæ inter affectiones nostras, ut inter ventos Typho, tenet principatum; ut enim ille ventorum est atrocissimus jam tum, cùm nascitur, magnus; ita & Ira se habet. Alia vitia cor humanum sollicitant, Ira præcipitat, & statim magna est, cùm esse incipit. Cætera vitia per incrementa proficiunt, at *non paulatim procedit Ira, sed dum incipit, tota est.* Ex quo argumentum capite; quanti sint fluctus, quos intra cordis turbati sinum ciet Ira, quámque procul omnem requiem in fugam agat.

Isa. 57. 20.

Seneca l. 3. de Ira. 6, 1.

Id quod magis confirmatur, quando Ira in odium degenerat, ut in Basiliscum serpens: Ira siquidem, rationem saltem audit, quamvis auditam non sequatur: odium ne audit quidem, unde etiam prorsus intractabile evadit, insanabile penitus, & ita hominem dementat, ut non refugiat, jugibus sese planctibus conficere, dummodo is quem odit, non rideat. Subijcite animis vestris hujusmodi hominem Irâ excæcatum, quem sua indomita Passio armis onerat; à conventibus abstinet, ab hominum commercio abducit, ad insidias ubique locorum, etiam inter Amicos, timendas adigit, nonnisi amarissimo quotidie felle pascit, in ipso etiam lecto & stragulis somno privat. An vindictam Inimici ipsi graviorem ac immaniorem possent sumere de isthoc homine, quàm de se ipse sumat, hostis ipse sibi, quàm quisquam alius esse possit crudelior?

S. Thom. 1. 2. q. 46. a. 6. & q. 48. a. 3.

IV. Subit animum, quod de obsessis quibusdam civitatibus audire me memini: hæ, ut ne se hostibus permitterent, se ipsas longè majoribus calamitatibus afflixerunt, quàm ab hostibus captæ ac direptæ accepissent. Cives Saguntini in Hispania, quòd se Annibali nollent tradere, postquam abominabiles quasque sordes in cibum admiserant, urgente fame, mutuis denique cædibus se ipsos sustulerunt, mutis quoque, ac cædibus, quæ supererant, nequid de Sagunto hostis haberet, sub idem tempus concrematis: & sic ea sibi mala ipsi intulerunt, quæ à victoribus inferenda vix timere poterant ac suspicari.

S. Thom. 1. 2. q. 46. a. 6. & q. 48. a. 3.

cari. Imago hæc est turbati cordis, quod majorem longè sibi noxam molitur, quàm Adversarius quisque infensissimus. *Grave est saxum, & Proverb. 27. 3. onerosa arena, sed ira stulti utroque gravior.* Desiderium vindictæ quacunque rupe Alpium gravius est, & quocunque monte saxoso ponderosius, non tolùm alijs, sed ipsi etiam Iracundo, qui omnium primus debet seipsum sustinere: *scilicet ipse stultus*, ait Liranus. Volunt Jura, posse furentibus aliquid de pœna remitti, etiamsi atrox satis scelus admiserint, eò quòd ipse furor miseros satis plectat ac puniat. *Divus ff. de Offic. Præsid. Potest de modo pœna eorum dissimulari, cùm satis furore ipso puniantur.* Pari ratione, qui totiin eo sunt, ut modos se vindicandi, injuriarum sensum prodendi, & par pari reddendi excogitent, aliâ mulctari pœnâ non deberent; cùm ipse eorum furor, & quam hîc degunt plena angoribus vita satis magna pœna sit. Si Divites sunt, opibus suis frui non possunt; si Pauperes sunt, suis se sudoribus sustentare non possunt: necesse est eos à suis migrare, exules voluntarios, aliàs etiam coactos: & postquam aliorum bonorum omnium jacturam fecerunt, parati esse debent ad sanitatem, quin vitam adeò ipsam amittendam. Observant Philosophi, quòd animalia illa, quæ bile minùs abundant, proportione quadam etiam vitam diutius protrahant; siquidem Ira ignis est qui eum, à quo in sinu fovetur, certiùs quàm quivis alius ignis consumit. Verbo, quò plus Iracundiæ ac turbarum animo vestro fovetis, tantò etiam plus doloris ac ærumnarum experiemini; sicut contrà, quantò plus Christianæ mansuetudinis in eundem admiseritis, tantò amplius sincerâ pace gaudebitis. Veritatem hujus rei comprobabit eventus, quem vestræ salutis studio jam nunc recensebo.

V. Militum nonnemo publico in foro injuriâ ab altero fuerat affectus. In hac nihil illi intolerabilius visum, quàm quòd se ulcisci confestim non licuerit: nam qui magno numero præsentes aderant, tamdiu furentem detinuêre, quoad is, qui injuriam fecerat, in tutum se reciperet. Quo factum est, ut miser insani furoris flammis intus conflagraret: ut proinde mitigaret incendium intestinum, Passioni suæ tantum indulsit, ut palàm juratus assereret: se nec capillum, nec barbam, nec ungues refecturum priùs quàm de hoste se suo ulciscceretur. Tres ipsos annos hæc tenuit insania, sic ut quam animo, hanc jam etiam vultu toto, & habitu referret silvestrem bestiam. Inaudijt tandem, hostem, à quo læsus erat, tridui tantum itinere distare in certa ejus Provinciæ urbe; cùm mox quasi ad nuncium omnium jucundissimum exhilaratus, conscenso equo, & telis omnis generis obarmatus jurare denuò instituit, equo se non descensurum, dum locum vindictæ destinatum attigisset. Vos jam judicate, an probè fessus eò appulerit: appulit tamen: & resumptis ab ipso furore viribus, pro quiete, quam capere oportebat, obambulare forum cœpit, quod eo

Doultremann. Pag. Christ.

potissimùm loco speraret sibi Adversarium obvium habiturum. Sed. ô inscrutabiles Divinæ Providentiæ vias ! Sors tulit, ut eadem in civitate optimæ frugis plena Missio, ut vocamus, haberetur, eâdémque ipsâ horâ Præco verbi Divini pegma eam in rem paratum in foro conscenderet, ex quo populum ad pœnitentiam cohortabatur. Cùm jam sacer Orator verba faceret, miles magìs curiositate spectaculi, sibi prorsus novi, ductus, quàm pietatis veræ studio ad auscultandum accessit. Disposuit autem Divina Bonitas, quæ illo loco feram hanc expectabat, ut de condonandis mutuò injurijs etiam gravissimis, déque præmijs maximis, quæ manerent sic condonantes, tum sermo haberetur. Et fuit planè opportunissimum, quòd omnia, quæ à Præcone verba fiebant, Militi viderentur in se solum prolata, & oratio publica in unum se directa : unde post multam d gladiantium inter se affectuum luctam decrevit tandem dare locum Gratiæ. Hinc finito sermone ac concione dimissâ ad pedes Sacerdotis, qui verba fecerat, se abjecit, &, ut confitentem audiret, rogavit, pollicitus, Pacem se daturum proximo, quam à DEO ipse efflictim postularet. Neque hoc contentus, statuit, magno aliquo beneficio illatam sibi injuriam compensare. Quam ob rem cùm intellexisset, hostem suum ob æs alienum carcere detineri, rarâ admodum beneficentjâ, divendito, quo advectus erat, equo & armis, nominibus expunctis, libertati eum asseruit, tanto cordis sui jubilo ex actione tam generosa, ut solatium non satis caperet, & in posterum inimicum hunc suum inseparabilem vitæ comitem asciscret, quem tanto tempore ad mortem investigârat.

VI. Expendite nunc in utraque Militis hujus conditione, & cùm inimicitias gessit, & cùm pacem ac veniam concessit : bellum ac turbas animi, qui inimicitias fovet ; pacem verò & tranquillitatem ejus, qui odium posuit. Quæ unquam injuria eum ita afflixisset, ut afflixit odium, quo flagravit ? & quæ unquam Vindicta tantam ei consolationem attulisset, quantam attulit impertita venia ? Discite igitur exinde, nullam meliorem rationem secummæt ipso pacem habendi inveniri, quàm eandem cum proximo tenere ; & cor illud, quod in inimicitias exardescit, globis illis ignea peste fartis esse simillimum, qui sæpenumeo omni sua sævitie alteri nemini, semper tamen sibi nocent, dum in mille demum fragmenta diffiliunt. Id quod solum sufficere potest ad obturanda illorum ora, qui Christi non verentur Legem carpere, tanquam vetere multò rigidiorem; quæ tamen Lex Gratiæ non appellabatur, sed rigoris & austeritatis. Verum est, Antiquâ Lege majorem iræ licentiam patuisse : *audistis, quia dictum est, oculum pro oculo, dentem pro dente*, quam tamen Lex nova penitus tollit, ac interdicit : *Ego autem dico vobis non resistere malo.* Sed hoc ipsum est, quod Legem novam in praxi dulciorem facit, quam

Anti-

Antiquam ? Jugum Christi, nisi quis illud priùs superbè excusserit, quàm fuerit expertus, semper magìs ac magìs leve videbitur : maximè ex isto etiam capite, quòd longè facilius sit, pacem animo afferre omni penitus rancore, omni alienatione extinctâ, quàm si vel tenuis scintilla viva relinquatur. Verissimum est, Legem Christus restrinxit, sed quam ob causam? *ut majore labore nos liberaret*, ait S. Joannes Chrysostomus, & facilliorem redderet Legis observationem; quod in re nostra quàm maximè accidere consuevit, in qua longè est facilius, omne omnino Odium deponere, quàm illud moderari. *Inimicus si invenerit tempus, non satiabitur sanguine.* Medicorum judicio dolores humani corporis acutissimi ex bile originem trahunt; obtusi ex phlegmate; id ipsum etiam in animo evenit, cùm dolet. Sensus malorum nostrorum remissior fit ex patientia, quam in ijs tolerandis exercemus; intensior autem ex impatientia : & idem nobis accidit, quod feris, cùm in laqueos incidunt, quæ quò plùs laborant se extricare, & in libertatem asserere, tantò magìs se implicant atque intricant.

Hom. 2. in epist. ad Rom.

Eccl. 12. 16.

II.

VII. Et tamen damnũ, quod hactenus exposui, omniũ minimum est: Quia si vindictæ studium non aliam; quàm quæ nobiscum ipsis nobis est, pacem tolleret, tolerabile id foret. Pessimum est, quòd illam etiam pacem eripiat, quæ nobis cum DEO intercedit, dum illius Gratiam confestim aufert, *Non potest habere placatum Deum, qui cum fratre non habet pacem.* Ubi, ut me bene percipiatis, considerare vos velim, quòd non in omnibus semper cordibus idem odium reperiatur. Feræ, ait Aristoteles, quæ in Europa sunt, communiter fortiores ac robustiores sunt, in Asia autem crudeliores, in Africa denique Monstrosiores. Ita in animi Passionibus fermè se res habet, maximè in Odio. In quorundam cordibus plus humani habent, in aliorum plus belluini, in nonnullorum plus monstrosi. Invenietis nonneminem, qui litem & jurgium vel cum sui ipsius umbrâ moveret (tam Iræ est impotens) quique omnem suum honorem in vindicandis injuriis collocet & cædibus, feritatem & truculentiam gloriam suam reputet. De hoc manifestum est, pacem illum cum Deo non habere; sed tanquam monstrum inter Peccatores, illam quoque pensi non habere; & ideo de hoc hominum genere plura dicere supersedemus. Alij sunt, qui pacem cum Deo non vilipendunt, sed quia animales magìs, quàm rationales sunt, non dubitant etiam cum Divinæ Gratiæ jacturâ Passioni suæ obsecundare, quâ quidem privatos se & agnoscunt, & dolent, sed non quantum satis est ad eos in semitam reducendos. Et de his etiam supervacaneum duco pluribus agere : hi enim, cùm à Sacerdote sibi dici audiunt, ituros illos denique, nisi injurias condonent, ad Infernum, stultè prorsus respondent; *Illud fiet, quod Deus voluerit* : tantum in instituenda vitæ suæ ratione belluini

Quid. 90. Neque ad Cain.

de hist. animal. l. 8. c. 28. n. 11.

habent. Solùm igitur restat de illis porrò disserere, qui, cùm irascuntur, plus aliquid hominis retinent : quia ex una parte volunt inimico veniam impertiri, ut boni Christiani ; ex altera parte, si res suis momentis libretur, non impertiuntur : & ideo apparentibus rationibus inducti sibi persuadent, omnem in corde Inimicitiæ ignem extinctum esse, cùm tamen fumum vel ipsi observent, Hi cum Deo pacem habere se autumant, quam tamen perquam facilè est eos non habere : & ideo hos periculi commonefaciam, in quo eorum fiducia versatur, ne miserè fallatur ; propter geminos scopulos sub aquis latentes, duarum scilicet omissionum, quæ, quamvis à quàm paucissimis observentur, valde tamen sunt culpabiles : ad hos allidi ipsis facillimum est, & cum tot alijs luctuoso sanè naufragio mergi. Prima harum omissionum est, quâ Inimicos suos salutare detrectant, cùm deberent ; altera, dum scripto veniam dare abnuunt. De utraque res postulat, ut accuratè vobiscum agam.

VIII. Quantum ad primam ; ante omnia scire oportet, quòd non solùm licitum non sit, proximum nostrum, propterea quòd nos offenderit, odio habere : *Non oderis fratrem tuum in corde tuo* : Sed quòd etiam illicitum sit, odij in proximum conceptij aliquod foris signum edere : ex quo ipsa ratione etiam inimici ab illo officiorum genere excludi non possunt, quæ communia dicuntur : hoc est à talibus Charitatis contestationi-

Levit. 19. 17.

bus, quæ personis omnibus ejusdem communitatis aut conditionis sine discrimine exhibentur ; hoc enim de præcepto est. De consilio quidem est, ea Inimico benevolentiæ signa specialia, ac extraordinaria præstare, quæ nemini debemus : præcepto tamen tenemur, ne communia & omnibus debita negemus ; ut, quæ foris apparent, internis respondeant, In corde autem neminem Inimicorum ab amore, qui proximo in communi debetur, excludere possumus ; ergo neque exteriùs ; quæ causa fuit, quare Christus, cùm exemplum cælestis Patris sui etiam in perduelles benevoli affetret, nonnisi illa beneficia allegaret, quæ omnibus sunt communia, scilicet : *Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos* : ut notum nobis faceret, quousque se porrigat vera obligatio amandi eum, qui nos odit : ad amandum scilicet amore illo communi, quem exhibemus illi, qui nos amat. Jam ut ad propositum redeamus, quamvis salutare proximum nostrum, naturâ suâ sit signum benevolentiæ specialis & extraordinariæ, quod non cadit sub præceptum ; nihilominus tamen si quos cunque alios cives & gentiles vestros salutare estis soliti, non poteritis hoc ipsum benevolentiæ signum ei, qui vos offendit, negare, etiam antè quàm satisfecerit pro injuria : quia cùm omnes alios salutetis, actus iste jam non est amicitiæ peculiaris, sed ordinariæ & communis, à qua Adversarium vestrum excludere non potestis,

S. Thom. 2. 2. q. 25. a. 6.

Matth. 5. 45.

Cajet. hic

Layman. l. 2. tr. 3. c. 4. cum DD. ab eo citatis, & Ludov. Carbo. lib. de Pacif. Inim. c. 24. & 25.

testis, quin ejusmodi vindictæ genus exerceatis, quod sufficiens est, ut malè affectum animum, contrà quàm præcipiat Charitas, nemo non possit certissimâ conjecturâ, nec sine scandalo, assequi. Et hoc longè adhuc magis verum est, si offensum fors tangat salutem reddendi, non primò dandi; tum enim humeros contrahere, & obverso tergo, ut nonnulli assolent, salutationem silentio præterire non inhumanum tantum est & rusticum, sed & injuriosum; est palàm declarare, vivâ etiamnum memoriâ injuriam teneri; est negare Proximo non indebita tantùm charitatis officia, sed debito manifesto defraudare. Nec culpâ se eximunt, qui similibus dicendi formulis silentiũ suum excusant: *Non ei volo malè*; *non eum volo offendere*; *sed eat vias suas.* Non eximunt, inquam, se, etsi multi, qui studiosè se decipiunt, credant, se hujusmodi protestationibus satis tutos esse. Quare autem non valet excausatio? quia protestatio, utut speciosa, contraria est facto. Cervus felle caret: viscera tamen adeò amara habet, ut etiam canes ab illis abstineant: & tales saltem sunt, qui ita loqui consueverunt. Quod si enim Anatomiæ subijcerentur, forsan felle inimicitiæ denunciatæ non turgerent; neutiquam tamen bile per viscera sparsa, occulto scilicet rancore, carerent, qui amaritudine omnia inficeret. Malum illi optatis nullum; at si malè illi non vultis, quomodo fit, ut actiones manifesti contemptûs indices exhibeatis? Ne, quæso, ne fidatis vobis. Auditores Dilectissimi; cùm eo enim Domino res vobis est, qui cordium recessus intimos scrutatur: *Cordis scrutator est verus*: atque ideo, cùm coram se charitate vacuos conspexerit, odio suo dignos vos reputabit: *Qui non diligit, manet in morte*: non solùm *qui odit fratrem suum*, sed *qui non diligit.* Quid igitur vobis fiet, si fallimini? Dictis, nemini vos malè velle; ego autem, utut velim, non possum credere: cùm non videam, quomodo non grandis vindictæ species sit, cum omnibus agere humanè, omnes alloqui, respondere omnibus, solum adversarium his officijs excludere? Quid facit Ecclesia, ut Sacris interdictos grandi pœnâ mulctet? à commercio eos aliorum removet, & familiari cum cæteris Christianis conversatione interdicit; quin & indignos judicat, quibus alij salutem dicant: *Nec Ave ei dixeritis.* Vos eâdem severitate Proximum vestrum mulctatis? *nec Ave ei dicitis*, & postmodum vultis, ne quis silentium hoc vestrum vindictæ nomine censeat, etiam momenti non levis? Lege Christi obligamini Proximum vestrum fratris loco habere; vos autem pejus quandoque accipitis, quàm si foret exterus, Tartarus aut Turca: neque enim difficile vobis accideret, Turcam salutantem resalutare; Christianum autem mutuâ salute impertiendâ honorare dedignamini, quia vos offendit. Omnino igitur odistis illum.

1. Joan. 3. 14. Sap. 1. 6.

2. Joan. 10.

IX. Malum auget, quod non Adversarius tantùm vester, sed quicunque

que ei necessitudine quadam juncti sunt, ut partem offensæ in vos exercitæ nullam habeant, imò factam improbent, isthac benevolentiæ mutuæ significatione excludantur, & numero Inimicorum eo solùm titulo habeantur, quòd quocunque tandem modo ad eum pertineant, qui vos offendit. An majus odij vestri intestini indicium ac signum exposcitis, eò profundioris, quo magis clausum in fundo hæret? *Ira*, ait Philosophus, *semper in singulos*, concipitur, *Odium verò etiam in genera*, & sic latroni, exempli gratiâ, irascimur, qui nos publica in via adortus est; odio autem omne latronum genus habemus. Quî igitur vos jactatis, Iram vestram nonnisi simplicem tantùm Iram esse? Etenim si talis esset, sisteret in eo, qui vos offendit. Dum igitur in totam cognationem, etiam innocentem, eam extenditis, manifestum fit, furorem illum, qui Iræ nomine vobis venit, verissimum esse odium, odiumque tam intensum, quod non eum tantùm, qui injuriam vobis intulit, sed omnes, qui bene illi volunt, invisos teddat ac abominabiles.

Lib. 1. Rhet. c. 4.

X. Addite, quòd Ira cum tempore evanescit: *Ira est sanabilis tempore*; & quamvis impetu majore feratur quàm odium, minus tamen est fixa ac stabilis. Quod si igitur Ira vestra, Ira simplex foret, post menses & menses, ac fortè annos ab injuriâ acceptâ elapsos, deflagraret. Sed viget illa, ut ex officijs humanitatis, licèt facillimis, negatis tamen, abundè pater. Signum ergo est, Iram vestram plus de odio, quàm Ira habere: *Odium est insanabile*? & senescendo non tantùm non infringitur, sed novas semper vires accipit, ita, ut tempus ipsum, quod Iræ medicinam affert, Odio cedat in alimentum.

XI. Et hanc ipsam ob causam videte, quàm jure ac meritò omissionem istam damnemus ut culpabilem, quam aliqui liberimè admittunt, dum dedignantur proximum suum aut salutando prævenire, aut salutanti respondere. Non solùm qui ita se habet, debita charitatis obsequia Proximo suo negat, qualia sunt officia benevolentiæ, humanitatis, ac civilitatis; sed facillimum omnino est, ut hæc ipsa ex rancore aliquo non vulgari deneget; ita ut in homine, maximè urbanitatis aliàs studioso, rancor iste impellat ad urbanitatis leges negligendas. Et hic primus est scopulus, quem supra monui omni contentione vitandum. Quid de altero dicemus, in quem, qui veniam scripto dare refugiunt, incurunt? Dici certè non potest, talem superabundantiam Pacis hostibus præstandam lege charitatis præcipi, sed consulitur tantùm. Hoc non obstante ostendam, etiam in hoc vado, quod omnino tutissimum arbitramini, scopulos plurimarum animarum excidio infames reperiri.

XII. In primis doctrinam hanc ut universalem, & pro omni casu obligantem non vendo, quasi verò quilibet obligetur publico Instrumento injuriam sibi irrogatam remittere. Neque enim ignoro, hunc in finem Judices esse constitutos, & magno numero

numero Justitiæ ministros; ut qui gravi injuria provocatus fuit, habeat, quo sine peccato rem deferat, & Jus sibi dici postulet. Dico tamen, non raro contingere, ut, qui præcepto charitatis in alios exercendæ non obstringitur, teneatur quandoque vinculo adhuc majore charitatis erga seipsum. Accidit enim, ut in ipsa praxi nullum sæpenumero remedium occurrat, quo conceptum quis in adversarios rancorem ex corde evellat, nisi publicâ hujusmodi reconciliatione, ad quam aliàs non obligaretur, animum ad mutuæ pacis constantiam obfirmet.

S Thom. 2. 2. q. 10. a. 4.

Laym. l. 2. tr. 3. c. 4. Navar. l. 5. Cons 5 de Pœn. Suarez. disp. 5. de Char. sect. 5.

Et sic ijdem Doctores, qui affirmant, nullâ charitatis erga Proximum lege quemquam teneri, ut memoratâ superiùs ineundæ pacis ratione utatur, agnoscunt in casu, quem modo ponebamus, obligationem quandam charitatis erga seipsum; considerato scilicet gravi periculo damnationis incurrendæ, cui nonnulli obnoxij esse possunt, nisi ad hujusmodi actum, cæteroquin non necessarium, animum inflectant. Crocodilorum morsus semper curatu difficillimus habitus est; non aliam ob causam, quàm quòd vulnus, quod dentibus hæc bestia infligit, vix unquam coëat. *Quod dentibus laceravit, nunquam sanatur.* Similis est morsus odij; unde præstantissimo opus est balsamo, quo cicatrix obducatur, & chirurgo peritissimo, qui omne pus, quod in imo plagæ residet, expurget. Sunt nonnullorum hominum genij tam pertinaces, ut acceptarum injuriarum obliviscantur nunquam, ne tum quidem, cùm vere ipsi desinunt; vivum siquidem perfrequenter tanquam hæredibus toti familiæ odium relinquunt, haud aliter ac aliud vitæ aut professionis genus. Tali igitur indoli hoc opus est balsamo pacis publicæ, & Chirurgi munus obeunt Prudentes Confessarij, qui Pœnitentem adigunt, cùm sapienter judicant, eum non aliter posse ad Christianæ vitæ normam ac regulam perduci, quàm si plus aliquid, quàm charitas à DEO præcepta requirat, ultrò præstiterit. Ita ferme cum distortis arbusculis fit, quæ vix aliter erigi possunt, quàm si in latus alterum, à quo deflectunt, vi adhibitâ retorqueantur, & cùm stare ipsæ rectæ non valent, ne porro declinent, vinculis ligentur. Id quod inprimis fieri convenit, cùm personæ magnæ cujusdam auctoritatis in concordia concilianda laborant, & qui offensæ auctor est, pacem demisse petit, paratus ad Arbitrorum nutum præstare, quidquid ipsi ad abolendam injuriæ memoriam oportunum censuerint: tunc enim, qui offensus est, nullam porrò excusationem poterit obtendere: cùm omnes in hoc conveniant, quòd Inimicus non modò talis jam non sit, sed nec dici possit, utpote qui faciat, quantum potest, ut ex inimico in Amicorum numerum referatur.

Mag. 3. Sent. d. 30. cum S. Thom. & alijs Doctoribus ibid. & S. Thom. in ep. ad Rom. c. 2. l. 3.

Diodor. Sicul. rer. antiq. l. 1. c. 3.

XIII. Et hoc tantò magìs, quòd in negotio tam gravi plerumque offensus vehementer hallucinetur, dum sic arguit: *Potest negari Pax etiam sine DEI offensa; ergo & ego eam sine tali offensa negare possum.* Paralogizat, qui ita disserit. Non nego equidem, posse

posse offensum licitè velle, ut Magistratus suo in castigando Inimico munere fungatur: scilicet ut hac ratione vel Adversarius emendetur, vel Delinquentibus animus infringatur & audacia, quæ, cùm scelera sua vident impunita, augetur & crescit. Non inquam, hoc nego, cùm uti dicimus, in abstracto loquimur; at quòd hîc & nunc offensi Inimicis suis veniam negent, hujusmodi rationibus & boni communis studio inducti, & non magìs odio privato impulsi, hoc enimverò admodum difficile est, & reipsa perquam rarò accidit; cùm vix unquã inter privatos contingat, ut, cùm causam suam in tuto locaverint, ita Justitiæ sint tenaces ac studiosi, ut toto eam mundo velint resplendescere; idémque ferè esset, ac si facibus suis Solis vellent radios juvare: *supervacuis laborat impendijs, qui solem certat facibus adjuvare.* Hinc Theologi, quando asserunt, quòd licitè omnino pœna Inimici possit appeti, adjungunt tamen semper, quòd in praxi res hæc admodum dubia sit ac difficilis; nec omittunt lectorem monere, gravis deceptionis posse eum periculum incurrere. Et certè, si tam esset facile, tali in eventu omnem passiõem exuere, atque ex sola ratione operari, non capio, quomodo Sacrosancta Concilia oppositum unquam supponere potuissent. Scimus autem, quòd Concilij Carthaginensis quarti prohibitione cautum sit, ut ne illorum oblationes ad Altare acciperentur, qui hujusmodi publicam reconciliationem detrectarent. Concilium Toletanum Undecimum etiam statuit, ut ijsdem insuper sacratissima Communio negaretur. Plus voluit Concilium Agathense, scilicet, ut qui reconciliari nollent, solenni forma Ecclesiæ Sacris amoverentur. An non sciebant forsan omnes illi sanctissimi ac sapientissimi Patres, licere offenso ex Zèlo Justitiæ, & solius boni publici studio procurare, ut qui offendit, tanquam reus plecteretur? Sciebant omnino, altiori tamen, & plus quàm humanâ prudentiâ, id quod fieri solet, non quod potest, considerabant. Nôrant, quòd Homines in praxi non ita moveantur causis ab omni vitio purgatis, etsi veris, si suis res momentis perpendatur, sed occulto rancore, acerbitate & livore. Non ignorabant, plus in eorum cordibus spiritum vindictæ posse, spiritum, quem Cacodæmon infernalibus suis follibus animat & inflammat. *Halitus ejus prunas ardere facit.*

Caus 6. q. 1. c. si omnia Laym l. 5 c. 21. n. 3.

Can. 93 d. 90. c. Oblationes.

Can. 4.

Can. 3. d. 90. c. placuit.

Iob. 41. 12.

XIV. Non creditis mihi? At claris adeò indicijs commonstrabo, ut fidem vobismet ipsis habeatis, atque hæc alia non sunt, quàm hominum illorum vultus & lingua, qui pacem ac veniam petentibus impertire recusant. Vultum primùm alicujus istorum observate. Si enim is non dico offensorem suum, sed de familia tantùm illius aliquem obvium habet, utut innocentem, mox cohorrescit, attollit supercilia, expallescit, perinde ac si peste infectum offendisset. Et hi jam sunt illi, qui veniam Inimico negant ex motivo adeò sincero & puro Justitiæ? feminam gravidam, ajunt Medici, cùm utero

utero masculum gestat, plerumque colore admodum vivido esse; at si femellam parturit, colore lurido. *Si marem gestat, vivido colore est, si fœminam, fœdo.* Quidni igitur ego quoque ex colore lurido, quem in vultibus pertinacis odij hominum observo, possim arguere, fœtu malè fortunato eos esse gravidos? *Iratus est Cain vehementer*, ait Scriptura, *& concidit vultus ejus.*

Hipp. l. 3. aph. 42.

Gen. 45.

XV. Et tamen signum hoc longè minus est certum illo, quod ex lingua habetis, quæ interpres humani cordis longè est fidelissima. Sermonem apud hos de eorum injurijs movete, mentionem de ijs facite, à quibus offensi sunt; audietis eos remotâ omni verecundiâ injurias suas illis, quas Christo Judæi intulerunt, exæquare, & eos, à quibus ipsi offensi sunt, Christi tortoribus comparare. *Proditus sum*, dicunt, *ut proditus est, Christus. Iste, & iste mihi Judas fuit. Non est ei similis Proditor in Mundo.* Quid vobis de isthoc loquendi modo (usitatissimo tamen) videtur? an putatis credi posse, quòd pacem non ex spiritu vindictæ turbido, sed æquitatis placido atque pio reijciant? Lingua indicio manifestissimo est, quo peccans in homine humor dignoscatur: nam si rubra est, sanguis excedit; si pallida, phlegma abundat; si nigra, atram bilem prodit. *Humorum dominium colore refert.* Si in hominum istorum cordibus nigerrimum non delitesceret odium, nunquam in tam funestas loquendi formulas lingua solveretur. Et verò re ipsa ex contentis, qui in gratiam cum Inimicis redire nolunt, non invenietis unum unicum, qui, si præter expectationem causam rogetur, ob quam redire nolit, illico nihil hæsitans respondeat: ideo redire detrecto, quia boni communis ratio id requirit. Omnes potiùs, nullo ferè excepto reponent: injuriam nimis fuisse gravem; non posse se ante oculos ferre Sycophantam talem planè nequissimum: offensam recentem esse, concordiam esse dubiam: Stultorum esse, anguem in sinum immittere, cùm procul ab ipso quis stare potest. Et cùm urgentur vehementiùs, ad rationes denique à Justitia petitas confugiunt; ex quo manifestè appareret, hanc eorum constantiam, dicam, an animi duritiem, revera non ex Zelo inter homines tam raro, sed ex rancore, qui Zeli nomine obvelatur, prodire; ignémque Iræ illius non ex thure, quemadmodum sibi persuadere allaborant, sed bitumine sumere alimentum.

Hipp. de Epid. l. 6.

XVI. *Non volo illi malè* (dicit nonnemo) *sed mores illius averſor: peccatum odio habeo, non peccatorem.* Animúsne vobis est, qui ita loquimini, etiam coram tribunali Divino hujusmodi dicta affirmandi? Odi peccatum, non odi peccatorem? quomodo peccatum odistis; si illud plùs quàm vosmetipsos amatis? ut illud corde recipiatis, non veremini, omnia & Gratiæ & Gloriæ, quæ per omnem beatæ vitæ æternitatem sperare potestis, bona præsenti jacturæ periculo exponere; & videri postmodum vultis peccatum, non peccatorem

odisse ? *Si videbas furem, currebas cum eo*, improperabit vobis DEUS, *& cum adulteris portionem tuam ponebas.* Vos autem quid respondebitis ? Toties (urgebit) in domum alienam intulisti mille dedecora & probra, mille jurgia tuis impudicitijs ; & nunc odio peccatum non habebas ; nunc autem cùm de Inimico sumenda vindicta est, cùm reparandæ injuriæ, & abolendæ notæ, quæ familiæ tuæ inustæ sunt, insolito in peccatum odio ferris. Toties cum pravis Socijs tuis ad omne genus flagitij operam tuam junxisti, & peccatum odio non habebas ; pejerâsti, & peccatum non oderas ; egentes exspoliâsti, & peccatum non oderas ; Pupillos circumvenisti, & peccatum non oderas, derisisti pietati præ alijs deditos, & peccatum non oderas ; calumnias intorsisti, insidias strux sti, fraudes machinatus es, manus tuas humano sanguine contaminâsti, & in his omnibus peccatum non oderas. Et nunc vas electionis speciosо plenum odio haberi vis, cùm sis vas Iræ ita plenum iniquitate, ut ex omni parte exundet, Procul hinc à me discede ; etsi enim vanissimis tuis persuasionibus homines in fraudem induxeris, me tamen decipere non valuisti : *Nunquid DEUS decipietur, ut homo vestris fraudulentijs ?*

Psal. 49. 18.

Job. 13. 9.

XVII. Nemo sibi persuadeat, quòd eodem tempore odisse peccatum & amare peccatorem, res sit tam facilis, ut eam opere exequi pronum sit unicuique. Opus est, DEI dignum corde, & ab hoc, qui sine periculo illud exercere volunt, discant oportet. Et ò quàm imitatu est arduum ; magno sanè Gratiæ auxilio opus est, magno in naturam dominio, quæ Gratiæ cedat. Si Vir tam fortis, qualis fuit S. Ambrosius, in vicem quòd sumptus in omnem deinceps vitam suppeditaret infami cuidam sicario, qui ad eum occidendum immissus fuerat, voluisset ex Zelo Justitiæ, ut juxta meritum suum plecteretur, non multum laboratem, ut crederem, hujusmodi Virum hoc optando rectè ac sapienter egisse : at quòd homo peccator in hujusmodi casu eâdem æquitate procedat, qui nunquam non cupiditatibus suis obsecundavit, virtutem nullo unquam loco & pretio habuit, vitium autem primo ac præcipuo, in quo Gratia infirma ac debilis, Natura robustissima fuit ; non possum, ut verùm fatear, adduci, ut credam.

XVIII. Pauper quidam ruricula, cùm in silvam lignorum colligendorum gratiâ profundiùs penetrâsset, filiolum post se in parietinis repositum reliquit : Subitò autem cùm respiceret, vidit filij sui pedem viperæ adrepentis spiris involvi, atque viperam veneno lividam jamjam vulnus illi, ac necem morsu intentare. Ad repentinum hoc periculum Paternus Amor ictum suasit, cúmque tam dextrè vibravit, ut ejusce rei memoria ad seros posteros propagaretur. Ferro siquidem, quod manu gerebat, eminus projecto ita Serpentem in partes dissecuit, ut crus, circa quod Serpens se implicaverat, nulla ex parte læderetur. Similes vobis ictus tentan-

randus est, si peccatum odisse, à peccante autem non abhorrere vultis; unde nemo non videt, quâ arte sit opus. Indubitatum mihi est, fore, ut etiam Sancti cujusvis, hac in re peritissimi, brachium tremeret, si ictus illi tam periculi plenus tentandus esset.

XIX. Sed quid porro rationes accumulo? Quinam illi sunt, qui publico instrumento contestari pacem recusant? forsan ex omni populo modestiores, magisque continentes, ac charitatis studiosi? Dicam. Homines plerumque sunt vitâ infames, superbi, Homicidæ, Protervi, ac voluptatibus obscœnis dediti; & hi postremi præ alijs omnibus: nam, ut ait Seneca, *Ira voluptatibus generatur.* Qui effœminati magis sunt, etiam sunt magis iracundi ac feri: vel quia ex eodem vitio summa feritas erga alios nascitur, & erga se animus extremè mollis; vel quia lascivi in lacuna cordis sui Serpenti infernali gratiorem receptum parant, qui eos ad vindictam extimulat. Observant rerum naturalium periti, quòd omnibus animalibus dentes aut excidant, aut mutentur, solo porco excepto, qui dentem non perdit, aut mutat. Notavi & ego sæpius, eos demum ex mortalibus omnium in ponendis Iræ dentibus esse difficillimos, qui porcorum instar semper in cœno sunt: cum his frustra reconciliatio tentatur, nullam hi rationem audiunt, omnem petitionem, unde pax sperari possit, rejiciunt. Manifestum igitur ac clarum est, non adeò pronum quemque ad credendum esse debere, eum, qui veniam, sibi minimè noxiam, utilem Inimico, impertiri renuit, non odio, sed charitate, & publici boni studio moveri. Quia si duo motiva proponuntur, ferme id, quod magis est ponderosum, prævalet; non aliter ac ille ex ventis simul spirantibus navem fortiùs propellit, qui plus habet impetûs & roboris.

Arist. l. 2. Anim. c. 1.

XX. Non cuperem proinde, ut multùm rationi huic inniteremini, cui dicitis: *non odi hominem, sed vitium.* *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat*, ait Apostolus Joannes, *& nescit, quo eat, quia tenebræ occæcaverunt oculos ejus.* Odium ita excæcat, ut, quæ ante oculos habemus, videre nos prohibeat; quî igitur adeò facilè illa videbimus, quæ intra nos sunt condita? fit hac ratione, ut, qui passione quadam abripitur, *nesciat, quò vadat*, magnisque passibus ad Orcum properet, cùm ad Cælum pergere sibi videtur, & ad Sacrosancta Mysteria accedat bufonis instar veneno turgentis, cùm se columbam felle carentem arbitratur. *Caligavit ab indignatione oculus meus*, dicebat Job; *Conturbatus est in Ira oculus meus*, ajebat S. David. Quòd si Sancti ita loquebantur, quæ Peccatorum in hisce eventis erit sors ac conditio?

1. Joan. 2. 11.

Job. 17. 7. Psal. 30. 10.

XXI. Nec difficilis tantùm cognitu est Ira, an juxta, an contra rationem feratur, ob hunc ipsum fraudulentum, quo se obtegit, colorem; sed æquè ardua curatu; ita quidem, ut

S. Thom. 2. 2. q. 156. a. 4.

S. Thomas opinetur; potentiæ Irascibilis impetus magis esse superatu difficiles, quàm facultatis Concupiscibilis invitamenta; (quamvis hæc assiduitate, quâ suos stimulos admovet, magis modesta sit) & causam assignat, quòd Ira longè plus rationis & causæ, saltem apparentis, habeat, quàm Libido: unde sicut minùs operationes suas erubescit, ita difficilius

S. Thom. 1. 2. q. 48. a. 3. ad 2.

etiam, quàm de suis Luxuria, dolet; hæc enim utut larvam, quâ se obtegat, inquirat, ipso tamen nomine suo Inhonestam se prodit. Nulla febris tam curatu difficilis est, ut hectica; aliæ enim omnes humoribus sese miscent, cósque accendunt, hæc autem partes solidas invadit, quo fit, ut pertinaciùs etiam hæreat atque perduret. Sic qui irascitur, nunquam sine ratione irasci sibi videtur, & ideò ignis ille, qui intra medullas succensus est, velut, qui cum quadam convenientia & ratione operandi efferveſcit, tam difficulter extinguitur, ut ad usque infernum quidam illum deferant; & ibi primùm intelligunt, pestem se hanc sinu fovisse, quando jam tempus non est illam excutiendi, sed pœnas pro ea tam diu retenta tolerandi.

XXII. Hæc ipsa difficultas, quam in emendanda & subigenda Ira experimur, plurimum etiam facit ad tenebras in iracundorum animis augendas & intendendas: etenim, cùm in nos Ira dominatur, facilè nobis persuademus, citra noxam à nobis fieri, quod facere posse percupimus. *Dum*

Moral. 1. 5. c. 30. *perturbata mens judicium sua rationis exasperat*, ait S. Gregorius, *omne quod furor suggerit, rectum putat.* Ut adeò perspiciatis, quàm multis ex capitibus parùm ijs fidendum sit, eorúmque responsis, qui irati nolunt vel audire eos? qui de concordia mentionem faciunt, dicúntque: velle se, ut nebulones puniantur; & liberè spargunt, culparum osores esse se, quin homines culparum reos oderint, perinde ac si affectionibus suis dominarentur haud aliter, ac Navarchus, qui tranquillo mari temonem dirigit.

XXIII. Quapropter omnino ab re est, tanti rem momenti fortuito eventui committere, & cùm quis ramo se possit firmo ac robusto sustinere, caducum atque debilem apprehendere, quocum in præceps eat. *In rebus ad salutem Animæ pertinentibus! hoc ipso quis peccat, quòd certis incerta præponat,* Quæ est doctrina S. Augustini. Quando de Animæ salute agitur, convincitur parùm amare Animam suam, qui eam in tuto non collocat. Cùm DEI amore Inimicis vestris injurias remittitis, certi estis, veram erga proximos charitatem in vestris cordibus habitare, adeò splendidi sunt ejus radij, qui translucent. At cùm ignoscere non vultis, estis omnino incertissimi; cùm longè sit facilius, vos invidiæ ac rancoris impulsu veniam negare, quàm amore Justitiæ. Ut quid igitur veniam differtis? plurimum certè interest, securâ sese semitâ continere, dum, cùm aliâ itur viâ, & erratur, remedio non est locus, ac necessariò peritur.

S. Aug. l. de Bapt. c. 20.

XXIV. Cùm post captivitatem Babylonicam Populus Israëliticus Solymas

lymas rediret, creditum fuit, superfore ignem pro Sacrificijs, quem Jeremias occultaverat; sed loco ignis aquam repererunt stagnantem & lutulentam? *& non invenerunt ignem sed*
2. Mach. 1. 20. *aquam crassam.* Quid si idem vobis quoque eveniret; Quid si etiam vos coram Tribunali divino in vobis ignem charitatis inquireretis, & loco ignis reperiretis aquam turbidam, terrestrem, lutosam odij inveterati & nunquam depositi? Quid inquam tunc vobis fieret? an non de omni pro vobis bono actum foret? sine charitate nulla Deo victima grata est: *si tradidero corpus meum ita ut ardeam,*
1. Cor. 13. 3. *charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Verum est: aqua illa crassa, & ut ita dicam, mortua, quam populus invenit, cùm radijs solis fuit exposita, stupendo prorsus prodigio in luculentam subitò flammam mutata est: Aqua tamen vestra semper eadem, languida, quin & mortua permanebit; siquidem nullus vobis Sol orietur, omne vobis lumen extinctum erit; nox succedet profunda, finem
Isa 60. 19. non habitura: *Non erit amplius sol ad lucendum.* An his auditis & perpensis horror artus non occupat?

XXV. Ad sedandam Adolescentulorum Iram, ajunt, nullum esse remedium promptius, quam si frigidâ eorum tergum perfundatur. Accepto
Arist. sect. 8. probl. 2. 17. hoc remedium in omnium illorum salutem, qui furore hactenus implacabili aguntur. Tantum vobis gelidi timoris affundam ex consideratione statûs ac conditionis vestræ, ut momento valetudinem recuperetis. Id quod non aliâ meliùs ratione faciam, quàm eventûs cujusdam terrifici narratione, ex quo cognoscatis, quid tandem sit, extremis admoveri priùs, quàm ponantur ex animo odia, aut ea ponere volentibus opera jungatur.

XXVI. In Cœtu aliquo plurium duo agebant, amici primùm, mox autem Vatiniano inter se odio dissidentes, adeò ut neuter alterum obvium salute dignaretur. Duo menses abierant, cùm, qui injuriam intulit, fatali morbo correptus est; quo in periculo constitutus, antequam Sacris Christianis muniretur, offensum ad se evocari curavit, & præsentibus multis veniam ac pacem rogavit. Nec renuit alter, quantum quidem ad speciem externam attinebat; sed sicut in animo offensam non condonaverat, ita in suo ab ægrotante discessu amaro cum risu ad circamstantes dixit: Tandem superbus iste ac tumidus, timorem prodidit. Audijt malo suo fato verba isthæc moribundus, & resorbens, quod evomuerat, venenum, & quidquid posuerat, odij, si ita, inquit, se res habet, nec ego tibi condono, quod nunc effutiisti, nec cupio, ut mihi, quam prior intuli, injuriam remittas. Hæc inter loquendi facultate destitutus, nullis nec precibus, nec rationibus cessit, sed obduratus animam exhalavit. Postquam illatus est tumulo, ecce! omnibus mensæ assidentibus ferale spectrum adstitit, & voce horribili: ubi est, exclamavit, ubi est, sceleatus ille, cujus causâ in Infernum detrusus sum? ita est, damnatus

Bellar. ad 5. Prec. apud Seb. d. Abreu. in Instr. Paroch. l. 7. f. 4. §. 5.

natus sum ob odium, quo, cùm animam efflarem, in illum flagravi; sed nec ille, qui tantam exitio meo causam dedit, erit salvus. Et cum dicto in illum, ut Canis in Canem, involavit: Hic autem arctè prehensus, dum se morsibus extricare laborat, ne in abyssum abripiatur, spectrum verò morsibus arctiùs obluctantem stringit, ut secum auferat, subitò sub ambobus terra magno se hiatu aperuit, & ambos absorpsit, dum quivis alterum luctando superare nitebatur. O Aquam frigidam, Auditores, ad extinguenda Iræ incendia! agite, quid vobis videtur? an non æquum est, ut qui tali conditione sunt, timore ac tremore percellantur? Mors instat omnibus; ita omnino, omnibus, omnibus. Quid si igitur vitam antè, quàm odium finiremus? Meritò pro in ad omnes verbis utor Ecclesiastici, qui me hanc in vos aquam effundere docuit; *Memento novissimorum & desine inimicari.* An non & solius mortis memoria sufficiat, ad omnem quocunque demum fervore ebullientem Iram extinguendam?

Eccl. 28. 6.

XXVII. *Memento* igitur, *memento novissimorum.* Considerate, mortem moras trahere non posse; atque ideo tam stulti non simus, ut periculo nos exponamus moriendi instar Canum ejusmodi rabidorum. An fieri poterit, ut odia nostra antè nos non expirent? Visum est etiam Gentilibus id esse rationi dissentaneum; qui propterea dicebant, mortalium Iras licèt alioquin justas, injustas fieri, cùm fuerint immortales. Quantò igitur magis hoc absonum videri debet Christianis? Flumina, ubi in plura brachia fuêre divisa ac distracta, antequam ad mare sese recipiant, denuo conjunguntur. Et Christiani inter se discordes ac divisi in mare æternitatis abire volent, quin perfectâ concordiâ uniantur? non ita procul à nobis mors distat, ut ad conjunctionem hanc diu procrastinare sinat; imò contrà tam est nobis vicina, ut non jam possimus dici in pulverem abituri, sed jam esse pulvis: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Et sub tam modico cinere tantus sit ignis?

Arist. l. 2. Rhet. c. 22.

Gen. 3. 19.

XXVIII. *Memento novissimorum.* Perpendite, quòd morti judicium succedat, ex quo sententia dependet, aut salutis, aut exitij sempiterni. Quid igitur agitis, si nulla vos solicitudo tangit, misericordiam Proximis exhibendo benignam potiùs ac misericordem, quàm rigidam ac formidandam ex Judice sententiam audiendi? In cujusque manu est, modum ac rationem eligere, quâ à Deo judicetur; aut clementer, aut rigidè & inclementer; & non est, qui curet? Humanis etiam Legibus constitutum est; ut ijsdem statutis ac Legibus Actor conveniatur, quibus ipse Reum subjectum esse voluit. Reputate igitur vobiscum, an non ampliùs quid Leges Divinæ à nobis postulaturæ sint: *Dimittite & dimittemini*, ait Christus. Vos interim quid respondebitis, si ex corde veniam non concesseritis? *Nisi remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Parum proderit, stultâ vobis opi-

Luc. 6. 37.

Matth. 18. 35.

opinione persuasisse, quasi veniam tribueritis, quando revera non tribuistis: *dicentes Pax Pax, & non erat Pax.* Quid enim pro excusatione vestra obtendetis? forsan, omnes vobis Theologos assensisse, posse veniam negari ex Zelo justitiæ, cujus est reos punire? Optimè: sed Theologi quoque respondebunt, nunquam se asseruisse, ut ipso facto veniam ex hac ratione negaretis; solummodo dixisse se, ex hac ratione posse negari. Reponetis porro, ipsos etiam Confessarios tali doctrinâ nixos, nunquam se difficiles præbuisse in impertienda vobis absolutione, quamvis pacem rogati, in illa neganda immobiles persisteretis. Optimè. Sed Confessarij denuo reponent, absolutionem vobis se impertivisse, contestatis, vos interea ijs, quibus pacem negabatis, nil quidquam mali velle ac cupere. Et tunc quod effugium supererit? Quodsi tam Confessarij, quàm Theologi vobis concesserint, inimicis vestris injuriæ remissionem negare, etiam cùm viderent, vos ad eam negandam non nisi livore concitari; sciatis velim, eos non tantùm vobis ad salutem non profuisse, sed sibi insuper ipsis damnationem accersivisse, tanquam incendij illius promotores, quod in animis vestris extinguere ex munere suo debuissent. Procul hinc fraudes inanissimas, procul vanas excusationes! Tutiora in negotio tanti ponderis eligamus.

Jerem. 6. 14.

XXIX. *Memento novissimorum.* Memoriâ tenete, jam à sex mille annis in ipsis terræ visceribus fornacem immensо igne succensam ardere in ultionem potissimùm eorum, qui injurias pertinaci odio persequuntur. De his enim maximè per Ezechielem dicitur: *Descendunt in Infernum cum armis suis.* Quia licèt Damnati omnes sua secum vitia deferant, illi tamen, qui vindictam spirant, eadem secum portant, ut porrò exerceant. Ira, Rancor, Furor, Odia intestina, sunt ignes, qui etiam in Inferno ardent. *Vitia spiritualia in damnatis consumantur*, docet S. Thomas. Et ideo quo plùs hujusmodi ignis accenderitis, tantò habitatoribus infelicissimæ illius abyssi similiores esse cœpistis. Vindicate, vindicate vos, sæpenumerò Cacodæmones in nocturnis Sagarum conventibus clamabant, alioquin vos jugulabimus. *Ulciscimini vos: alioqui moriemini*: Usque adeò Cacodæmones ad vindictam anhelant.

Ezech. 32. 27. *S. Tho. Quodl. 8. q. 7. a. 17.* *Delrio. 2. q. 16. §. His & similib.*

XXX. Ex altera parte *Memento novissimorum*: oculos vestros ad pulcherrimam illam pacis regionem levate, ubi Beatus quivis perpetuo charitatis vinculo ligatus alteri jungitur, nec suum magis, quàm alterius bonum amat. Viam inîimus ad illam simul perrecturi patriam, *ne irascamini in via.* O quàm amplum vel una die præmium recipietis, si Dei amore vos ipsos in re sensui tam durâ, qualis est, reddere pro malo bonum, deviceritis! Sanctus Engelbertus Archiepiscopus Colonienlis ob unam talem victoriam ad Cælestem Martyrum Chorum fuit delatus. Unum unicum mihi ostendite ex iis ad Chorum Martyrum evectum, qui asserebant,

Gen. 45. 24.

Zelo justitiæ inductos se veniam negâsse.

XXXI. *Memento novissimorum, & desine inimicari.* Non sentire primos iracundiæ motus Angelorum est (dicebant Sancti illi Eremi incolæ) sed iram nunquam deponere, est Diabolorum. *Desine inimicari.* Finiamus denique omnia jurgia, & hodierna quidem sit illa beata dies, quâ finiamus. Veniam proximo concedamus, ut pacem cum Deo nunc & in futurum habere mereamur, qui Adversarijs nostris etiam tacentibus reconciliationem nobis imperat: *Vade reconciliari fratri tuo.* Et si passio nostra dubias nobis hasce palmas facere conatur, ad Deum recurramus, qui favore suo nos fortes efficiat; & in hac pugna victores Davidem æmulemur, qui cùm in promptu haberet de Saule inimicissimo sibi Rege vindictam sumere, continuit sese, & Deum, ut in vehementi hac tentatione sibi succurreret, invocavit: *Propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini.* Et si DEUS in vota vocatus tam fuit ad subveniendum servo suo promptus, eique triumphum inter omnes, quos de se referre homo potest, maximè prodigiosum concessit; non dubitemus, quin etiam nobis sit adstiturus, ut tam insignia facta si non æquare, imitari saltem valeamus.

Matth. 5. 14.

1. Reg. 26. 11.

DISCURSUS XXIII.

De gravi malo Luxuriæ.

Nescio, an unquam sors tulerit, ut alicujus ex bibacibus illis decoctoribus lateri assideretis, qui omne suum tempus in cauponis absumunt, quasi eam solam ob causam vivant, ut vorent, & vorent, ut bibant. Hoc si vobis accidit, statim, credo, animadverteritis graviùs eos vinum redolere, quàm dolium, à quo regrediuntur; ipsi tamen soli fœtorem non notant, & cùm alijs omnibus sint intolerabiles, sibi soli in re tam fœda non displicent. Habetis in his talibus Luxuriosi hominis imaginem. Quemadmodum enim, qui sobrij sunt, redundantis illius vini fœtorem sentiunt, non item, qui illo sunt ebrij; ita Sancti, & alij omnes boni infinito odio omnem sensuum spurcitiem persequuntur; cùm contra illi, qui libidine inquinati sunt, quantumcunque coram Deo & hominibus plusquam morticinum fœteant, fœtoris nihil quidpiam percipiant, ac dicant: quid mali est sensuum quædam fragilitas? omnium, quæ facit homo, malorum minimum est. Videamus nonnihil, an ab hujusmodi ebriorum cerebro fumosas has exhalationes excutere valeamus, quibus

quibus miseri ita rationem obfuscant. Dicunt, parùm mali Luxuriæ inesse: ego contrà illis ostendam, nullum malum magis esse formidabile, cùm hoc frequentius longè, quàm alia peccata omnia, manifesto damnationis æternæ periculo hominem exponat.

II. Adeste igitur vos omnes, qui asseritis, Libidinem inter omnia hominum vitia esse minimum. An affirmatis, Luxuriam peccatum esse mortale? quod si negatis, hæresis rotam non effugitis, & Sacris Paginis manifestè contradicitis, quæ libidinosos locis compluribus à regno Dei excludunt. *Nolite errare. Neque Fornicarij, neque Adulteri, neque Molles, neque masculorum Concubitores Regnũ Dei possidebunt.* 1. Cor. 6. 9. Ita protestatur Apostolus. Si autem inter peccata mortalia accensetis, quâ ratione affirmatis, Luxuriam inter exigua esse mala, quin hoc ipso, non Fidei tantùm, sed & Rationi repugnetis? Exiguum malum peccatum mortale? *Peccatum in Deum commissum quandam infinitatem habet ex infinitate Divinæ majestatis, tanto enim offensa est gravior, quanto major ille, in quem delinquitur.* S. Tho. 3. p. q. 1. a. 2. ad 2. Ait. S. Thomas. peccatum mortale, cùm sit injuria Dei infiniti, certam quandam malitiæ infinitatem involvit, tantæ deformitatis abyssum, támque diabolicam malignitatem, ut nulla unquam cogitatio eam sufficienter valeat apprehendere. Et ista malitiæ abyssus, quæ fundum non habet, exiguum ac modicum vobis malum videtur: Itáne verò? Animis vestris subijcite, quòd ad exsolvendum actum minimum, quem contra puritatis leges admisistis, omnes simul Angeli Divino se tribunali sistant, & ad pedes Throni Divini inflammatissimum suum amorem, tanquam lytrum, aut summam capitalem, deponant; Patriarchæ omnem suam fidem; Prophetæ suam fortitudinem, Apostoli prædicationem suam & itinera, suum Martyres Sanguinem, Puritatem Virgines, Episcopi solicitudinem, Pœnitentiam suam Confessores: adijcite insuper totam Sanctitatem, quæ transcendit omnem æstimationem, Magnæ Matris Virginis; totus iste meritorum omnium cumulus in unum collectus tanti non foret pretij, ut vel unicum lascivum contuitum ex innumeris, quos hinc inde defigitis, condignè valeat expungere: & si eundem thesaurum toties, imò pluries geminaretis, quàm stellæ in Firmamento resplendent, necdum æquaretis debitum; cùm hoc sit infinitum, finita autem Satisfactio; unde ad complendam solutionem minus aliquid, quàm quod Christus Jesus Dei Filius de suo posuit, non sufficit. Et debitum tam grande tam exigui in bilance hominum ponderis habetur, ut pro vili levíque habeatur? O bilancem, verè mendacem! *Mendaces filij hominum in stateris!* Lessius l. 13. de Perf. Div. n. 187. S. Tho. l. c.

III. Quod si autem Luxuriæ peccatum non absolutè, sed comparativè tantùm pro parvo à vobis habetur; hoc est, non modicum quidem in se, sed ut alijs peccatis mortalibus com-

Paratum, vehementer etiam in hoc erratis: nam etiamsi hoc veritati foret consentaneum, quâ ratione exiguum vestrum hujus peccati horrorem excusaretis? Quid enim interest, sive ex alta turri, sive ex loco aliquo humiliore decidatis, si caput æquè in uno, ac altero casu frangitis? Mors quælibet, mors est, undecunque proveniat, & omnis culpa mortalis, culpa mortalis est, seu talis, ex qua Anima in exitium æternum, quæ mors ipsius est, ruat.

IV. In hoc insuper fallimini non modicè, si credatis, Luxuriæ peccata esse naturâ suâ omnibus alijs mortalibus minora, nisi alio ex capite aggraventur. S. Thomas Doctor Doctorum clarissimis argumentis demonstrat, libidinem naturâ sua, solo homicidio excepto, omnibus alijs sceleribus, quibus proximus impetitur, esse gravitorem, detractione etiam, & furto; siquidem Luxuria bono ipsius vitæ opponitur, detractio verò & Furtum bonis famæ & fortunæ, quæ bona ambo bono vitæ inferiora sunt, atque ideò soli homicidij malitiæ cedit: hoc enim vitam aufert & ipsum esse tollit illi, qui ad vitam jam natus est. Luxuria autem, etsi esse nato non auferat, nascituro tamen esse inhonorum, inordinatum, & illi, quod natura intendit, contrarium affert: hæc enim odit vitam, & esse nulli proli dare, nisi, quantum in se est, eidem etiam præparârit bene esse. Quibus igitur in Scholis Theologiam hanc vestram perversam didicistis? quæ loco ultimo, inter cetera peccata, peccatum luxuriæ reponit? Forsan in tenebris illis obscurissimæ & infernalis Abyssi? Sed neque hoc credo, cùm ipse Cacodæmon mendacia tam nota ex sua, quantumvis pestilentiæ cathedra, venditare non auderet.

2. 2. q. 154. a. 3.

S. Tho. c. Gent. l. 3. c. 122. &c.

V. Sed ut clariùs hoc periculum æternæ perditionis, in quod Luxuria vos conijcit, vobis innotescat, in hunc modum vobiscummet ipsis disserite. Ad salvandam quamvis animam duæ voluntates requiruntur, Divina altera, altera humana, quæ ambæ in eam rem consentiant. Necessarium omnino est, ut, ne salute excidam, Deus salvum esse me velit; sed & necessarium est, ut salvus ego esse velim: quapropter vitium illud, quod præ ceteris hisce duabus voluntatibus se opponit, eásque reddit ineffi-caces, etiam plus saluti meæ opponitur. Jam, quod Dei voluntatem attinet, licèt illa omne peccatum mortale tanquam hostem suum aversetur, eâqua causâ tantum illud oderit, quantum amat semetipsum, nihilominus contra nullum hactenus majus odium alienationémque ostendit, quàm contra carnis peccatum.

VI. Gravissimi Authores observârunt, collatis omnium temporum historijs, præcipuas quasque orbis terræ Monarchias ob peccatum libidinis ad nihilum redactas fuisse; ut homines, qui summi æstimant alijs dominari Imperijs ac Regnis privati intelligerent, quantum Deus sordes illas & iniquitatem abominetur, quæ ipsum ad hanc de ijs pœnam sumendam impellerent. Nôsse igitur debetis, quin-

quinque ante Christum natum Monarchias extitisse, seu Imperia longè maxima ac præcipua, quæ plusquam cetera fines suos ac limites extenderunt. Prima Monarchia fuit Assyriorũ; *Just in. lib. 1.* cui post annos mille trecentos ac quatuor Sardanapalus libidine sua finem imposuit; qui ita sordidissimo huic vitio deditus erat, ut in grege feminarum à se amatarum vitam ageret, vestiretur ut femina; ut femina filum duceret, & in omnibus feminam referret: quæ causa fuit, ut Belliducum nonnemo in paucis ipsi charus, Arbaces nomine, tantam rei indignitatem non ferens ampliùs, Regno eum exturbaret, aut, ut dicamus veriùs, Divinæ Justitiæ instrumentum se faceret ad eum solio pellendum. Altera Chaldæorum fuit, quæ post annos centum octoginta tres in libidinoso *Dan. 5.* Balthasare expiravit, qui inter Concubinas suas mensæ assidens damnationis suæ sententiam divina manu in pariete exaratam ipse legit, atque eadem ipsa nocte executioni datam dirissima cæde complevit. Persarum fuit tertia, quæ post annos ab origine sua ducentos & octo in Dario Rege eversa est, adeò effeminato etiam ipso, ut Athenæo teste, ab illius morte in palatio regali trecentæ viginti novem feminæ, quæ detestandis ejus voluptatibus servierant, reperræ fuerint. Utque manifestum fieret, ingens hoc Imperium non aliam ob causam fuisse eversum, quàm ob Libidinis vitium, Divina Justitia Alexandro, adhuc dum casto, illud concessit; quem tamen ipsum, ubi turpibus his voluptatibus se dedidit, ad exordium anni septimi, hoc est in medio victoriarum cursu, quin & ipsius vitæ, è solio & vita abstraxit; ita ut per feminas summum illud Imperium amitteret, quod feminas fugiendo occupaverat. Regnum subinde Græcorum in plures Dominos distractum demum concidit in Cleopatra, feminâ tam libidinosâ, ut Meretrix publica dici posset, si Regina nata non esset. Ultima denique, eàque ceteris major, penes Romanos fuit, ut per continentiam acquisita, ita per Luxuriam deperdita, uti pluribus ostendit S. Salvianus Episcopus; qui insuper ostendit, Africam, Hispaniam & Gal- *Lib. 1. de Provid.* liam impudicitiæ sentinam fuisse tunc, cùm à Vandalis diriperentur; qui, cùm boni aliàs nihil haberent, in sua barbarie, casti tamen erant. Unde ut idem Salvianus notat, famosissimis illis cladibus ceu Sanguineis characteribus, Deus mundum docere velle visus est, quanto in petio habeat Castitatem, quanto contrà odio Incontinentiam persequatur. *Ostendere Deus voluit, quantum & odisset carnis Libidinem, & diligeret Castitatem.* Complures alias his similes pœnas possem referre, eásque temporibus nostris magìs vicinas, quas tamen, cùm & hæ forsan rudioribus sint nimiæ, consultiùs omitto. Interim hanc animis vestris veritatem altiùs imprimite, minimè gentium verum esse, quod nonnulli æquè indocti, ac impij effutiunt: *Deus peccatis carnis compatitur; non ignorat, carne nos, non ære constare:* non solùm errant ita ratiocinando

sed è diametro oppositũ prorsus cum veritate concordat : nimirum, quód gravissimæ omnino & cõmunes pœnæ contra mortales non aliud ob peccatum magis, quàm luxuriam statuantur. *Luxuriæ facinus præ alijs atrociori vindicta punitum legimus* S. Thomas Villanovanus scriptum reliquit. Id quod tam apud Doctores receptum est, ut tam ille, quàm alij communiter hoc indicio colligant, quòd peccatum, propter quod Ninivitis eversionem Deus minitatus est: *adhuc quadraginta dies, & Nineve subvertetur*, peccatum carnis fuerit; cùm nullibi stragem adeò universalem in vindictam alterius cujusdam peccati legamus; unde ruinam vastissimæ hujus civitatis, per quam tridui erat iter, nulli alteri, quàm Luxuriæ vitio, verosimiliùs adscribimus, quæ sine fronte per eam liberè grassabatur.

Serm. fer. 4. per. Dom. quadr.

VII. Verùm quid conjecturis opus est, ubi ipsa Scriptura tam apertis rem notis palàm facit? Gemino Diluvio Deus in scelestos animadvertit, ignis uno, aquæ altero, utroque propter grassatam passim libidinis luem. Integræ quatuor civitates, cum agro septuaginta milliaria longo, & novendecim lato (& quod plùs est, non paucæ hominum myriades, qui florentem, fertilem, & Paradisi æmulam Regionem incolebant) uno quasi momento absumptæ sunt igne cælitus delapso in pœnam illorum solummodo peccatorum, quæ vos adeò compassione digna judicatis. Et tamen Deus tam parùm ijs est compassus, ut usque ad saxa omnes illorum plateas ac domos in cinerem redigeret: nunc etiam, post tot annorum millia, in odij illius testimonium, quo Deus Luxuriam detestatur, fructus omnes, qui illa regione nascuntur, sub pulcherimo, quo obteguntur, cortice nil nisi cinerem abscondunt. Hoc tamen, cum illo altero aquæ Diluvio in comparationem nullatenus venire potest, quo Deus universæ terræ sordes venereas voluit eluere, omnibus, si octo demas, hominibus suffocatis. Agebat tunc Mundus in flore quasi suæ juventutis; terra enim hominibus multò ampliùs abundabat, quàm nunc abundet: & hi complexionis erant tantò robustioris, quantò vitæ erant longioris. Qui pauciores vitæ annos numerabant, ad septingentos ascendebant; eorúmque multi tantis támq; robustis erant corporibus, qualia illorũ fuisse necesse est, quos Sacræ Paginæ Gigantes compellant. Præterea omnes tunc temporis matrimonio se illigabant, multi etiam conjuges sibi plures asciscebant: unde factum, ut sola Jacobi familia in Ægypto non integris quatuor sæculis in tantam multitudinem excresceret, ut ex ea sexcenta millia bellatorum, non numeratis senibus, fœminis & parvulis recenserentur. Et hoc, postquam multò arctiore spatio mortalium vita erat definita. Unde colligi facilè potest, quanto numero intra mille sexcentos quinquaginta sex annos, à condito Mundo ad diluvium elapsos, quo ipso tempore adeò vita protrahebatur, terram incolæ habitârint. Et tamen tanta, & quæ omnem fidem superat, multitudo hominum

V. Corn. in Gen. 6. 19. n. 22.

Lessius l. 13. c. 6. de perf. div.

num, cùm de punienda eorum luxu-
Salviã. ria ageretur, nullum in bilance Divi-
Anno næ Justitiæ omnino pondus habuit.
1656. Eodem tempore, quo suis voluptatibus frena laxabant, & suis vacabant cupiditatibus, mense Majo, quo libido magis exæstuat, cataractæ cæli apertæ sunt, & tam copiosa, quadraginta dierum, & quadraginta noctium pluvijs, aqua decidit, ut montes om-
Matth. nes transcenderet, hominésque &
24. 39. animantia, ipsámque etiam terram, centum quinquaginta dierum spatio sepeliret: *Venit Diluviũ, & tulit omnes.*

VIII. Considerate igitur tres hoc loco circumstantias, seu adjuncta supplicij longè horridissimi, quæ plurimum ad rem nostram faciunt. Inprimis ipse Deus voluit executor esse; & licèt in circumagendis tam artificiosè Cælorum orbibus, & servando naturæ cursu, cælestium Intelligentiarum operâ utatur, in plectendis tamen libidinosis hominibus Angelos noluit ad-
Gen. 6. hibere. *Ecce ego adducam*, ait, *aquas*
17. *diluvij super terram, ut interficiam omnem carnem*; ut ne unquam homines sibi persuaderent, in hac tam universali inundatione aut suas cæli stellis partes fuisse, aut tempestatum anni intemperiei, aut Angelorum, qui hæc
c. 7. 4. curant, ministerio. *Ego pluam*, (ait denuo septem diebus antè, quàm diluvium immitteret) *Ego pluam*, quasi timeret, ne caro suo Noë nondum satis persuasum esset; pluviam hanc non alterius, quàm Divinæ suæ Justitiæ immediatum effectum esse: & quia huic Justitiæ integra debebat satisfactio præstari, ipse DEUS voluit Arcæ fores occludere ac pessulum obducere: *& inclusit eum Dominus deforis.* c. 7. 16.
Ut scilicet illi pauci, qui in hac navi salvi evadebant, miseratione moti non possent quemquam infeliciter naufragantium, & illorum opem implorantium recipere. Fateamur igitur oportet, vehementer ipsum DEUM sibi cordi habuisse communem hanc perditè lascivientium eversionem, cùm, quæ ad hanc faciebant, omnia propria quasi manu exequi voluerit.

IX. Præterea etiam tempus, quo supplicium hoc duravit, summam Dei solicitudinem commonstrat, quâ Deus ad castigandum hoc vitium ferebatur. Nam quadraginta dierum pluvijs copiosissimis non solùm omnes, qui extra Arcam erant, homines sustulit: *tulit omnes*, sed etiam, ut dixi, omnes montes universæ terræ aquis mersit eâ undarum abundantiâ, ut altissimos & inaccessibiles alpium vertices quindecim cubitis transcenderent: voluit insuper, ut post extinctos omnes reos, aquæ centũ ipsos & quinquaginta dies super eorum capitibus consisterent, quasi odium, quod Deus in Lascivos conceperat, nec dum tanta strage editâ ex toto fuisset extinctum. Haud aliter fere ac homo irâ efferatus solet facere, qui postquam hostem suum prostravit, confecitque, sæpius tamen ad eum vulnerandum redit, figit ac refigit denuo in occisi pectore gladium, quasi indignans, quòd non nisi una morte inimicũ possit de medio tollere.

X. Tertia denique funesta circumstantia universalis hujus supplicij ex verbis eruitur, quibus DEUS usus est

ad

ad exprimendam gravitatem culpa-
Gen. 6. 7. tum à se vindicatarum. *Tactus dolore cordis intrinsecus delebo inquit, hominem quem creavi, à facie terræ: ab homine usque ad animantia: pœnitet enim me fecisse eos.* O verba horrifica! Ira
S. Aug. Civ. l. 15. c. 25. Divina non est ut ira nostra, hoc est, passio quædam, quæ turbet animum; judicium est tranquillissimum, quo infinitum in peccata odium concipit, eáque pœnis ad rectum rationis ordi-
Sap. 12. 16. nem reducere molitur. *Tu autem cum tranquillitate judicas.* Et tamen, ut hominibus notum fieret, quàm abominabilibus se spurcitijs fœdâssent, hisce modis loquendi utitur sibi tam improprijs, pœnitentiæ scilicet, horroris, doloris etiam altissimi: quos ille in nullo hactenus plectendo scelere usurpavit: ut scilicet mortales omnes, etiam deinceps nascituri, pernicioſissimam hanc persuasionem dedocerentur, quâ facilè inducuntur, ut hoc peccatorum genere, ceu minùs gravi, se contaminent.

XI. Interim vellem, ut in his profundissimis undis tanquam in speculo inconsultæ illæ feminæ se contemplarentur, quæ tantâ se facilitate seduci ab illis patiuntur, à quibus audiunt, peccata Libidinis ex omnibus, quæ in mundo fiunt, peccatis esse minima. Certum est, quòd Divina Nemesis brachio nunquam fortiore hactenus mortales flagellârit; siquidem in hac inundatione non aliqui illorum tantùm, sed omnes periêre, octonis tantùm salvis: non ob Idololatriæ crimen, quo Mundus necdum involutus erat, nec in pœnam Blasphemiæ, Perjurij, Sortilegij, Detractionis, Fraudis, Furti ac Homicidij, sed unius Luxuriæ. *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: id est nimis implicatus peccatis carnalibus*, ut ibidem Gloſſa loquitur. Si supplicia à Deo immissa signa indignationis sunt, ad quam illum peccata nostra concitaverunt, cum veritate dici potest, peccata Impudicitiæ Deum ad implacabilem detestationem commovere, cùm videamus, nulla æquali rigore mulctari. *Nisi Deus gravissimè hujusmodi libidinibus offenderetur, nunquam tam atroces in Libidinosos exercuisset vindictas*: concludit sanctissimus pariter ac sapientissimus Valentiæ Archiepiscopus suprà adductus.

XII. Verùm cur tanto peccata carnis horrore Deus aversatur, inquiris, cùm animum, quamlibet serenum, hæc passio non desinat stygiis vaporibus offuscare? Quæritis: cur? an vosmet ejus rei causſa laret? summa nimirum dissimilitudo hoc efficit. Sicut enim amor in conformitate & convenientia fundatur, ita in difformitate & inconvenientia fundatur odium. Propterea ignis tanta alienatione ab undis dissidet, ut cùm unâ tantùm aquæ stillulâ fuerit perfusus, illico strepitum cieat, & nullatenus tolerare valeat; non alia de causa, quàm quòd cùm Aqua naturâ suâ pugnet, & qualitatibus repugnantibus præditus sit. Cùm igitur Deus Spiritus sit purissimus, cùm videt Animam totam quantam in carnem degenerare, hoc est spurcam totam, totam immundam, suæque puritati ex toto oppositam, tantam concipit ab eo alienationem, ut nisi sua eum pietas retineret, ad primum Impudi-

ciriæ

citiæ peccatum illico terram sub delinquentis pedibus aperirer. An ignoratis, quid faciant, qui munditiei sunt præ alijs studiosi? ad omnem nævum, ad minimam maculam cohorrescunt. Si nobilis puella quæpiam, cùm mensæ assidet, capillum in catino quopiam observat, toto illo mane nihil quidpiam degustat: imò si de cadavere, de morbo, aut medicamento mentio solummodò incidat, sola illa mentio rei horridæ ad nauseam ac fastidium illam commovet.

Epist. ad Comitis. Blanc. Ap. Baron. A. 998. *n.* 20. De tali quadam S. Petrus Damiani refert in Epistolis, eam nunquam voluisse manus aquâ alijs communi lavare, imò nec panem, nec pomum in mensa voluisse contingere; adeò formidabat digitorum suorum extremos apices illa contingendo conspurcare; & ideò, cùm ori quidpiam admoveret, aureâ illud fascinulâ inferebat. O beatam si tanto animæ puritatem studio adamâsset, quanto manuum suarum munditiem servavit! Sed ad propositum revertamur, & ex hoc inferamus, quantum Deus omnem in nobis obscœnitatem abominetur, & quantum etiam nos illâ infectos debeat abominari! Quantum Deus puritatem suam amat, hoc est, amore infinito, tantum impuritatem nostram odit, odio scilicet pariter infinito.

XIII. Ex hoc modo facilè colligetis causam, ob quam Christus Dominus, cùm miserijs nostris famis, frigoris, caloris, sitis, defatigationis, & somni se subjecisset, nollet tamen à Matre, ejusdem cum alijs conditionis nasci, sed talem eligeret, quæ Mater simul & Virgo, eáque totius mundi purissima foret: Odium scilicet illud fuit, quod omnem etiam impuritatis umbram aversabatur. Quæ etiam causa fuit, ut nollet unquam à Sathana ad actum minus honestum solicitari, & quantumcunque peccata, ut ita dicam, spiritualia carnalibus graviora sunt, sustinuit tamen in deserto Avaritiâ, Gulâ, Ambitione, Idololatria & hujusmodi vitijs impeti, nullâ tamen, tametsi minimâ obscœnitate, tentari se passus est. Hinc etiam non permisit, ut ne à longè quidem sui eum inimici hujus criminis accusarent, utut aliàs livore correpti. Imò etiam ex Discipulis suis neminem passus est de hoc scelere accusari. Ex hac ipsa etiam causa, cùm pluries toto trium annorum tempore ad concionem diceret, ne una quidem vice impuritatis mentionem inferre voluit, quasi dedignaretur hoc vitium cominus impugnare, ne scilicet hoc monstrum propiùs contueri deberet. Quo nobis manifestè innotescere voluit, quantum ab hoc genere iniquitatis abhorreret, si non omnium gravissimæ, saltem abjectissimæ, & omnium maximè homini erubescendæ, atque præ omnibus alijs sceleribus exprobrabili, propterea, quòd homo pensi non habens, esse similis Deo, cujus imagine insignitus est, malucrit in Brutum degenerare. *Homo, cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*: non dicit, *natus*, sed factus; hoc enim

S. Thom. 2.2.q. 142.a. 4. Ps. 48. 16.

enim summum hominis opprobrium est, quòd, cùm Brutum origine sua non sit, dignitatis suæ oblitus, velit esse libidine; id, quod Sanctus Hieronymus indicavit: *Nihil vilius, quàm vinci à carne.*

XIV. Sed quid miramur id, quod Christus Servator hac in re præstitit, cùm vel Cacodæmon, utut aliàs ad culmen effrenatæ perversitatis perrigerit, hoc vitium erubuerit; in quo libido carnalis locum non habet, nisi modo quodam ascititio. Unde sciendum vobis est, quâ ratione Cacodæmones illi, qui antequam Cælo exciderent, nobilioris erant naturæ, nunc, cùm Diaboli sunt, excellentiæ suæ naturalis non obliti, etiam in hominibus carnis vitium abominentur; & ideo, quæ mens est S. Thomæ, Christus in deserto peccato carnis tentatus non fuit, quòd Sathanas, qui eum tentavit, erat omnium primus ac præcipuus, nimirum Lucifer, quem sua superbia ad tantam vilitatem non demisit; haud aliter ferè ac Princeps Latronum, qui in suo etiam latrocinandi munere, in aliorum latronum turba nescio quam observat authoritatem, nec ad quamvis, sed nobilem tantùm capessendam prædam cum ijs prodit. Verum itaque est, quòd, cùm multi Infernales Spiritus in immunditia hominibus persuadenda occupentur, nonnisi ignobiliores, omnium vilissimi & quasi stabularij, ad hoc officij destinentur. Imò quod mirabilius est, etiam hi ipsi omnium infimi spiritus nequeunt propudiosis istis se impendere suggestionibus, quin aliquem horrorem naturalem commonstrent, excitatum in ipsis à naturâ pessimâ quidem ac perversâ, sed valde nobili. Unde femina quædam, cùm in occulto cor & corpus suum immundissimo vellet scelere commaculare, ambigua in luce Cacodæmonem in suo cubili vidit, qui eam impuritatem stomachatus multa cum exprobratione exclamavit *Vah! Pfui!* & semianimem timore ac tremore, ut ipsamet Thomæ Contipratano retulit, reliquit. Hinc facilè cognoscetis, quantum obscœna hæc Libido abyssо puritatis nitidissimæ ac mundissimæ, DEO inquam nostro, displiceat, cùm illa intolerabilis ipsis etiam Dæmonibus videatur; qui proinde eam amant, & horrent, cùm nullam impuritatis speciem refugiant, quâ animas venentur; sed prorsus ea ratione, quâ Venatores, qui stercore Pantheras alliciunt ac capiunt. Referunt de Panthera, rem quidem auditu sordidam, non nego, sed hoc ipso ad argumentum nostrum magis appositam; & est, quòd truculenta hæc bellua tanta cupiditate hominis excrementa expetat, ut, cùm hæc loco alto suspensa sunt, quo odoratu quidem, non autem pedibus pertingere valeat, ita se jactet, ita se in altum vibret, saltibus verè lethiferis, ut ex nimia spirituum vitalium profusione denique concidat & moriatur. *Enecat se defatigati projectu corporis. Ita multis, quod fœdissimum, dulcissimum est.* Jam quemadmodum Venatores, qui feræ hujus appetitum nôrunt, à spurcitijs

l. 5. de Erud. Princ. c. 51.

l. 2. d. punct. 39.

Plin. l. 8. c. 17.

citijs quidem, quas illicij gratiâ per retia disponunt, tanquàm fœdis abhorrent, simul tamen eas amat, tanquam venationi suæ peraccommodas; ita Cacodæmones, qui in Libidinosis insanam sensualium voluptatum cupiditatem observant, eodem tempore eas tanquam longè infra rationalis naturæ dignitatem positas detestantur, & simul amant, tanquam idoneas, quibus animas sibi inimicissimas deprædentur. Simpliciter autem loquendo horrent & aversantur sine dubio plùs, quàm ament (id quod ex adducto Venatorum exemplo clarum est) quia illas horrent secundùm id, quod sunt in se, nempe naturam: amant autem tantùm secundùm id, quod ab ipsis per accidens nascitur.

S. Tho. 1. p. q. 63. ar. 2. ad. 1.

XV. Sed ut illuc revertamur, unde digressi sumus, nempe ad in vestigandam causam, ob quam Deus Luxuriosos tanto odio habet, insuper considerandum est, quòd hoc odium ex peccatorum numero sine numero concipiatur, quæ à Luxuriosis identidem committuntur. Dæmon, qui ad Luxuriam pellicit, in Scripturis Asmodæus vocatur, quæ vox juxta linguæ Hebraicæ proprietatem, *Abundantiam peccatorum* significat; siquidem Luxuriæ vitium seminarium est millo noxarum ferax. Fur non furatur quotidie. Latro totâ suâ vitâ quandoque ad senarium homicidiorum non pertingit. Lusor in Blasphemias prorumpit; sed non, nisi ùm fortunam in ludo adversam habet. Opifex ad ebrietatem potat; sed diebus tantùm populo solennioribus, qui verò Impudicitiæ se dedidit, tot quotidie sceleribus se inquinat, ut tota ejus vita torrenti fœtentissimarum aquarum comparari possit, in quo semper unda undam trudit. Cogitationes: aspectus, nictus, annutus, verba: vix aliud miseri dies totos agunt. Horum comparatione parvus est operum numerus; licèt is ipse tantus sit, ut cùm ad Confessionem venitur, iniri ab ipsis non possit. Quid adhuc? Ipse somnus ab hac peste immunis non est, quæ tamen vitæ pars omnium deberet esse innocentissima: nam cùm dormiunt, iniquissima prodeunt phantasmata, & in imaginationis se scena sistunt Animæ, quæ cùm vivacissimis à Dæmone coloribus depinguntur, ultimam quasi manum accipiunt, cùm ab experrectis consensu approbantur. Ita dici potest, quòd in alijs vitijs Cacodæmon hamo piscetur, cùm prædam nonnisi exiguam diebus etiam opportunissimis apprehendat; at in lacu obscœnitatis piscatur retibus, iisque tam amplis, ut pauciissimi omnino sint, qui felici fugâ ea devitent: *Totum traxit in sagena sua & congregavit in rete suo*, ait Propheta, usque adeò, ut parùm absit, quin malignus hic Spiritus hisce suis retibus totius humani generis victor evadat, ac Dominus: nisi opinionem Sancti Isidori omnino reijcere velimus, dicentis: *Magis per carnis Luxuriam humanum genus subditur Diablo, quàm per aliquod aliud.*

Tob. 3. 8.

V. Corn. in Tob. 3. §. Secundo Asmodæus.

Hab. 1. 15.

2. De Sum. Bono c. 3.

XVI. Accedit, quòd Deus in Luxuria vestra non solùm vestrum pec-

catum respiciat, sed omnia etiam aliorum, quibus id quasi gravidum est. Unde ex tali capite sine numero & mensura rationes excrescunt, quæ Deum à vobis in abominabili hoc statu positis averţant. Explico me. Induxistis actu quodam obscœnō innocentem quampiam animulam, & cùm ad Confessionem peccatorum vestrorum accederitis, scelus illud, ut peccatum unum unicum Sacerdoti explicatis, cùm tamen Deus modum numerandi longè alium teneat, Videt ille, quòd Anima illa illibata ac innocens, impurissimâ vestrâ linguâ, & impudicissimis manibus pudicitiæ suæ jacturam fecerit; decies de die impuram illam voluptatem animo repræsentet, quam antè nunquam degustârat, eámque in corde suo approbet, amet, & acceptet, novámque occasionem inquirat, quâ labra possit poculo tam noxiō admovere, cujus dulcedinem appetit., venenum non advertit. Et sic in immensum noxas auget misera, quæ ad anni finem denique plura millia excedunt. Matrimonio constrictam à thoro maritali ad libidines tuas traducis. Hoc, tui quidem judicio, Adulterij peccatum est nonnisi unicum; at non ita judicio Dei. Videt Deus, quòd Matrona illa antè verecunda & modesta, dies integros intra domum suam exegerit, intenta familiæ suæ regundæ, at ubi per te seducta est, positâ omni verecundiâ toto die virorum confabulationibus assistit, filiabus etiam adultis liberas habenas laxat, partim quòd non possit illam ab ijs modestiam requirere, quam ipsa perdidit; partim quia alienam salutem non curat, quæ etiam suam negligit: unde consequi necessum est, ut filiæ pessum eant, & integræ familiæ, ubi filiæ malè moratæ viris olim traditæ fuerint, subvertantur. Videt, inquam, Deus, longam illam calamitatum appendicem à vobis nec præviſam, nec pœnitentiâ expiatam, quam funestissimus Adulterij vestri Cometa post se trahit: & tamen, cùm Confessario vos accusatis, nonnisi fortuitam quandam in Cælo Rationis vestræ ordinis turbationem exponitis. Ita pariter cùm Virgini pudicitiam suam quis eripit, prædo iniquissimus, nonnisi unum sacrilego hoc furto peccatum admisisse sibi videtur; at non ita de vobis Judex vester sententiam feret, qui considerat, quòd Puella illa, ut infamiæ notam, infelici partu incurrendam, à se amoliatur, mille vias modósque inquirat, quibus prolem, quam sinu gestat, antè occidat, quàm in lucem enitatur; & post multa sumpta experimenta eò denique deveniat, ut fœtum non temporali tantùm sed & æternâ viâ privet, abortum procurando. Quòd si autem attentatum homicidium non succedat, quanta in domo jurgia! quanta inter familias dissidia? quanta in populo murmura? qui strepitus? quod scandalum? Non rarò evenit, quòd hujusmodi Juvencula, ubi verecundiam posuit, tori quandoque patriæ ruinam accersat, & universali cuipiam Libidinis incendio præbeat alimentum. *Ne prostituas filiam tuam, ne con-*

contaminetur terra, & impleatur piaculo : ait Dominus ; quibus verbis ve-
Lev. 19. 29. ritatem illam declarat, quòd unius malæ fæminæ emortuum corpus ad integrum aliquem populum, antehac sanum, inficiendum sufficiat. Et sic omnia ista peccata tam generalia, tam gravia, tam numerosa in illo peccato Deus videt, quod vobis unicum, idque modicum videtur, quòdque ex aliqua fragilitate humana, atque infirmitate fiat. Tantò plura Dei oculis, quàm vestris, se objiciunt.

XVII. Homo rudis & inexpertus, qui fascias pestiferi cujusdam ulceris contuetur, aliud non aversatur, quàm pus illud, quod inde promanat ; sapiens autem Medicus multò magis latentem illam mortem horret, quam in fascijs ad plurimorum exitium reconditam animadvertit : námque sagaci oculo perbene in illis centonibus malè cognitis plurium provinciarum stragem prævidet, si non confestim igne absumantur. Eandem in peccatis obscœnis Deus methodum observat. Et si hanc observat, an mirabimini postmodum, si ea cum demonstratione horroris insoliti abominetur ?

XVIII. O ! Quàm & vos judicia vestra immutabitis, cùm post paululùm ad Divinum tribunal fueritis evocati, ubi res innumeræ, quæ modò tenebris ignorantiæ involutæ latuerant, deregentur ? Ibi singillatim oculis vestris proponentur gangrenæ vermibus innumeris scatentes, quas nunc tot quæsitis coloribus, & pretiosi etiam metalli specie mendaciter inducta velatis. Jam nunc tempore hoc medio perpendite, quòd, cùm Deus Lascivorum hominum fœditatem immenso odio detestetur, omnino facilè fieri possit, ut eos Regno suo excludat, quemadmodum ore S. Pauli clarissimis minis intentat : *Hoc enim scitote*, ait, *intelligentes, quòd omnis fornicator aut immundus, non habet hæreditatem in Regno Christi & Dei.* Id quod re ipsa Deus efficiet, miserisque efficacia illa Gratiæ auxilia negabit, quibus maximè, ut in Gratia decederent, opus haberent. Quin & Dæmonibus facultatem concedet magis absolutam & amplam, in extremo illo articulo eos tentandi ; Sanctis contrà, ne pro ijs preces fundant, interdicet : *Tu ergo noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam in tempore clamores eorum ad me, & in tempore afflictionis eorum.* Ephes. 5. 5. Jerem. 11. 14

Scitote igitur probè, & *scitote intelligentes*, ne decipiamini credendo, dignum illum esse, qui inter Angelos sedeat in Cælo, qui dignus non est, ut inter bruta animalia stet in stabulo, ob incognitam nonnunquam etiam brutis animantibus fœditatem. Sed & Juvenes isti, istæ Puellæ, inexperti ac rudes non se sinant abduci, & velut in orbem circumagi in re momenti longè maximi, in qua tam facilè omnibus est animæ jacturam facere. *Scitote intelligentes.* Si quis vos ex Diabolis istis humana carne vestitis adoritur, dicitque : Luxuria parvum malum est, facilè confessione expiatur, Lascivis Deus compatitur : hoc eis responsum date,

quod Sanctus Franciscus Salesius impudicæ cuidam feminæ, ipsum juvenem tentanti: dedit; quod illud? Spuro in faciem projecto tergum obvertit. Quod si facere non audetis, saltem animo vestro certum tenete, hosce ad interitum vestrum mentiri. Ps. 80. 16. *Inimici Domini mentiti sunt ei.* Mentiuntur, quando promittunt, necessitatibus se vestris subventuros, quando Matrimonij spem vobis faciunt, quando sincerum erga vos amorem profitentur, omnia in arcano haberi volunt, non nisi summam vobis fidem pollicentur: mentiuntur, inquam, semper; ita enim vobiscum agent, ut cum maturis uvis; hæ tamdiu respiciuntur, dum vino turgent; ubi expressæ fuerint, in vias publicas calcandæ projiciuntur. *Inimici Domini mentiti sunt ei.* Si Dei inimici sunt, pro certo habetote, vestros amicos esse non posse: & si illi fidem in Baptismo datam, multoties in Confessionis Sacramento renovatam, fallere non verentur, quâ ratione vobis persuadetis, fore, ut eandem vobis frangere reformident? & non potiùs terga vobis obvertant, móxque ad aliam æquè stultam ac credulam corrivalem vestram digrediantur? Pernicioſius adhuc mendacium illud erit, quo culpam extenuabunt, facile remedium insinuabunt, periculum, quod gravissimum est, ceu leve explodent, in quo tamen æternam salutem perdere, ac Impudicitiæ, Divinæ Voluntati oppidò contrariæ, præda fieri, antequam periculum advertatis, facili negotio potestis. *Inimici Domini mentiti sunt ei*, & ideo *scitote intelligentes*, non cognoscendi tantùm habitu sed actu, quòd *omnis fornicator aut immundus non habet hæreditatem in Regno Dei.* Paucis: Cælum non patet Carnalibus. S. Th. in 1. ad Eph. c. 5. l. 3.

XX. Restat nunc alterum Sermonis caput, ex quo longè adhuc magis fugienda est, ac timenda Luxuria, quòd nimirum hominis voluntatem, ut salvus esse velit, reddat infirmam ac inefficacem. Quia tamen constitutum mihi est patientiâ vestrâ non abuti, in alium diem argumentum hoc differam, quo attentionem vestram denuo mihi polliceor tantò magis fructui, quem intendo, respondentem, quò majores ex interposita quiete vires sumpserit.

DISCUR-

DISCURSUS XXIV.

Discursûs antecedentis, de Misero Luxuriosorum Statu, materiam prosequitur.

1. Sol sua solus virtute par esset auro in visceribus terræ producendo, nullæ non fodinæ auro refertæ forent: at quia præter virtutem Solis certæ insuper in ipsa terra dispositiones requiruntur, aurum admodum rarum est. Ita ferè se res habet in negotio æternæ salutis nostræ. Si penes solam foret Domini DEI voluntatem, quis nostrûm æternam salutem non consequeretur? Quia verò ille Gratiæ suæ nostram jungi vult operam, hinc paucissimi in mundo sunt, qui salutem obtineant. Ita tamen se res habet: *Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te.* Quòd si igitur Libidinosorum salus tanto in periculo est ex parte Divinæ voluntatis, quanto in periculo manebit, attentis iis, quæ propriâ ipsorum voluntate præstanda sunt? Quàm Deus ex parte sua voluntatem Libidinosis adversantem habeat, dictum est superiore Discursu; nunc porrò declarandum est, quomodo etiam ipsi Libidinosi voluntatem saluti tuæ contrariam foveant, ut vel sic commoveamur ad monstri immanissimi magìs seriam detestationem, quale est Luxuria, Animarum Charybdis. Ut autem, quam ordimur, telam bene longam ritè ac ordine pertexamus, totum, quod à propria voluntate imminet periculum, tria in capita partiemur, ostendendo, Lascivos gravissimo damnationis periculo expositos esse, primò, quia malum suum non cognoscunt: secundò quia etsi cognoscant, non tamen ab illo abhorrent; & tandem, quia etsi abhorreant, inducere tamen se ad seriam emendationem non possunt. Ordiamur à primo horum capitum, quorum quodlibet altero deterius est.

I.

II. Omnia vitia, cùm sint ceu eclipsis quædam rationis, tenebras & noctem in animam inducunt, præ reliquis tamen spissiores inducit Libido, quæ non solùm rationi obtemperare detrectat, *in nullo procedit secundùm judicium rationis*, sed ne audire quidem illam sustinet: unde ex hoc capite à Doctoribus pejor Irâ habetur. *Incontinentia concupiscentiæ est pejor, quàm incontinentia iræ; quia ira quodammodo audit rationem & paret, non autem concupiscentia.* In istis igitur tenebris Anima primò suum ipsa malum non videt; quod si non videt, quomodo medicinam ipsi faciet? Observandum enim est, inter Animæ & corporis morbos hanc intercedere diversitatem, quòd ad valetudinem

S. Tho. 2.2.q. 56.a.4. ad 2. Eth. l. 7. c.6.

dinem corporis reparandam sufficiat, morbum Medico esse manifestum; at verò in morbis Animæ insuper necessarium est, ut mali vis etiam infirmo innotescat: causa est, quòd Animæ, si sana esse velit, necesse est, ut multis liberi arbitrij sui actibus ad suam ipsa salutem concurrat, & auxilia à Deo in tempore subministrata per semetipsam applicet. Qui proinde propriam infirmitatem non agnoscit, quomodo operam dabit, ut illâ se expediat? Potentiæ Appetitivæ Animæ ductum Apprehensivarum sequuntur, & sicut canis, quamdiu feram non videt, aut odoratu observat, se loco non movet; Ita voluntas nostra, bonum, quod non cognoscit, non appetit. Ad particularia descendamus. Ut quis à DEO fortitudinem, quâ tentationibus esse superior possit, adipiscatur; docent Sancti, nullam conditionem magis esse necessariam, quàm Orationem, id quod Christus clarè tradidit: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Quis autem unquam, quem libido excæcavit, ad DEUM se converteret, ut auxilium, ne in tentationes incidat tam sibi pernicioſas, suppediteret, si die noctúque nihil aliud, quàm qua ratione tentari possit, exquirit? Dixit non nemo Medicus ad ægrum siti laborantem solatij gratiâ: faciàm, ne tibi sitis porrò sit molesta: reposuit infirmus: sed ita, ut non omnino tollatur sitis, sed ut sedetur tantùm. Ita infelici Libidinoso accidit, non desiderat (id quod S. Augustinus olim deplorabat) ut illo brutali appetitu liberetur, sed potiùs, ut illum expleat: & ideo non tantùm à Deo non petit, his suis malis liberari, sed timet; & plangit ceu sortem non parùm miseram, quando ob ætatem annis gravem pares Libidini vires porro non habet; tantum abest, ut ipsemet eas extenuare conetur: *Timebam, ne l. 8. me citò exaudires, & citò sanares à Conf. c. morbo concupiscentiæ, quem malebam 7. expleri, quàm extingui.*

Matth. 26. 41.

III. Quin imò Homo impudicitiæ deditus non tantùm mali sui gravitatem non agnoscit, sed nescit insuper, ad quem oporteat Dominum confugere, ut eo liberetur. Observant nonnulli, inter omnes Philosophos non fuisse Sectam, quæ minùs DEUM nôsset, & pejùs de eo scriberet, quàm sectam Epicureorum, qui eò pertigerant, ut aut omnino omnem negarent Divinitatem, aut omnem Divinitati Providentiam. Ratio fuit eadem, qua de agimus; quia inter omnes vitijs obcœcatos non est, qui minùs videat, quàm qui sensuum oblectationem pro suo fine statuit. Tam abjectè hi de DEO sermocinantur, ut de quovis sibi simili homine abjectiùs non loquerentur: nec possunt, aut volunt unquam intelligere, quare is peccatum, quo illi tantopere afficiuntur, usque adeò abominetur. De ipso Epicuro Tertullianus affirmat, quòd Solem non crederet magnitudinem unius pedis excedere. *Epicurus cùm Solem aspicit, Solis orbem pedalem deprehendit.* Ut adeò vastissimum illud corpus, quod Astronomi semidiametris terræ metiri laborant,

borant, cœciſſimus iſte mortalium plantâ pedis ſui examinare non vereretur. Ita ineptum eum reddidêre ad rerum cæleſtium contemplationem oblectamenta illa caduca, quæ ſibi felicitatis ſuæ ſcopum præfixerat. O ſi quis poſſet animum Obſcœnorum hominum introſpicere! quàm ille portentoſas in eo tenebras notaret, quibus miſeri eò deducuntur, ut de Sole Divino non abjectiſſimam tantùm exiſtimationem concipiant, ſed eum omnino intra cordis ſui penetralia negent? Verificantur, ſi unquam, in his, Prophetæ verba funeſtiſſima: *Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem.* Qua igitur ratione exigitis, ut infelices hi eum anixè implorent, quem non cognoſcunt?

IV. Addamus in miſerrimæ cæcitatis hujus complementum, quòd Luxurioſi non ſolùm ea non videant, ac intelligant, quæ ſupra ſenſum ſunt, ſive Deum, qui eorum immunditiam vetat ac prohibet, ſed vident, quod non eſt, aut, ut meliùs dicam, fingunt ſe videre Deum, qui non vetet ac prohibeat: *ut videntes non videant.* Non vident veritatem, vident autem mendacium. Oportet me loqui apertiùs. Volunt Libidinoſi, hanc ſuam opinionem impiam & falſam pro ſana & ſolida divendere; quòd nimirum peccata carnis inter illa, quæ admittit homo, ſint minima; & ideo non contenti illam verbis Scripturæ aut ſtultè, ad finem ſuum expoſitis, aut, ut rectiùs dicam, detortis, & in ſenſum longè alieniſſimum à vero perverſis, confirmâſſe, eò pertingunt, ut impiè ſpargant inter Juvenes deterrimum errorem; quod ante Concilium Tridentinum peccatis gravibus fornicatio adnumerata non fuerit; & ſic, ut cupiditati ſuæ patrocinentur, confundunt duas, eáſque diverſiſſimas inter ſe ſententias, unam, quâ tractatum in Conſilio fuit, an Sacerdotibus conveniret conjuges permittere (id quod ſæpius ventilatum, nunquam concluſum fuit) alteram, quâ quæritur, an peccatum ſit, nec ne, feminam ſolutam cognoſcere? quæ ultima quæſtio nulli eorum Patrum in mentem venire poterat, multò minùs, ut quis eam, niſi riſum pro approbatione vellet, publicè proponeret: cùm ex Sacris Paginis ſatis apertè conſtet, quòd fornicatio jure etiam naturali prohibita ſit, quódque (ut pluribus S. Thomas demonſtrat, qui tamen plusquàm duobus integris ſæculis ante Concilium vixit) non ſit ex illo operationum genere, quæ malæ ſunt ideo, quia prohibitæ; ſed illarum, quæ interdictæ ſunt, quia malæ ſunt: cùm directè ordini illi adverſentur, quem natura, dum hominem in mundum introduxit, intendit. Sed non nunc primùm perverſiſſimæ hæ linguæ in orbem invectæ ſunt; pridem fuerunt; ita ut Gentium Doctor coactus fuerit, mendacij eos coarguere, qui idipſum jam tunc diſſeminabant. Hinc ad Epheſios ſcribens monet: *Nemo vos ſeducat inanibus verbis,* quòd peccata carnis levia mala ſint: *Propter hac enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.* In quem locum S. Thomas prorſus ſubtiliter commentatur, quòd

S. Tho. 2. 2. q. 154. ar. 2. & ſuppl. q. 65. art. 3.

Eph. 5. 6.

quòd Apostolus de nullo alio peccato suos moneat, ut ne inanibus verbis seduci se patiantur. *Notandum, quòd in vitijs carnalibus solùm docuit vitare seductionem.* Et causa est, *quia à principio, ut homines possent liberè frui concupiscentijs, cogitaverunt invenire rationes, quod fornicationes & hujusmodi venerea non essent peccata.* Discite hinc, an verum sit, Lascivos non videre veritatem, videre autem mendacium: *vident mendacium*: nec contenti illud videre soli, omnem movent lapidem, ut falsitas pro veritate habeatur. *Seduxerunt populum meum in mendacio suo.* Quid igitur sperari boni de tenebris adeò palpabilibus potest? Infelicissimus ille fœtus est, ajunt Astrologi, qui in lucem magnæ cujusdam Eclipsis tempore effunditur. Hujusmodi fœtum Libidinosi in mente gestant: *Ebrietas & fornicatio auferunt cor.*

S. Tho. in ep. ad Eph. c. 6. l. 3.

Ezech. 13. 8.

Jerem. 23. 32.

Oseæ 4. 11.

II.

V. Fingamus autem, non ad eam Vitium vestrum cæcitatem pertigisse, quæ, ne malum vestrum agnoscatis, impediat. Imò concedamus, indulgere illud vobis integram mali cognitionem. An ideo minùs quàm illos timere vos oportet, qui illud non cognoscunt? Nihil minùs. Quid enim cognitio illa præstat, si ad seriam vos pœnitentiam non manu ducit? Et hoc est secundum caput, ex quo tam facilis vestra redditur damnatio; scilicet obduratus ad pœnitentiam animus. Infantes omnino inhabiles nascuntur, ut se juvent, nisi quòd à natura fletum loco armorum acceperint, quo se defendant, matrésque ad compassionem ita commoveant, ut promptæ accurrant, eisque necessaria subministrent. Tales omnino Peccatores sunt, si animum spectes, quales sunt Infantes secundùm corpus. Nudi sunt, inermes, omni auxilio destituti: nisi quòd suis lacrymis Divinam possint Misericordiam flectere; adeò, ut si etiam his abstineant, aut priventur, spem omnino nullam salutis suæ retineant.

VI. Tres proin causæ sunt exigui, aut nullius sensûs, quo Immundi de suis sceleribus afficiuntur. Prima est illa cæcitas superiùs deplorata. *Post quam ostendisti mihi*, ait Propheta in persona peccatoris, *percussi femur meum, confusus sum & erubui.* Post quam, ô clementissime Deus! videre me fecisti delicti mei enormitatem, illico ex animo dolui, meipsum erubui, confusus & compunctus sum, illámque juventutis meæ dissolutionem opprobrio mihi duxi, quam inter jocos numerabam. *Confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* Ut adeò omnis dolor, quem in se Prophera expertus est, cognitioni adscribatur; unde si in infelicibus his carnis mancipijs illa mentis cæcitas persistat, consequi necesse est, ut etiam cordis duritiei perseveret, mirâ prorsus consensione, ut, cùm tenebræ se intendunt, etiam gelu recrudescat.

Jerem. 31. 19.

VII. Altera hujus indurationis causa ex frequenti peccatorum iteratione, quâ Impuri in scelere radices agunt, originem ducit. Constat enim, omnia illa in eorum Animabus repe-

reperiri, quæ ad agendas altiùs radices requiruntur, actuum scilicet multitudinem & intensionē. De intensione constat: si enim ullæ operationes intensæ sunt, sunt illecebrosæ, & inter has maximæ, quæ ad tactū referuntur, utpote quæ à natura in homine ordinantur ad generis conservationem; nec ad conservationem eo modo, quo illi bene sit, id quod ex actionibus visûs, auditûs & odoratûs percipit, sed quo simpliciter sit. Et Intensioni quidem *S. Th. 1. 2. q. 31. a. 6.* actuum meritò dicimus, quòd huic in Imundis etiam par multitudo respondeat. Major illorum pars, si res bene examinatur, *erraverunt ab utero*, adeò maturè incipiunt malè agere, ut videantur vitium non discere, sed ex ipsis matrum visceribus secum ferre. *Erraverunt ab utero*: sicut serpentes, qui cum veneno nascuntur, & antequam dentes habeant, quibus intoxicent, jam toxico turgent. Malæ pueritiæ succedit pejor Juventus, & quod est magis deplorandum, in ipsa virili ætate, in ipsa etiam senectute, nec hilum refrigescunt, & instar Ætnæ conjungunt foris apparenti pilorum caniciei incendium Concupiscentiæ, quod sinu fovent. *Prov. 2. 16.* *Adolescens gradiens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Qui hoc impuro igne ardent, nunquam nisi ætate planè fracti, ad flammas suas restinguendas perveniunt. Quis igitur, actuum multitudinem, toties singulis diebus aut hebdomadis repetitorum ad calculum revocabit? Non sine ratione S. Petrus Peccatum immunditiæ, delictum incessabile appelavit: *Oculos habent plenos adulterij, & incessabilis delicti*: nec contentus fuit illud vocare *non cessans*, quia in consideratione magni peccatorum numeri, quæ omni sua vita multi committunt, non solùm peccatum hoc non cessat, sed non posse cessare videtur, adeò transiit in naturam. Erit nonnemo Juvenum, qui cogitationibus, verbis & operibus inhonestis de die minimùm decies peccet. Et sic in mense ad trecenta, in anno ad ter millenis plura Luxuriæ peccata pertinget. Quòd si jam longo tempore sceleratum hunc vitæ tenorem continuet, quis dicendo explicet, quantum inveterata hæc peccandi consuetudo in tanta actuum multitudine & intensione confirmetur ac invalescat? Et quomodo postmodum persuadere vobis poteritis, quòd isthæc hominum fæx ita in promptu habeat scelerum suorum detestationem, cùm ad confessionem peragendam venitur? Nimis hoc est difficile. Ipsæ etiam vestes in saxum conversæ sunt, quòd longissimo tempore in tumulo lapideo latuissent. Ista invereratorum habituum tyrannis est; quòd transeant in naturam, *Plin. l. 36. c. 17.*

Jerem. 31. 15.

2. Pet. 2. 14.

VIII. Tertium denique impedimentum, quod à vera cordis contritione Luxuriosos revocat, versatur in hoc, quòd toto animi conatu idipsum abominari debeant, quod omni contentione peccando inquirunt. Attendite, magni enim hoc punctum momenti est. In alijs peccatis homo non quærit directè id, quod Deus prohibet, sed solùm indirectè. Qui

exempli gratiâ nomen Domini blasphemat, plerumque non vult Divini Nominis contemptum, sed iræ suæ exonerationem, quam ut obtineat, ceu medium arripit, tumido quodam ac horrido impetu, blasphemiam. Qui usuram exercet, non vult directè damnum proximi, sed suum lucrum; unde si emolumentum illud absque proximi detrimento habere posset, longè libentiùs id haberet. Et sic discurrite per alias peccatorum species, quæ committuntur ab amante, Corrivalem occidente, à latrone viatorem interficiente, à perjuro coram suis Magistratibus. In peccato autem Libidinis non ita. Id quod Deus directè prohibet, est delectatio extra matrimonium illicita; & hanc delectationem directè quærit cor lascivum. Unde cùm quis furatus est, de damno proximi dolere potest, absque eo, quòd in genere cesset divitias apperere; non ita, qui Libidine peccavit, dolere potest, quin relinquat amorem voluptatis directè intentæ, non solùm ut delectatio est ac voluptas, sed ut voluptas sensus est, ac carnis. Et hinc gravissima difficultas exsurgit, quam malè assueti experiuntur in vero circa hoc peccatum dolore excitando: siquidem totum quasi cor sùs déque vertendum est, & id supra omne malum fugiendum, quod paulò antè super omne bonum fuit amatum.

IX. Atque hoc paulò antè indicavi. Ab extremo enim ad extremum transire, non adeò est difficile: difficillimum autem ita statim & sine medio transire, ut qui heri impuris flammis ardebat, hodie totus in lacrymas diffluat, quibus illas extinguat. Et non videtis denique ipsâ vestrâ vos experientiâ convinci? Quoties in hoc casu, quo in peccata vestra inquiritis, ut ea Confessione expietis, ad complacentiam in illis habendam incitamini; & quoties, dum illorum numerum initis, periclitamini, ne ipso hoc studio illum augeatis? tam facilè etiam cùm minimè vultis, mentem ab actuum istorum quantitate ad eorumdem qualitatem impelli vos animadvertitis. Res certa est, cautionem non ex minimis unam esse, quæ Confessarij munus recèns aggressis suggeruntur, ut ne in peccatis impudicitiæ pervestigandis ad minutias ex pœnitentibus exquirendas descendant: fieri enim potest, ut tam exacta causæ hujus inquisitio totam causam evertat, si Sacerdos Judex nimis distinctè omnia investiget; & tam creba ulceris pertractatio plagam magis exulceret, si Sacerdos Medicus eam nimiùm scrupulosè intueatur. Et quare hoc? ideò quòd nimiùm quantum sit difficile, constanter adeò abhorrere à delectatione per continentiam veritâ; hæc enim delectatio ad modum Torpedinis apprehendit apprehendentem se, & pedem, quo calcatur, stupefacit. Audite, num vera loquar.

V. Certa quædam juvencula, ubi complures annos fallacis cujusdam Amasii sui concubinam mago suo oblectamento egit, à Deo clementissimâ vindictâ in morbum & lectum con-

Casalii ch. fi. mul.

conjecta est. Et quia morbus multorum erat mensium, tantum otij habuit, ut in se descenderet; visáque est in aliam prorsus, ac fuerat, fuisse conversa. Confessa primùm est inter multas lacrymas, tantáque constantiâ culpas suas detestata est, ut tam puella, quàm Confessarius consilium aliquod arriperent, ut putabant, securum, revera nimiùm periculosum. Nam ubi ex longa sua infirmitate ad extrema deducta est, petijt, & obtinuit ab incauto Confessario, ultimum Amasio suo vale dicere, specioso hoc prætexu, illum exhortandi, ut & ipse vitam suam mutaret, quandoquidem videret, ad quem demum rerum statum deveniendum sit: comprobavit intentionem Confessarius, eique verba suggessit, quibus veterem Amasium acciperet, ac corrigeret, & securitatis majoris gratiâ ipse eum introducere constituit. Verùm quàm dissimile evasit opus ideæ, quam conceperant? Vix enim femina, quem amaverat, præsentem vidit, illico in veteres amores exarsit, penitus oblita adhortationis, quam optimè præmeditata erat ad compungendum Amatorem suum; brachia versus illum expandit, & (ô quàm impio cum ardore) hisce eum verbis affata est: Amice, ex corde semper amavi te, decet nunc, ut ostendam, quòd ultimo hoc articulo plùs quàm unquam te amem. Video, ac scio, quòd tui gratiâ, viâ rectâ ad infernum pergam; sed nihil interest; tu enim causa es, ut etiam hunc non timeam. Post hæc conticuit, partim ob vires penitus exhaustas, partim ob affectuum vehementium ac insanorum concitationem; móxque in lectum, ex quo se levârat supina concidit, ac animam efflavit, tanta Confessarij ac Juvenis consternatione, ut, quin verbum ullum eloquerentur, mortuis & ipsi, quàm vivis similiores, discederent. Quid dicitis ad hæc; Necdum persuasum vobis est, difficillimum Impuris esse, ut post contractam impudicitiæ consuetudinem ex integro convertantur, ac doleant; cùm in ipso illo actu, quo scelera sua execrari constituunt, sæpissimè contingat, ut novæ potiùs delectationi assentiantur. O venenum Immunditiæ detestabile! in memoriam mihi Draconem illum reducis, qui cùm ab intrepido Heroe lanceâ confixus esset, per eandem ipsam lanceam venenum ad brachium ferientis transfudit, illúmque interemit.

III.

XI. Verùm, quia constanter asseretis, etsi frequenter in hæc peccata reincidatis, ea vobis tamen displicere; atque inde fieri, ut quotiescunque ad confitendum acceditis, semper æquali cum dolore vos accusetis. Idcirco necesse erit, ad os vobis penitus obstruendum, ut malorum omnium extremum, quod est ipsum non se emendare, ante oculos ponam. Et ideo, quæcunque sit vestra pœnitentia, edicite, quid denique illa vobis conferet, si post toties actam pœnitentiam tandem morituri estis impœnitentes? Luxuria à Sanctis Doctoribus sæpenumero cum Inferno comparatur. Sed quia longum *S. Aug. Serm. 107. de Tem.* forer,

foret, omnia singillatim testimonia in medium afferre, omnium loco & nomine S. Hieronymum audite: *O ignis infernalis Luxuria!* ait, *cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintilla prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus finis gehenna*; Præterquam quòd hanc ipsam comparationē ab ipso Deo in pluribus sacræ Scripturæ locis adhibitam reperiam; quæ eædem Sacræ Paginæ amplissimum nobis campum aperiunt, quo notabilem, immunditiam inter & infernum, proportionem inveniamus. In quo igitur conveniunt? meâ quidem sententiâ potissimùm in hoc, quòd nulla sit in utroque emendatio. Id quod propriè Infernum Damnatorum constituit, non sunt tormenta, sed tormentorum æternitas. Et hinc si tormenta ista augerentur numero, & crescerent doloris vehementiâ; si tamen ex altera parte illis tolleretur æternitas, quâ durarent, Infernus confestim infernus non esset. Ad eundem modum id, quod Viatorum Infernum constituit, non est sola culparum quantitas, aut qualitas, quæ ab ipsis committuntur; sed interminata illa perseverantia, quâ, dum vivunt, à peccando non desistunt: instar nigræ cujusdam ex picetædæ, quæ, quocunque vento agitetur, non extinguitur, dum minimum quodvis alimentum flammæ suppetit, quo nutriri possit. *Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur, donec aliquid glutiat.*

S. Joan. Chrysost. hom. 86. in Joan. S. Petr. Dam. l. c. ep. 5. S. Hier. ep. ad Matrem & Fil. Rich. l. 2. in Apoc. Prov. 7. 27. Eccl. 23. 22.

XII. Et hæc est ratio, propter quam Cacodæmon, juxta mentem S. Augustini, quem sequitur S. Thomas, ita allaborat tota Mundo Luxuriam propagare; quia flammæ Luxuriosorum sunt sicut flammæ Inferni, hoc est, in urendo vehementes, & in attrahendo instar picis tenaces: quamobrem simul flammæ sunt, simul & laquei, prout eas Propheta describit. *Diabolus* scribit S. Thomas, *dicitur gaudere maximè de peccato Luxuriæ, quia est maximæ adhærentiæ, & difficilè ab eo homo potest eripi: insatiabilis est enim delectabilis appetitus.* Si quando homo inordinatis suis appetitionibus exsaturandis se dederit, peccare non cessat, quia nunquam satiatur, cùm, nescio quî idem illecebris, qui ad placandam famem assumitur, novam famem excitet. Horrorem mihi movet illa dicendi ratio, quam Propheta Oseas usurpat, cùm dicit, illos non tantùm per veram conversionem ad Deum non redituros, sed ne de eadem quidem cogitaturos: *non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia Spiritus fornicationum in medio eorum.* Bene ista verba ultima expendite, multi enim sunt ponderis. Unde, quæso tanta Deum offendendi insatiabilitas? tanta ad rejiciendam emendationem, imò ne ad cogitandam quidem obstinatio? dicam: *Quia Spiritus Fornicationum est in medio eorum*; unde patet, quòd spiritus iste illis instar animæ sit, quasi omnium cogitationum scopus, morum & operationum centrum, cor affectionum: *in medio eorum*: sicut Aranea, quæ in medio telæ suæ residet, fortiterque

Psal. 10. 7. S. Th. 1. 2. q. 73. a. 5. ad 2. Eph. 2. Os. 5. 4.

ex

ex omni parte prædam tenet, ne uspiam evadat.

XIII. Quæ ipsa scelerum continuatio S. Jobum permovit, ut ne unquam oculos in faciem Virginis defigeret: Job. 31. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine*; Quia, dicebat, si obtutibus frenum permisero, ab obtutibus veniam ad desideria, à desiderijs pertingam ad opera; & ab operibus ad obstinationem tam contumacem, ut Deus in me nullam porrò partem sit habiturus, tanquam in spiritu adversus eum omnino perduelli: *Quam enim partem haberet in me DEUS desuper?* Quia in alijs peccatis quædam adhuc peccatoris pars remanet. Si anima inficitur, non inficitur corpus, &, si mens corrumpitur, saltem sensus externi manent immunes. At in libidine non ita se res habet: illa putrida quædam febris est, quæ simul & semel omnes humores corrumpit, ita, ut nullam partem à capite ad calcem, hoc est ab ipso rationis vertice ad imum sensuũ Tactum, intactum relinquat. Unde in homine libidinoso nulla Deo pars obtingit, non visus, non auditus, non lingua, non pes, non manus; utpote quæ omnes in opere, ceu in venatione perpetua voluptatis à Deo prohibitæ occupantur: non memoria, utpote quæ turpissimis semper Phantasmatibus distrahitur: non voluntas, quæ nunquam non luto & cœno defixa hæret; non intellectus, qui novis identidem modis, quibus corpus oblectet, indagandis vacat. *Quam enim partem haberet in me Deus desuper?* non habet in præsenti. Et quod pessimum est, non habebit in futuro: cùm infelicibus his constitutum sit, nunquam scelerum suorum catenam rumpere: *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Dominum.* Et ideo non contentus dicere S. Jobus, *quam enim partem haberet in me Deus desuper?* adjunxit: *& hæreditatem omnipotens de excelsis?* Quia sicut Deus nullum horum, dum vivunt, possidet, ita hæres eorum non est, cùm fuerint mortui: vel si hæres est tanquam *Omnipotens de profundo* cum Justitia, non tamen est hæres tanquam *Omnipotens de excelsis* cum Misericordia.

XIV. Dicetis autem: Confiteor, & illo actu ad Deum redire cupio non ex parte, sed Dei totus esse volo. Crederem equidem, si Confessio vestra catenæ esset omnimoda incisio, non autem, ut Sanctus Augustinus observat, mera interruptio: *Non rumpunt peccata, sed interrumpunt.* Certè Confessiones istæ vestræ, in quibus ita confiditis, majorem mihi timorem incutiunt, quàm fiduciam. Inprimis cohorresco, cùm observo, quòd ipsæ Confessiones pro scuto, quo peccata defendantur, inserviant, non pro gladio, quo jugulentur. Si quem vestrûm increpuero, quòd longo tempore maledicta hæserit consuetudine intricatus; illico mih respondebit. Ita est, sed semper etiam, à me malè facta confessus sum. Et si illa vestra muliercula, concione quadam, cui interfuit, commota vestris desiderijs porrò renuit acquiescere, animum blan-

blandis hisce vocibus ei facitis. Ne dubita: confitebimur, & salva res erit. Proinde repeto, ac dico; quòd majus judicium, vestra vos peccata eodem semper vigore retinere velle, quàm quòd ipsa Confessione ea confirmare studeatis, quæ tamen omnium peccatorum vestrorum esse mors deberet? Insigne certè propositum vestrum esse debet, dum ipso Confessionis Sacramento ad persistendum in peccato magis pacificè ac quietè abutimini. Præterea non modico horrore perstringor, quia etiamsi propositum vestrum esset legitimum, quid ad salutem vestram conferret, si singulis illud momentis immutatis & ad vomitum revertimini? Medicina, quæ ubi sumpta ab infirmo fuit, illico vomitu rejicitur, à morte non liberat. Unde mihi credite, quòd si in hoc vitio habitum contraxeritis, iniquè cum Anima vestra agatis, nisi summo timore animus vester percellatur: quia ex una parte emendatio longè constantior ad salutem requiri solet, & ex altera hæc eadem emendatio in casu vestro est difficillima, uti hactenus demonstravimus.

XV. Quid igitur reponitis; adhucne audetis parvi facere peccata Immunditiæ, & illa nullo non die repetere cum dicto: *Quid mali denique est fragilitas quædam carnis? quid mali denique?* Non oportet dicere; quid mali denique est fragilitas quædam carnis? sed potiùs? quid mali denique est innumerabilis multitudo abominabilium peccatorum, quæ corpus & animam DEO invisam reddunt, plusquàm fœtidissimum morticinum? *Insanavit libidine super concubitum eorum, quorum carnes sunt, ut carnes Asinorum.* Ez 16. 23. 50. Dicere oportet; quid mali denique est, copia immanis scelerum, quæ voluntatem illam bonam, quam aliàs Deus erga hominem conservat, in odium implacabile immutat; postmodum autem non ampliùs ut hominem respicit, sed ut carnem; non ut corpus & animam, sed ut *caro est.* Dicere oportet; quid denique mali est, immunditiarum cumulus ingens, quæ intellectum obscurant, ita, ut quò magis ejus malum accrescit, tantò ille minùs intelligat, imò illud ceu bonum suum apprehendat, in eóque sibi complaceat? *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt:* Isa. 3. 9. Dicere oportet: grande nimis malum est iniquitatum sine numero numerus, quæ voluntatem ita indurant, ut quò plùs augetur malum, hoc cognoscat minùs, imò ut suum bonum apprehendat, in eóque sibi complaceat: *Omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ.* Prov. 2. 19. Oportet dicere. Quid mali tandem est, ingens numerus peccatorum, quæ ita voluntatem indurant, ut serio dolore de noxis suis non possit, aut saltem peccati assuetudinem nequeat emendare. Si de unico solùm peccato ageretur, satis magna intellectûs obscuratio foret, si quis ita, uti vos, ratiocinaretur. Judicate proin, qualis futura sit argumentatio, si de cumulo omnem numerum excedente, quique nubes æquet, imò transcen-

scendat; *Delicta nostra creverunt usque ad cælum*, sermo sit.

XVI. Quapropter non aliam de maximo Luxuriæ malo opinionem ac confessionem habere debetis, quàm illam, quam Spiritus Sanctus Salomoni extorquet, ubi de se ipso dicit; *Pænè fui in omni malo*: quod idem est, ut S. Joannes Chrysostomus exponit; fui in peccato Luxuriæ. Nec gratis nomen hoc sortita est Immunditia, quia inter omnia vitia non est ullum malorum fœcundius: *Omnibus peccatis major est fornicatio*, Magnus quidem Theologus inquit, *non in se, sed in effectibus. Omne malum.* Quia per Luxuriam homo maximè à Deo elongatur. *Per luxuriam maximè recedit à Deo.* Nimirum etsi non in genere scelerum summa sit à Creatore aversio, est tamen summa ad creaturas conversio, quâ homo impurus DEUM suum omnino contemnit, eúmque vilissimæ carni, quam circumfert, postponit. Id quod Deus ipse peccatori exprobrat tremendis hisce verbis: *Projecisti me post corpus tuum.* Denique omne malum Immunditia appellatur, quia per illam Dæmon de omni homine triumphat: *totum hominem agit in triumphum libidinis*, pérque ipsam Regnum suum infernale animabus replet, quemadmodum asserit S. Remigius, cùm dicit: *Ex parvulis ex adultis propter carnium pauci salvantur.* Uti animæ cuipiam sanctæ monstratum fuit, cui alta quadam contemplatione abreptæ Angelus dixit: sicut Infernum Diabolis replevit superbia, ita hominibus Impudicitia. *Pænè fui in omni malo.* Qui cogitationem huic irrefragabili veritati contrariam corde suo fovet, seipsum damnato quodam lethargo sopit. Timebat hoc Propheta, quando DEO maxima cum demissione se commendabat: *ne unquam obdormiam in morte.* Magnum certè malum est, peccato animam enecare; majus tamen sine comparatione malum est somnus ille, qui ejuscemodi mortem subsequitur tunc, quando Anima omnem resurgendi curam ac solicitudinem ponit.

Prov. 5. 14. apud Corn. in hunc. loc.

Alcuin l. de Div. Off.

S. Tho. in Job. 31.

S. Tho. 1. 2. q. 73. a. 5. c.

Ezech. 23. 35.

S. Cypr. l. de bono pudicit.

Collec. disc. c. exempl 150.

Ps. 12. 4

IV.

XVII. Quapropter rogo vos, qui ex præsentibus obdormivistis in malo, quod si nondum est, erit certè vobis omne malum: *In omni malo*: rogo, inquam, vos, ut maturè excitemini, adhibendo duo hæc remedia, quæ, antequam Sermonem finiam, vobis suppeditabo: fructum enim aliàs exiguum ferrem, si vestræ infirmitatis gravitatem vobis ostenderem, modum autem, quo convalescere possetis, non afferrem: certè magis facerem desperatos, quàm sanos. Scitote igitur, id ipsum me ad persanandam Immunditiam requirere, quod ad malignam valde febrim curandam requirunt Medici. Partim humores accensi per evacuationem purgandi sunt partim fervor ille potenti refrigeratione temperandus. Clariùs: Luxuria duobus hisce pharmacis corrigitur, Oratione, & malarum Fugâ occasionum. Oratio enim cælesti quadam pluviâ concupiscentiæ ardorem restinguit; fuga occasionum verò

funesto huic incendio materiam subtrahit.

XVIII. In primis tota animi contentione DEO vos commendate, magnam vestram debilitatem ei exponite, malorum quoque habituum vestrorum pondus, quod vos opprimit, efficœnem etiam perduellis appetitûs vestri impetum, qui vos jugiter vexat; deinde in memoriam quasi ei revocate divina sua promissa, quibus in Sacro suo Evangelio multoties velox auxilium spopondit: Exhibete illi immensam Divinissimæ Passionis thesaurum, dolores illos, illum sanguinem, quibus omnia vobis bona promeritus est. Quòd si ita omnibus diebus orare pertexeritis, non multum abibit temporis, cùm animadvertetis, in cor vestrum paulatim descendere rorem divinæ Gratiæ, quæ ardores vestros placidissimè extinguat. *Ascendit oratio*, ait S. Augustinus, *& descendit miseratio*; siquidem Divina misericordia magno cuidam fonti similis est, semperque parata est ad aquam in omni abundantia affundendam, dummodo labrum aperiamus, quo promanare possit; alioquin nihil unquam hauriemus. *Oportet semper orare & nunquam deficere*: O quàm beatus etiamnum foret Salomon, si remedio hoc uti perrexisset! etiamnum foret exemplum continentiæ, qui modo Scandalum est Luxuriæ. Bene in principio agnovit, quòd solus Deus hanc ei Gratiam conferre posset, quâ castus viveret, & ideo magna cum solicitudine hoc ab eo donum expetivit: *Ut scivi, quo-*

lib. de salut. mon. c. 28.

Sap. 8. 21.

mam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, adij Dominum, & deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordijs meis &c. Sed in hac petitione ad finem usque non perstitit. Vos itaque perseverate, & animum non abijcite, cùm vos non illico exauditos putaveritis. Imò tantò instate vehementiùs, & ipsâ repulsâ confidentiam vestram animate; quia quò diutiùs pulsando perstiteritis, tantò aperietur ampliùs: *Pulsanti aperietur*! Advocatam Sanctissimam Virginem Matrem vestram adhibete, eúmque in finem obsequia illa vestra, quæ in ejus honorem obitis, dirigite, ut ex profundo hoc gurgite resurgere, non ut quidam faciunt, ut quietiùs in eo lascivire possitis. Et cùm ex animo Virgini Sanctissimæ supplices acciderit is, manus etiam ad reliquos Cælites levate, & modò unum, modò alterum ex Patronis vestris interpellare, ne vos in luto hoc porrò jacere sinat: *Eripe me de luto, ut non infigar.* *Ps. 68. 15.*

XIX. Alterum remedium summè necessarium ad pestiferam hanc flammam extinguendam, in alimentis eidem subtrahendis consistit, sive in illarum occasionum, personarum, colloquiorum, quæ animum denuo possent infringere, seriâ fugâ. *Luxuria vitari vix potest, nisi vitetur principium ejus, scilicet aspectus mulieris pulchræ*: uti docent ex S. Thoma Doctores. Proverbium apud vos est, quo semper utimini: *Occasio facit furem*: ego autem dico, occasionem in causa esse, ut Dæmon ipse magis fur fiat; & qui-

S. Tho. 1. 2. q. 167. a. 2. & in Job. 31.

& quidem quod pessimum est, ipsius hominis. Quàm parùm hic fut futaretur, nisi vires ab occasione acciperet, quâ involvi ipsi quærimus? hæc una & sola est, quæ dæmonem roborat, nos debilitat. Arma porrigimus ipsi, quibus nos feriat, & scutum projicimus, quo nos defendamus. Hæc una & verissima causa est cladium nostrarum & jacturarum, quas identidem facimus, dum Gratiam Dei perdimus, & à Confessione in easdem statim miserias relabimur: quia credere nolumus, ejusdem nobis fugam summè esse necessariam. Frequentantur eædem choreæ; ad eosdem ludos & lusus acceditur, nullo non vespere ad procandum reditur, diebus festis ad saltum, operarijs ad jocos concurritur: quid deinde mirum, si homo vix in pedes erectus denuo cadat? Deum audite, quàm opportunè nos maximi periculi commonefacit: *in medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Eccli. 41. 10. Quod ipsum etiam cum proportione feminæ sibi dictum putent, quæ non minore in periculo versantur, dum tanta cum libertate, qualem hoc tempore videmus, inter viros agunt, colloquendo, corridendo nulli non familiares. Contingit quandoque, ait Aristoteles, ut hirundines reperiantur omnino deplumatæ ac nudæ, quales sunt, cùm excluduntur, Ratio fuit, quòd auderent tempore hyemali in nostris se regionibus continere, nollèntque ut aliæ trans mare volare. Idipsum miseris etiam Juvenculis accidit, quando ornamento illo, coram Deo adeò formosæ, & coram hominibus honoratæ comparebant, exspoliantur, Virginitate suâ scilicet: quo ornamento tam venusto nudatæ aut in angulis se abscondunt, aut inter alios, non sine rubore, videntur. Causa est quòd tantùm sibi fidant miseræ, & cum alijs, magis cautis, Juvenum familiaritatem nolint declinare; ita amicitijs & amoribus implicitæ, ut credant resistendi firmitatem ita sibi in promptu fore. *Non est periculum*, oggerunt, *non est periculum*; negántque ibi esse periculum, ubi sapienter illud evitare debeant. *Sapiens timet, & declinat à malo*, ait Sapiens, *stulus transilit & confidit.* Et hoc documentum tam necessarium longè adhuc magis in praxi observandum est respectu occasionum, quæ proximæ appellantur: illæque domus & personæ fugiendæ sunt, in quarum consortio Deus sæpius fuit offensus. Secùs enim non jam dicam, quod à Confessione in antiqua scelera sitis relapsuri, sed dicam insuper, vos in confessionibus vestris à lapsu nunquam resurrexisse. Idémque vobis evenier, quod sauciato Cervo, cui nihil prodest ad aquam recurrere, nisi sagittam, quâ tactus fuit, è vulnere extraxerit. Prov. 14. 16.

8. 1. Hist. A. c. 16. n. 1.

XX. Quæ duo remedia, si constanti usu fuerint assumpta, balsamum tam salutare suppeditabunt, ut plagam quamcunque luculentam persanent. Et ideò si institutione hac mea magnitudinem mali, in quo Libidinosi versantur, didicistis, certò

credite; quòd non cognoscant, non plangant, non emendent hanc suam proterviam, non aliundè provenire, quam quòd aut Deo constanti devotione supplices non fiant, aut occasiones non declinent. Vos verò, Auditores humanissimi, geminum hoc pharmacum usurpate, ut à lue, quâ mundus universus inficitur, immunes sitis: *Mundus totus positus est in mali-gno*: Et cùm vivere extra Mundum non possitis, sciatis saltem modum, quo in eo vivere valeatis, quin sordibus inquinemini. 1. Joan. 5. 19.

DISCURSUS XXV.

De Pretio Virginitatis.

NOn credo modum esse magis efficacem, quo prodigus suam prodigalitatem dedoceatur, quàm si illi opes & divitiæ ante oculos statuantur, quas profundit. Hac animadversione emendare Neronem filium suum voluit Agrippina, Filium revera Prodigum, qui uno die sine ulla causa & meritorum intuitu, octingenta scutatorum millia cuidam dono dedit. Curavit illa in unum cumulum nijci omnem illam pecuniam & auri vim: & hoc, inquiebat, modicum illud est, quod uni cuipiam heri dono tradidisti. Volo hodie & ego hac uti regulâ, & dum expendo, quot sint Animæ, quæ magnum illum Virginitatis suæ thesaurum pro nihilo abijciunt, primò ante oculos ponam immensas illas divitias earum, quæ thesaurum hunc possident; deinde inferam in altera Discursûs mei parte immanem earumdem prodigalitatem, quæ thesaurum hunc incautè prorsus profundunt.

I.

II. Et ut quàm paucissimis verbis veritatem hanc omnibus persuadeam, considerare solummodò juvabit, magnum hunc Virginitatis thesaurũ sumo semper in pretio tam apud Terrigenas quàm apud Cælites & Inferos fuisse.

III. Et primùm quidem peculiaris prorsus Virginitatis æstimatio inter homines viguit, apud quos si ipsos etiam Ethnicos in sui admirationem rapuit, dicendum sanè est, eam fuisse prorsus maximam, qualis illa lux esset, quæ etiam modo quodam ad talparum oculos & pupillas pertingeret. Veteres Romanos, qui se justos rerum omnium arbitros jactabant, quod Virginitati pretium posuisse arbitramini? tantum certè, ut teste S. Hieronymo, non Viri Consulares tantùm, non tantùm Consules, sed ipsi etiam Imperatores, si quando in publicis compitis Virginem Vestalem obviam haberent, dignius plateæ la- L. 1. contra Jovin.

tus

tus illi cederent, neque hoc tunc tantùm cùm aut incogniti, aut modico cum comitatu procedebant, sed ipsis soleñis triumphi diebus; quibus ad Capitolium curru triumphali inter omnium Victori applaudentium festivos clamores deducebantur, Nec ista honoris demonstratio sterilis quædam cæremonia solùm fuit. Iisdem Virginibus tantam tribuebant potestatem, ut si qua Reo ad furcam educendo obviam veniret, illicitum porrò crederetur (adeò earum occursus propitius esse centebatur) eundem decreto supplicio tollere. Et sic absque mora libertati restituebatur, quasi sola Virginitatis præsentia ad quoslibet Reos ab omni noxa purgandos sufficeret, quemadmodum nonnunquam ignis Cælo delapsus omne à letifero serpente venenum absterfit.

Cardã. de rerum variet. c. 29.

IV. Quod si tantum gemmæ hujus pretium fuit, antè, quàm Christus, Trapezita peritissimus, illud Mundo paterfaceret, facili conjecturâ assequemini, quantum valoris ei accreverit, postquam Christus illud detexit, aut, ut loquamur meliùs, suis laudibus plurimum auxit. Unum illud sufficeret, quòd sanctus Martyr Ignatius, qui proximus Apostolorum temporibus sacram ab ipsis doctrinam ceu lac suxit, scriptum reliquit. In litteris igitur, quas ad Heronem exaravit; eum adhortatur, ut Virgines ceu monilia sponsi cælestis custodiat: *Virgines serva, ut pretiosa Christi monilia* Et in literis ad Christianos Tarsenses scriptis præcipit, ut Virgines pari cum Sacerdotibus pretio habeantur: *Eas, quæ in Virginitate degunt, in pretio habete velut Christi Sacerdotes.* Simillima prorsus aliorum quoque Doctorum consequentium mens erat; ex quibus, qui Virgines selectissimum Christi gregem appellaret, fuit S. Cyprianus: quòd bonum Divinæ naturæ proprium possiderent, affirmavit S. Gregorius Nyssenus; qui Angelorum terrestrium nomine compellaret, fuit S. Joannes Chrysostomus, qui Angelis cælestibus conferrent, S. Augustinus & S. Hieronymus, qui ipsis etiam Angelis anteferret S. Bernardus, cujus libera assertio est, Angelos quidem esse conditione feliciores; Virgines autem magìs admirabiles: illa ratione, ut puto: quâ mirabilior est nix, quæ inter terrenas fœces ac lutum candoris sui est tenax, illâ aliâ, quæ nubium adhuc sinu clausa procul cæno est, quo inquinetur.

Epist. 4. *l. de hab. Virg.* *l. de Virg.*

V. Mirum proinde non est, si Christiani his Magistris usi tanto Virgines in honore habuerunt; id quod non de infimis tantùm ac plebeijs dixerim, sed ijs etiam, qui portant Orbem. De Constantino M. refert Eusebius, quòd tantam de Virginibus Deo Sacris æstimationem habuerit, ut non venerari tantùm, sed & adorare eas videretur. Asserebat enim, in earum mentibus, velut in throno Majestatis DEUM habitare. Ejusdem Imperatoris magna mater Sancta Helena eò progressa est reverentiæ, ut sacra Jerosolymæ loca visitatura non solùm consecratas Deo Virgines men-

l. 4. c. 28. in vita. *Ruf. l. 1, c. 8.*

ſæ ſuæ adhibere voluerit, ſed omnibus, quas ibi invenerat, ſerviret accumbentibus, aquam manibus affunderet, cibos inferret, idque non unâ, ſed repetitis etiam vicibus faceret.

VI. nec minorem illius rationem habebant illi ipſi, qui theſaurum hunc poſſidebant. Juvenis quidam, teſte S. Hieronymo, molli lectulo alligatus linguam ſibi præſcidit, quam ſolam liberam vinculo habebat, & impuræ ſollicitatrici in faciem expuit. Puella oculos ſibi eruit, & inſidiatori cuidam ſuo miſit, uti refert Cardinalis de Vitriaco. Alia ſibi labra reſecuit ac nares, quas tamen à Matre Virgine, Virginum omnium Protectrice, miraculo recepit. Et hoc parum eſt. Fuit, qui ſervandæ hujus Margartiæ gratiâ corpus ſuum non tantùm ictibus expoſuerit ac vulneribus, ſed ipſi etiam morti. Elephas vitam ſuam ab inſidijs Venatorum ſervaturus, candidiſſimum ebur ſuum ante oculos eorum proijcit. Virgines alia fecêrunt omnia: ut enim ebur candidiſſimæ ſuæ puritatis vindicarent, vitam ipſam ſtygijs venatoribus objecerunt. Et multis factum Divæ Euphraſiæ Virginis Nicomedienſis prorſus ſingulare audite, quod omnem planè attentionem meretur.

Niceph l. 7. hiſt. Eccl. c. 1. Baron. A. 309.

VII. Fuit Virgo hæc Sanctiſſima odio Chriſtianæ Religionis impudenti cuidam militi tradita, velut innocens columba Accipitris unguibus. Nec apud belluinum hunc hominem preces aut lacrymæ quidquam valebant, multò minùs minæ, ut prædam exmanibus dimitteret. Neceſſe igitur Euphraſiæ fuit, ut ingenium acueret contra robur, inveniretq; modum non minùs generoſum, quàm ingenioſum, quo (à Divino utique Spiritu ſpeciali inſtinctu edocta) evaderet. Militis itaque pedibus ſupplex accidit, pollicita, ſi intacta ab ipſo relinqueretur, tale ei arcanum revelaturam, cujus ne demidium quidem pretiũ eſſet, ſi quidquid hoc ille in Mundo poſſideret, totum pro ejus ſcientia numeraret. Ex multarum, inquit, herbarum alijs incognitarum permixtione talem ego ſuccum eliciam, qui quacunque corporis parte illitus fuerit, illud inſtar chalybis reddat impenetrabile. Et ne fraudem verbis meis ſubeſſe credas, experimentum in me ipſa capias licet, ut adeò ſi arcani mei virtutem proprijs oculis exploraveris, læto poſſis animo contra hoſtes ire, & ſi allubet, in prima fronte exercitûs pugnare, omnibúsque telis ac enſibus ſecurum te ac turum exponere. Placuit militi conditio, ac ſe id facturum recepit, ſi promiſſioni fides reſponderet, fore ſe tutorem Virginis, qui raptor eſſe volebat. Retraxit ſcilicet cupiditatis ſuæ habenas miles perfidus, ſpe arcani pellectus, quas prius liberrimas ſuæ paſſioni dimiſerat. Interim Euphraſia de pacto inito valdè ſibi gratulabatur, magnóque ſtudio omnis generis herbas colligebat, his duo inter ſaxa contritis ſuccum telâ lineâ, quâ caput velaverat, percolavit, omnémque in vaſculo quodam aſſervavit. Mox collum ſolicitè unxit, ac in genua provoluta hilari

hilari vultu sic militem affata est: vaginâ ensam libera, & quanto brachiorum nisu potes, intrepidus collum meum feri, certus sis, quò altiùs brachium extuleris & ictum vibraveris fortiorem, eò impetu etiam majore ferrum resultaturum, haud aliter ac si incudem feriisses. Tunc miles, qui ne per umbram quidem Innocentissimæ Virginis piam fraudem suspicabatur, manum ad capulum misit, ratúsque rem prorsus insolitam visurum, tali nisu in collum Virginis gladium libravit, ut uno ictu caput resecaret, & grandi illi Animæ viam ad cælum recluderet, duplici laureola, & Virginis & Martyris, coronandæ. Quid ad hæc? An argumento opus est fortiore, quo demonstrem, quanto in pretio Virginitatis Margarita apud Sanctos sit? quam tamen Libidinosi pro delectatione tam vili brutorum instar animalium pedibus calcant, quin unquam eâ calcandâ possint exsaturari.

VIII. Verùm hæ divitiæ nunc satis non cognoscuntur. Dum conchyle clausum est, nemo novit, quanti pretij Margaritam condat. Sic in præsentiarum, quid sit Virginitas, non scitur; cùm Cælo recipiemur, tunc suo pretio æstimabimus. Ibi ceu proprio in lumine ita resplendebit, ut omnes simul Cæli Incolas in sui tractura sit admirationem. Dicere sufficiat, quòd Virgines DEO dicantur viciniſſimæ: illæ sunt, quæ DEUM sequuntur, quæ ipsi famulantur, ubique illi se comites jungunt, tanquam Aula ejus propria: *Sequuntur Agnum, quocunque jerit.* Illæ DEI nomen in frontibus scriptum gestant; illæ laudem tam admirabilem DEO decantant, ut teste S. Augustino, alij Sanctorum Chori audire quidem eam possint, imitari non possint. Illæ Primitiæ DEI & Agni vocari merentur: *Primitiæ DEO & Agno*: quia quemadmodum fructus primuli majori in pretio habentur, quàm serotini, ita cum proportione Virgines in cælo magis æstimantur, quàm alij Sancti, qui eâdem aureola non sunt donati. Præcepit olim DEUS ut pretiosa quædam mensa pararetur, super mensa autem Corona statueretur, & huic altera similis, minor tamen imponeretur; volens significare, se in Cælo insignes quasdam virtutes non solùm illâ gloriâ remuneraturum, quam omnibus alijs Beatis esset concessurus, sed coronam insuper peculiarem, quæ ipsius Coronæ Corona foret. Harum una virtutum Virginitas est; ut adeò Virgines ultra illud præmium, quo omnes Sancti potientur, alio sibi proprio sint fruituræ, quo ab alijs omnibus distinguantur, quod à Sanctis Aureola nominatur, quemadmodum illa corona Aureolæ nomine afficiebatur, quæ alteri coronæ superposita eminebat: *Et super illam alteram coronam Aureolam.*

IX. Nequaquam igitur ullo pretio satis æstimabilis hic thesaurus est: *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ*: Verba ipsius Dei sunt. Vera Virgo non habet quidquam sibi simile. Si ex una parte ponerentis omnes

totius

Apoc. 14. 4.

Exod. 25.

Vide Corn. à Lap. in Exod. 25.

Eccl. 16. 20.

totius mundi Sponsas, seu Principes, seu Reginæ, seu Imperatrices illæ sint, ex altera parte pauperculam Virginem collocaretis, quæ corpore & animo Virgo sit, sive, quæ neque membra corporis sui, nec cor suum fœditate quapiam commaculârit, ditior hæc est, plurisque æstimatur, quàm omnes desponsatæ cum omni suo auro, quo vestiuntur, cum pretiosis cycladibus, cum omnibus suis ornamentis & Regnis. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* Qui gemmarum notitiam habent, nihil aliud pluris faciunt, quàm Margaritas, dummodo illæ magnitudine, candore, levitate, pondere & figura excellant:

Plin. l. 9. c. 35. *Principium culmenque omnium rerum pretij Margaritæ tenent.* Nec Gemmarij cælestes diversâ & contrariâ in taxando pretio viâ incedunt. Unde Sancti Angeli nulla ratione sustinere voluerunt, ut à S. Joanne adorarentur, eò quòd Virgo esset, ut affirmat S. Petrus Damiani: *Noluit Adoratorem, quem noverat æqualem. Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* O igitur divitias inæstimabiles Animæ Virginis! quæ gradu tam sublimi tam apud homines, quàm apud ipsum Deum collocatur! *O quam pulchra est casta Generatio cum claritate?* Quæ autem & qualis est ista claritas juncta cum castitate? nisi Splendor iste virginalis junctus Continentiæ? Quæ si Margarita est, tantò certè est æstimabilior, quantò candoris sui tenacior. Tunc enim verò *apud Deum nota est & apud homines*; cùm splendoris immensitatem, quam intrà se

Serm. 1. de S. Joan. Bap.

Sap. 4. 1.

concludere non valet, etiam foras emittit.

X. Verùm mihi credite, parum, imò nihil adhuc in laudem Virginei Pudoris dixi, si quæ dicta sunt, cum ijs, quæ dicenda remanent, comparentur. Voluit Deus, ut Sanctissima sua Mater prima Christianorum Magistra esset, quæ virtutem istam humanâ majorem doceret, solennéque principium actu tam heroico auspicaretur, qui solus omnibus secuturis temporibus hac virtute instituendis sufficeret. Nôstis, quâ ratione Archangelus Gabriel è Cælo descenderit ad annuncianda Virgini felicissima nova, quibus electa Dei Mater declarabatur, & consensum rogabatur? His auditis Virgo conturbata est. *Turbata est in sermone ejus*, & secum reputare magna cum solicitudine cœpit, quodnam demum illud *Ave* foret, quod, si nunciantem attenderes, pacificum videbatur: *& cogitabat, qualis esset ista salutatio?* Dicite, quæso, quam ob causam Virgo adeò turbata est? forsitan ob præsentiam Angeli? certè non, cùm illi usitatæ admodum essent cælestes hæ visitationes. Præterquam quòd ipse Evangelista insinuet, quòd *turbata* sit *in sermone*, non ex præsentia Angeli. Forsan igitur de plenitudine Gratiæ, quam in se verbis adeò insolitis ab Angelo prædicari audiebat; *Gratia plena* turbata est? an Divinæ opis singularis sponsione turbata est, quam specialiùs in se aut jam supponi, aut promitti audiebat? *Dominus tecum.* Sed neque pro-

propterea ; cùm illa nihil desideraret ardentiùs, quàm istam ipsam Gratiæ plenitudinem & præsentissimam DEI opem. Hoc est, quod eam turbavit, ait S. Bernardus, quòd ultima saluti suæ Orator verba adjungeret : *Benedicta tu in mulieribus.* Siquidem secundùm modum loquendi Scripturæ, cujus Maria erat intelligentissima, illæ vocabantur mulieres, quæ Virgines non erant? *Turbata est, eò quòd benedictam se audisset in mulieribus, quæ nimirum benedici in Virginibus semper optabat.* Si Angelus dixisset : *Salve plena gratiâ, Dominus tecum, benedicta tu in Virginibus* ; non ita turbata fuisset ; quia hac ratione in cogitationes dubias non incidisset, an benedictio isthæc fructûs non cederet in præjudicium floris : quia verò Angelus dixit : *Ave gratiâ plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus,* suspicata est, ne; dum Mater DEI futura esset, Virgo non remaneret, & ideo *turbata est in sermone ejus.* Undè imaginamini vobis, omnes Sanctos in limbo Patres, omnes sanctos in Cælo Angelos, Principatus ac Potestates omnes, ipsum quin adeò DEUM avidè consensum Sanctissimæ Virginis expectâsse, quo in effectum redigeretur omnium operum possibilium excellentissimum, Verbi scilicet Divini Incarnatio. Videri poterat nec uno censensus iste momento differri debuisse, non solùm propter generis humani redemptionem, sed multò magis, quòd morâ istâ retardaretur, imò abbreviaretur vita Christo, ac beatitudo illa Sanctissimæ Animæ, cujus unicum momentum rebus alijs omnibus infinitis parasangis præstabat. Et nihilominus quantumcunque clarè ac manifestè DEI voluntatem Virgo intelligat, ac audiat, filium suum fore Filium DEI, Mundi Redemptorem, Cæli restaturatorem, Peccati destructorem, Messiam à Patriarchis, desideratum, suspiratum à Prophetis, imò à semetipsa tot votis expetitum ; ut Virginitatem suam in tuto poneret, consensum suum suspendit, dum penitiorem factæ propositionis notitiam sibi compararet : *Ubi in promissione Filij manifestum Virginitati periculum videbatur, non potuit ultra dissimulare, quin diceret : Quomodo fiet istud?* Et sic, donec in tuto Margaritam istam suam collocaret, responsum non dedit Oratori Cælesti, aut eum à se dimisit ; at verò ubi intellexit, Matris dignitatem Virginitati non obfuturam, sed eam magis illustraturam, illum remisit; sed ita, ut conditionem illam clarissimis ei verbis inculcaret, sine qua totum negotium futurum esset irritum : *Fiat mihi secundùm verbum tuum* : quasi diceret : Reparetur Mundus, Cælum implcatur, DEUS homo fiat, dummodò ego, Matris dignitate beata, Virgo esse non desinam : aliàs enim, quòd DEUM habitura essem Filium, mihi non sufficeret ad tollendam illam amaritudinem, quâ ex jactura thesauri mei obruerer. *Si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium, & gaudeo de Filio, & doleo de proposito.* Verba sunt S. Bernardi, quem magna illa Magistra in sua schola instituit optimè

Serm. de verb. Apoc.

Idem ibid.

Hom. 4. super missus est.

mè, & sensorum suorum participem reddidit. Quomodo igitur DEUS demonstrare nobis magis poterat, quæ Virginitatis sit præstantia, quàm dum tantam Matri suæ ejusdem æstimationem indidit, ut totius generis humani Redemptioni, quin & ipsius Incarnati DEI vitæ, ut ita dicam, eam anteferret? Quod si ita est, ubi jam sunt fatuæ illæ ac stultæ Virgines, quæ cùm videri Magnæ Matri ac Virgini Sanctissimæ devotæ velint, tamen, ut sponsum reperiant, non solùm Virginalem candorem suum prostituunt, sed ipsum etiam in peccatum consentiunt? O quanto cum horrore in extremo illo judicij die coram Virgine Matre comparebunt, & in omnium hominum conspectu ad solium Virginis sapientissimæ insaniam suam patefacient? At tempus nondum est reprehensiones has prosequendi, & ideo, quamvis illibenter, abrumpo.

XI. Interim tamen veritatem vobis dicam. Erubesco planè, quòd post hæc omnia eò devenire me oporteat, ut ostendam, quòd Virginitas ipso etiam in Inferno summi fuerit habita: faciam tamen, ut eò magis ijs ruborem incutiam, qui inter nos vilissimo eam pretio venumdant. Tantam Dæmon de Virginibus existimationem habet, ut, licèt ex invidia, quâ in homines fertur, ad prodigendum hunc thesaurum eos exstimulet, nullâ re magis afficiatur, quàm cùm ei à Virginibus inservitur. Unde observari potest, quòd in Incantationibus magis solennibus Cacodæmon plerumque Virginis cujusdam præsentiam requirat; & in illis Regionibus, in quibus Tyrannidem suam magis absolutam exercet, quales sunt Idololatrarum Provinciæ, cultum suum semper est solitus Virginitatis radijs extollere ac illustrare. Præter illam enim, quæ de vestalibus allata sunt, ex gravium Auctorum testimonijs constat, quòd, antequam Sancta Fides nostra in Cuscum penetraret, (quæ famosa Indiæ Occidentalis civitas est) in insigni quodam delubro non alterius cujuspiam, quàm plurium Virginum obsequia admiserit, quæ Lege etiam stygia tanto rigore Virginitatem suam servare integram compellebantur, ut si qua eam contaminâsset, cum suo complice viva concremaretur, & quod plùs est, cum tota etiam familia, imò cum excidio totius Provinciæ ac Regionis illius. Quo suo rigore Cacodæmon non minus odium, quo hominum stragem anhelat, quàm Virginitatis pretium ac dignitatem commonstrat, quam etiam ipse dignam existimet, quæ summis præconijs efferatur. Quòd si tantæ veneration Virginitas, ut ita dicam, falsa, Gentilibus est, vobis dijudicandum relinquo, qua reverentiæ significatione Virginitas sincera, solida & incontaminata Christianorum excipienda sit? Hæc enim à stygio Veteratore, non summo tantùm pretio habita est, sed & summopere semper formidata. Unde, ut Author est Cassianus, cùm Abbas Joannes cum omnibus suis Mona- *Nierenb. hist. nat.* *Coll. 14. c. 7.*

Monachis post exactum trium dierum jejunium energumenum inquilino suo liberare non potuisset, demum adventante pauperculo quodam rusticello, quem pater ad ducendam sponsam adegerat, quam tamen ille induxit ad castæ mentis propositum voti Religione interpositâ firmandum; Dæmon quantocyus horrendo ejulatu exclamavit, ac fugâ se proripuit, Infernum repetiturus; non ferens scilicet odoris illius fragrantiam, quam pudor Virgineus exhalabat: sicut nec serpentes ferunt odorem Vitis etiamnum tenellæ ac florentis. Videtis igitur, quantam venerationem non solùm à Cœlo & terra Virginitas semper retulerit, sed ab ipsa etiam cœca Inferorum abyssо, ubi, etiam odio habita honoratur.

II.

XII. Omnes verò hæ dotes ac prærogativæ non nisi magis detestabilem faciunt insaniam illorum prodigalitatem, qui eas ceu rem nullius pretij dilapidant. Cleopatra Ægypti Regina uno convivio Margaritam aceto maceratam absumpsit, tanti pretij, ut cum altera simili centies mille sestertijs æstimaretur, hoc est, nostræ pecuniæ ducentis quinquaginta millibus coronatorum. Nihilominus si in memoriam revocaveritis, quæ supra attulimus, facilè agnoscetis, quantò major sit jactura, quam puellæ quædam malè cautæ in prodigendo thesauro suo subeunt. Quod ut meliùs intelligatis, magisque ad horrorem tantæ profusionis concipiendum commoveamini, præsupponere debetis, quòd juxta doctrinam S. Thomæ, illud, quod in prodigalitate maximè vituperabile habetur, non sit doni excessus, sed inordinatio quædam in donando commissa. *Prodigalitas*, ait, *semper est peccatum, non principaliter propter quantitatem, sed propter inordinationem dandi, quibus non debet dari, & propter quæ, & sicut debet.* Hoc præsuppositо facilè intelligetis, unde fiat, quòd mulier illa prodiga non sit, quæ Matrimonio juncta Viro candoris sui Virginei thesaurum concedit; illa autem, quæ extra Matrimonium eundem dono dat, plùs quàm prodiga habeatur.

Plin. l. 9. c. 6. 15.

S. Th. 2. 2. q. 119. art. 2.

XIII. Primo igitur loco considerate, cui donet; & gravem illico deordinationem videbitis: *quibus non debet dari.* Prodigi denique amicis sua largiuntur, & tamen, quia plùs donant, quàm debeant, verè prodigi sunt. Quænam igitur erit prodigalitas, donare raptoribus, lurconibus, proditoribus? At forsan istхæc nomina satis accommodata non sunt actionibus multorum Juvenum, qui postquam fictis Matrimonij pollicitationibus, pluribus, quàm uni, Juvenculis totum Virginitatis suæ thesaurum eripuerunt, miseris tergum obvertunt, ac primi sunt, qui eas diffament, & plurium, quàm unquam fecerint, delictorum accusent; ut scilicet eorum furtum levius habeatur, nec ipsi habeantur prædones Virginitatis, quam miseræ amissam plorant. Quamdiu frondosa quercus erecto ac firmo stat robore, nemo non frigidâ ejus umbrâ se con-

dit ! at ubi ventorum impetu in terram sternitur infelix, omnes in eam ferro armantur, ac in partes secant. Tantus principio amor, juramenta toties repetita: *Optimo in te animo feror, ducam te conjugem, habeo te pro mea, ne dubites*: Omnia ista sunt obsequia, quæ puellæ in pedes erectæ ab ijs exhibentur, qui ad domûs limina tempus terunt, & sub jucunda hac umbra ardores juvenilis ætatis temperant. At ubi vix planta, tanto in honore habita, humi alliditur, mox ferro manus armantur, hoc est, linguâ omni securi acutiore, eam fictus iste amicus & verissimus Proditor, proscindit, ac palàm jactat, se sibi nihil conscire, sibi culpam, qui primus non fuisset, tribui non posse. Ecce! quò collimabant illa obsequia, ritus illi ac cæremoniæ, dona, inclinationes, mellita verba! Efferebantur principiò miseræ, & extra se raptæ fraudem non notabant, imò æqualium suarum invidiam incurrebant, tanquàm in choreis magis honoratæ, cùm re ipsa sui commiserationem ciere deberent, tanquam magis vicinæ tumbæ, ac jamjam moribundæ. Ita aquila testudinem unguibus arreptam in altum evehit, non sine magno, ut credo, animalis hujus gaudio, utpote semper aliàs humi hærere coacti. At quàm breve, quàm fallax gaudium! ubi prædam suam satis à terra extulit, rectâ deorsum saxo allidit, ac subinde in frusta comminutam devorat. Puella increpationibus ac fustuario assueta, quæque ancillares sine salario labores obit, cùm laudari se, æstimari, expeti, donis juvenilibus obrui animadvertit, credit, per rapacissimos hos vultures nescio quam sibi sortem obtigisse, & mille annos reputat, dum patriâ potestate emancipata ad Dominæ titulum, quem sibi in Matrimonio fingit, evehatur. Finis autem maximæ hujus spei alius non est, quàm ruina; post quam malefidus proditor jam satur se subducit, & infelici mulierculæ aliud non relinquit, quàm miseras reliquias delusæ feminæ inter acerbos dolores deplorandas. *Quomodo factæ sunt in desolationem: perierunt propter iniquitatem suam.* Ps. 72. 18. Justa sanè pœna est, ut qui cum peccato sperat felicitatem, perdat, quod possidebat, & id, quod desiderabat, non consequatur.

XIV. Comparate nonnihil inter se statum ac conditionem feminæ jacturam pudoris sui passæ, cum statu ejusdem adhuc Virginis & illibatæ. Quæ ab omni populo in honore fuit habita, omnium postmodum conventiculorum est fabula. Quæ priùs ab agnatis omnibus amata, facta est omnium maledictorum scopus. Delicium erat familiæ; versa est in scaturiginem odiorum, & inimicitiarum: nec alia hujus mutationis causa, quàm quòd misera puella, suo antè candoris pudici thesauro ingenti locuples, insanâ subinde prodigalitate suâ ad extremam inopiam redacta sit. Antehac navim referebat, ex Indijs non modicum auri pondus reportantem, comitatámque magno navium bellicarum agmine, nequid metuat, ab

ab alijs navibus verò fortè obvijs, non absque invidia spectatam. Nunc instar navigij est, quod rupi allisum confractúmque omnium suarum mercium jacturam passum est, & postmodum fluctuum vi in terram ejectum ibi hæret, dum in sicco computrescat. Spectate proin illam in aliquo domus angulo latitantem, pudore plenam, perfusam lacrymis, luctu absorptam, quæ etiam subinde ne festis quidem diebus ad templum accedat, impar ignominiæ ferendæ. O sancta solitudo! Si ea citiùs in amoribus fuisset, quantò foret hilarior Puella, quæ modò mœrore & tristitiâ contabescit! Nobilis quidam Romanus, qui omne patrimonium suum decoxerat inter epulas & mensas, quodam vespere cœnam paucis definitam olivis sumebat, cùm Plutarchus, magni nominis Philosophus, ejus fortè in ædes delatus, cùm cœnam tam parcam vidisset, lepidè ait: *si ita pransus fuisses, non ita cœnares.* Ego quoque, si aliorum ruinæ insultare mihi liberet, simili dicendi formula infelici alicui tali mulierculæ in aurem insusurrarem: si hac ratione semper sola domi egisses, non ita solitaria, & velut carcere clausa ageres. *Si ita prandisses, non ita cœnares.*

Ps. 72. 18.

Maxim. Ser. de prod.

XV. Sed fingite, hujusmodi fallaces Pollicitatores suis promissis stare, ita ut ad cupitum maritalem thorum Puella perveniat. An illa propterea minùs erit prodiga Virginei thesauri sui? Non certè: & cur ita? Quia nimirum tam non providè & sapienter rem tanti pretij donat immerenti, & donat inducta motivo tam levi. *Propter inordinationem dandi, quibus non debet dari, & propter quæ non debet.* Aut fortan res tam optanda est, viro se subjicere, ut à Virgine tanto debeat pretio comparari? In pœnam mulieri datum est jugum maritale: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui:* ita ut in peccati pœnam serva magìs, quàm socia facta sit. Quomodo igitur nunc talis pœna in tam opulentum præmium commutata est? ut, quæ illam consequi velit, tantum debeat expendere? Oporteret infelices has feminas illa interrogatione, quam Deus Jobo proposuit convenire: *Nunquid ingressus es thesauros nivis?* Ingressæne estis vestra consideratione in immensos illos Virginitatis vestræ thesauros? Tot Sanctæ, ut nivem tam pretiosam servarent illibatam, totum è venis suis sanguinem cum gaudio profudere: & Mater DEI non dubitavit, eam Maternitati DEI anteferre, quæ tamen pretij & dignitatis est quasi infinitæ. Et vos hanc fodinam candoris pulcherrimi nihilo commutatis? Constat igitur manifestè, non introspexisse vos opes vestras: *non estis ingressæ thesauros nivis.*

Gen. 3. 16.

Job 38. 22.

XVI. Atque hîc ferre non possum modum illum loquendi, quo fatuæ quædam utuntur, ut stultam suam prodigalitatem stultiore adhuc pallio operiant. *Reddidit*, ajunt, *meum mihi honorem.* Quæso, quomodo? audite docebo vos, quî sit possibile, ut vester vobis honos restauretur.

Elegans quoddam vas Vitreum accipite, ac in terram projicite: quod cùm ruptum fuerit, quâ ratione ad pristinam illud integritatem reducetis? Modus alius non est super, quàm ut ad fornacem fusoriam redeatis, & de novo fingi curetis. Ita vestro cum honore agitur, quem si perdideritis, alia cum ratione non poteritis restaurare, quàm si *iteratò introire in ventrem matris & renasci* studeatis. Aliud, quàm hoc *Renasci*, medium nullum suppetit, tantúmve vobis animi est, quo istud effectum detis? Quod si non præstiteritis, jacturam, quam fecistis, nulla unquam contentione resarcietis; utpote ex suo genere irreparabilem.

S. Thom. 2. 2. q. 12. a. 3. ad 3.

XVII. Denique circumstantia, quæ omnium maximè prodigalitatis tam insanæ vitium aggravat, est dandi modus: *propter inordinationem dandi, quibus non debet dari, & propter quæ, & sicut debet.* Contremisco, cùm cogito, quòd tot Puellæ thesaurum suum in sinum furum non modò effundant propter rationes momenti nullius; sed ipsæ circumeant, ut in casses, quibus teneantur, incurrant, illúcque gradum studiosiùs promoveant, ubi pericula Castitati suæ majora incumbere animadvertunt. Erit, non nego, qui patùm cautè opes suas custodiat: at ubi quemquam reperietis, qui datâ operâ in sylvam latronibus infestam se conferat, ac in parte felicitatis habeat, si raptores habeat obvios? Et tamen ita res in casu nostro habet. Quid enim sunt choreæ, conventicula, conversationes, Amores, & hujusmodi, nisi tot pericula, quibus intereat Virginitas! *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Inquiebat desolata Hierosolyma. Quodsi talis deprædatio ab oculo nostro proficisci potest, judicate, an non etiam ab alieno? Et tamen pericula tam manifesta, honestæ relaxationis vice habentur hoc nostro tempore, cui inhiant adolescentulæ incautæ. Virgo etiam domesticis suis familiaris esse non deberet, non aliter ac hirundo, quæ pro advena & externa habetur etiam in illa domo, in qua nidulata est. Hæc cautela ex mente S. Bernardi Virginitatis indicium est: unde, quæ cauta non est, juxta illum, magnum præbet suspicandi fundamentum, ne etiam casta non sit: *Solent Virgines, quæ verè Virgines sunt, semper esse pavida, & ut caveant timenda, etiam tuta pertimescere.* Sal- *In illud, qua cum audiss.* tem, si illa in præsentiarum casta est, admodum erit difficile, ut casta permaneat; siquidem Virginitas juxta mentem S. Ambrosij, flos est, sed tam delicatus, ut non tangi tantùm, sed & videri timeat: *Sancta Virginitas non solùm tactu, sed etiam aspectu violatur.* Quid igitur magni isti Sancti de Juvenculis nostris dicerent, si tota die fenestris incubantes cernerent, si ad fores, ad platearum capita, ubi se aspectabiles præbeant persecutoribus suis dicam potiùs, an sequacibus? quid si etiam manibus prehendi tantâ libertate, ut sponsos illos

Thr. 3. 51.

L. de Virg.

illos, sponsasque esse nemo prudens ambigeret ? O quàm horridum hoc ac terribile spectaculum foret, Magistris istis Virginitatis Zelosissimis ! contrectari earum manus, & hoc inspectantibus matribus, consentientibus, & approbantibus.

XVIII. Virgo Sacrorum instar Ecclesiæ Lipsanorum asservanda esset, quæ raris per annum vicibus videnda oculis exhibentur, manibus attrectanda nunquam. Neque plùs, quàm oporteat, hac comparatione dixi. Asserit S. Thomas, quòd Virgines inter Christianos pulcherrimè Desponsationem, quæ inter Christum & Ecclesiam intercedit, repræsentent. Et licèt hoc propriè de illis tantùm Virginibus intelligatur, quæ voto perpetuo se DEO obstrinxerunt, potest tamen etiam cum quadam proportione de illis Virginibus intelligi, quæ in omni statu ac conditione magnum illud Integritatis donum in corpore & anima possident, & magno illud Zelo conservant. Et ideo, si Virginitas tantum de sacrosancto habet, quâ ratione ferendum est, quòd illa adeò sine cura & sollicitudine prostituatur ? Enimverò non habeo, quid dicam, nisi Beatos Cælites non hac, sed longè diversâ ad conservandum suum pudorem ratione usos esse. Et sic mihi persuadeo, quòd, quàm facilè est Virginitatem in media solitudine reperire, tam sit difficile in media illam dissolutione offendere. Ut nivem asserves, abscondas oportet, ut non tantùm non à Sole, sed ne ab aura quidem, ut sic loquar, conspiciatur, Fieri potest, ut in jugis montium & Alpium verticibus ob ingens regionis illius à Sole & planitie remotæ frigus, nix etiam in aprico posita non colliquescat; hinc tamen non efficitur in quocunque etiam colle nivem sine labe perstituram. Sic in raro aliquo casu Puella quædam incontaminata servatur in media etiam agendi libertate, beneficio naturæ ac indolis bene dispositæ, simplicis, & ab omni fœditate abhorrentis : nolim tamen hinc argui, id & quavis die, & in quavis Puella eventurum. Nimium quantum difficile est, quemquam reperire, qui diu turus in periculo hæreat : *Quem sæpe transit casus, aliquando invenit.* Sen. Herc. Fur.

S. Th. in 4. dist. 23. q. 1.

XIX. Quî si etiam hujusmodi Adolescentulas reperiremus, quæ splendore, quem quasi infantulæ ab ætatis suæ conditione accipiunt, dolosè uterentur ad liberiùs peccandum ? Eventu quodam rem explanabo, ut facta verborum, quæ pudor non finit proferre, vicem suppleant. F. Bernardus Astensis Sacri Ordinis Capucinorum tum Generalis, cùm aliquando per sylvam iter faceret, feminam obviam habuit, quæ altùm ingemiscens ab Apris miserum in modum se dilacerari querebatur : Accurrit vir Sanctus, auxilium laturus ; sed audit, malo non esse remedium. Fui, heu ! Puella procax, his in locis lascivè vivere assueta, quæ ut tantò liberiùs fruerer Amasij cujusdam mel amplexibus, negavi me cuiquam velle nubere, sed Virginitatis decus illibatum tumulo inferre. Nunc mortua Bever. A. 1554. n. 29.

tua & damnata in prædam data sum hisce duobus Apris, re vera, Dæmonibus, qui me, ut vides, dilacerant & torquent. Hæc cùm dixisset, disparuit. DEUM immortalem! eò venimus, ut Virginitatis conservandæ titulus loco pallij serviat cooperiendæ libidini? Videte, cujus farinæ puellas nonnunquam reperire sit. Columbæ apparent foris, intus quavis cornice sunt nigriores. Imò verò columbæ sunt. Nulla inter volucres columbâ magis est incontinens, ita ut Antiqui currum Veneris, Lascivorum Deæ, à columbis trahi fingerent. Nihilominus nulla inter volucres magis etiam pura vulgo habetur; tantum apparens candor facit. Talem esse oportet, quæ quandoque matrimonij vincula respuit utut honorati, non quòd magis esse casta percupiat, sed dissoluta, & Sirenum instar conspectui subtrahit, quod sub aquis habet bestiæ. Verùm stultæ DEI oculos non fallent. Veniet Dies, veniet, quo res occultæ omnes in lucem protrahentur: *Illuminabuntur abscondita tenebrarum, & manifestabuntur Consilia cordium.* Virginitas quò annis longiùs procedit, eò crescit æstimabilitate, magisque reddit honoratam, à qua servatur diutiùs. Quotidie ab ipsa diuturnitate gloriæ incrementum capit, ut Cedrus, quæ cum ætate fragrantiam auget. At vera sit oportet, non simulata; hæc enim omni etiam pure gravius fœtet.

XX. Quæ cùm ita sint, stultam malè sanarum illarum prodigalitatem Puellarum considerate, quæ tam profusè thesaurum expendunt, cujus intuitu DEUS nunquam cessat animas illas locupletare, quæ eundem possident; adeò in eo sibi complacet: *Gratia super gratiam mulier Sancta, & pudorata*; Quòd si fortè præsens esset Prodigarum istarum, stultarum volebam dicere, quæpiam tot inter sapientes, eodem illam ferè modo, quo Lex Prodigos solet, tractarem: Constituerem nimirum Curatorem. Quem illum? Sanctum DEI Timorem, ita docente Apostolo: *Mundemus nos*, hoc est, *simus mundi ab omni inquinamento mentis & corporis? perficientes Sanctificationem in Timore DEI.* Perpendite, quòd tempus transeat, finis autem nullus sit æternitati: nos autem non diu post ad terribile DEI tribunal citandi simus, coram quo nihil clamores, nihil excusationes, nihil valebunt appellationes. Quis scit, an non Judex, quem remotum ac longè distantem creditis, ad januam stet ac pulset? *Ecce Judex ante januam assistit.* Vos autem tam parum furorem illius metuatis, ut opes ab ipso concessas, ad lucrum, & ad insignem Gratiæ suæ accessionem faciendam, periculo adeò protervè exponatis? De salute æterna agitur. Dulcis quidem libertas, gratæ refocillationes, jucunda oblectamenta, amabiles conversationes sunt, non nego: at si animæ vestræ detrimentum patiamini, quid ex delicijs vestris omnibus habetis? Nostis, Lusciniam etiam caveâ apertâ non prodire, cùm accipitrem videt; magis eam timor mortis suo carcere clausam tenet, quàm

Eccl. 16. 19.

Eph. 5. 6.

Luc. 5. 9.

quàm eam evagandi libertas delectet. Vos quoque, si non ad præsentia tantùm, sed & futura respexeritis; si non bonum illud & malum, quod velut somnus transit, sed bonum & malum, quod finem caret, attenderitis, idem facietis. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritûs perficientes Sanctificationem in Timore DEI.* O quàm vigilans atq; attentus est curator iste, Sanctus Dei Timor! Hunc ego omnibus, qui insigni hoc thesauro gloriantur, consigno utriusque sexûs Virginibus. De sequiore quidem sexu locutus sum plura, neque tamen propterea quisquam existimet, in alterutro Virginitatem magis esse æstimabilem: cùm, ut S. Augustinus attestatur, virtutis hujus pretium in eo consistat, ut quis quantum quidem humanis fieri viribus potest, Christum imitetur spiritus ac carnis integritate; id quod utrique sexui commune est. *Dux Virginitatis meæ tu es*, Jeremias, qui fuit Virgo, dicere potuit. Non sibi persuadeant impudentissimi illi Juvenes, ideo minùs se illis turpes esse, qui bona sua dissipant & abliguriunt, quòd modò non videant jacturam. Quia quantumcunque lapsus feminæ coram tribunali humano turpior videatur, quàm viri; aliter tamen res se habet coram tribunali Divino, ubi omnes ex pari & æquo judicantur. *Viro non licet*, ait S. Ambrosius, *quod mulieri non licet*, Imò, etsi quibusdam in adulterio turpior videatur & pejor feminæ lapsus, quàm viri, id non aliunde censent, quàm ex ijs, quæ adulterium feminæ consequuntur: quæ ubi cessant, vult S. Thomas ex natura sua majorem esse viri culpam, quàm feminæ, eò quòd ille gravius delinquere censendus sit, qui rei momenta magis intelligit. *Homo, cùm in honore esset, non intellexit.* Et tamen non pauci sunt, quia horrendum hoc, ac formidabile tribunal non expaveſcant, ac glorioſum ſibi ducant, ſi majus in ſe Judicis odium concitent, adeò protervi ſunt, adeò in ſcelera effuſi, quorum paulò pòſt graviſſimam rationem reddent; nec ipſi tantùm cœno ſuarum fœditatum immerſi, ſed etiam ut alios in eaſdem ſordes pertrahant, ſtudioſi. Non ita, non ita, vos ſaltem, dilectiſſimi! Sed Sanctus DEI Timor, quem vobis Curatorem conſtitui, in omnibus ſpiritûs ac carnis integritatem conſervet, cunctóſque inſtar Cryſtalli intus ac foris puros, ac lucidos faciat reſplendeſcere. Caſtitas enim in carne ſine Puritate in Anima, vera Caſtitas non eſt, & Virginitas animi ſine illa, quæ in carne eſt, electa Virginitas non eſt. *Mundemus* igitur, *mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs, perficientes Sanctificationem in timore DEI.*

Ecclí. 16. 19.

2. Cor. 7. 2.

Eph 5. 6.

Iuvem. 3. 4.

Iac. 5. 9.

S. Ambr. l. 1. de Abr. c. 4.

S. Th. 2. 2. q. 152. a. 1.

supplem. q. 62. ar 3. ad 5.

DISCURSUS XXVI.

De Turpitudine Avaritiæ.

I. SAulus Apostolus verbis, magnum quiddam significantibus, pecuniæ cupiditatem omnium malorum radicem appellavit. *Radix omnium malorum est Cupiditas.* Hæc enim cupiditas aut jam parturit, aut quasi in virtute & radice omnia mala continet, illico paritura, quamprimum nacta fuerit occasionem. Considerandum nunc est, tres in omni radice præcipuas esse conditiones: In primis quòd sit occulta; dein quòd sit fœcunda: ac denique quòd bene in terra firmata; atque ideo evelli difficulter possit. Quæ tres proprietates clarè nobis Avaritiæ naturam ob oculos ponunt, quæ in ima humani pectoris se demittit; dein pascua omni vitio subministrat; ac demum non nisi summa cum difficultate evellitur, saltem cum ipsis etiam fibris. Id ipsum hodie videamus. Nam si ad exsiccandas annosas radices meliùs nihil occurrit, quàm easdem effodere, confido idipsum me in cordibus vestris effecturum, & hanc pestiferam radicem aridam redditurum, cùm eam totam discooperuero, & Soli veritatis exposuero.

I Tim. 6.

I.

II. Avaritia, ait Propheta, ingens Lyceum aperit, Lyceum tam vastum, quàm amplus est orbis terrarum universus; adeò frequentatum, ut omnes fere homines suos numeret Auditores & discipulos. Et quamvis ne unam quidem diem, quâ ab hoc studio vacent, concedat, attentissimos tamen habet omnes: usque adeò prælectiones ijs gratæ sunt, ex quibus nullo non die novos modos addiscunt, quibus lucra sua promoveant. *A minore usque ad majorem omnes Avaritiæ student.* Neque velim vos credere, stoliditatem quibusdam ingenij obesse, quò minus proficiant, nam illi ipsi, qui ad alia negotia prorsus stupidi ac tardi habentur, quibus applicantur, non nisi merum ingenium sunt, cùm perversæ huic Magistræ aures accommodant. Unde id faciunt inter homines, quod Polypus inter pisces, qui cùm aliàs trunci instar sit stupidus, cùm ad rapiendum devenitur, totus est manus, totus ingenium, & sagacitas. De salute animæ sermonem instituite; nihil capient penitus, stipitum instar assidebunt. De lucro verba facite, non nisi Doctores experiemini; diceretis, non esse illos ipsos, sed totos alios; nam cùm de accumulandis bonis agitur, quilibet eorum est loco multorum: *à fructu frumenti veni & olei sui multiplicati sunt*: at cùm de salute sermo infer-

Jerem. 6. 13.

Ps. 4.

infertur, ne dimidium quidem hominem referunt : *nihil habet homo jumento amplius.* Eccl. 3. 19. Et tamen, quantumcunque Avaritiæ Academia tam numerosos habeat Auditores, quis nihilominus est, qui velit confiteri, quòd eâ Magistrâ utatur? Nemo non jactat, se longè ab ea positum, nemo non sibi ipsi id persuadet, & ipsi sibi suam pestem abscondit, ut adeò prima hæc sit Avaritiæ conditio, quâ radicis instar occulta habetur. *Radix omnium malorum est cupiditas.*

III. Sed ne hic loquendi modus vobis amplificatio aliqua videatur, oportet Avaritiam in duas species distinguere; unam quidem in affectu, alteram effectu; unam in retinendo, alteram in rapiendo; unam Liberalitati oppositam, alteram Justitiæ. Utramque hanc pestem in cor humanum radices suas dilatâsse dico, & tamen in eodem velut sepultas latere. *Frutex peccati radicabitur in illis, & non intelliget.* Eccl. 3. 30.

IV. Prima itaque occultæ Cupiditatis species Justitiæ opponitur, & consistit in auferendo reipsa bona aliorum, quin deinde id ut malum apprehendant. Et hic mihi occurrunt magno meo cum dolore quàm plurimi Pauperes, quos non possum non criminis arguere, qui pro eo, quòd brachiorum suorum labore alere se possent ac sustentare, solùm manus suas extendunt ad clependū ubi, ubi occasio se obtulerit; & postmodum occultam radicem hanc in cordibus suis fovent obtentu necessitatis, quâ premantur, sed non ita est. Quoties enim possent magnum illud damnum avertere, quod Hortis, Vineis, Olivetis, ac Sylvis inferunt? Possent ligna arida colligere; ipsi autem virentes arbores juxta vias succidunt? Ramis & frondibus esse contenti possent, ipsi verò truncos ad usque terram prosternunt. Possent nonnullos fructus humaniter carpere; ipsi verò omnes sine discrimine pessumdant. Quod si etiam hujusce generis homines, operis adlecti, agrum colant, & postmodum, cùm ad accipiendam mercedem devenitur, per errorem plùs, quàm ijs competat, accipiant, ubi aliquem invenietis, qui Domino ita erranti nummum unum restituat? Imò gratissimum hoc ijs accidit, & sortem sibi faustam gratulantur, & tanquam rem suam expendunt. Demus, quòd error hujusmodi rem omnino exiguam concernat: non exiguam tamen cupiditatem in corde delitescentem, & suo tempore prodituram manifestat: nam, etiamsi hic ipse error Summam majorem ijs attulisset, eâdem omnino ratione, animo quin etiam hilariore, illam acceptâssent.

V. Verùm dùm Pauperes tam manifestarum arguo injustitiam, nolim vos cogitare, ô Divites, quòd vos excusare intendam. Imò quis fraudes explicet, quas Opulenti longè potentiùs exequuntur, licèt in ijs longè minùs sint tolerabiles, quòd non ex necessitate, sed ex ipsa prodeant abundantiâ *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Vulgò creditur, quod Egeni sua divitibus

subtrahant ac furentur : ego verò opinionis longè diversæ essem ; quia si res justâ lance expendantur, compertum, multò plus illud esse, quod Divites Pauperibus, quàm quod pauperes Divitibus auferunt. Certè nusquam invenio, quòd Sacræ Paginæ in Egenos invehantur, quòd Divitibus liberè sua rapiant, sæpius autem è converso. Negotium non habeas cum ditiori te, ait Ecclesiasticus, Eccl. 13. 2. fiet enim tibi, quod vasi luteo, cùm æri alliditur. Tanquam debiliorem affliget, dum caput frangat. *Ditiori te ne socius fueris. Quid communicabit cacabus ad ollam ? quando enim se collisérint, confringetur.* Et alio loco Eccl. 13. 23. ait : *Venatio Leonis Onager in eremo; sic & pascua divitum sunt pauperes.* Mille fraudibus Dives obruet pauperem : *Dives injustè egit, & fremet,* Ecc. 13. 4. *Pauper autem læsus tacebit.* Quibus, aliisque loquendi formulis Spiritus Sanctus modum agendi describit, quo Opulenti in egenos grassantur, & propter quas ita singillatim enumeratas violentias Pauperem præmonet, ut sibi à divite caveat ; utpote à quo nunquam nisi afflictus discessurus sit ; nunquam non spoliatus, & ad usque medullas exhaustus : denique etiam Eccli. 13. 7. 8. adhuc deridendus ac explodendus : *supplantabit te &c. & in novissimo deridebit te.* Indagate, quæso, an Spiritus Sanctus ullo in loco similem modum usurpet, quo iniquitatem discooperiat, quam Divites à Pauperibus sustinent, atque ad illos dicat ; ut à Pauperibus sibi caveant, uti pauperem exhortatur, ut sibi caveat ab opulento ? Indicio proinde est, sæpius contingere, ut opulenti egenos, quàm hi illos exspolient ; & si alterutri rapacium nomine compellandi sunt, quæ unquam proportio invenietur inter rapinas hominis infirmi ac debilis, & robusti ac vegeti? Apes, cùm ad mellificandum in viridaria excurrunt, si fures sunt, certè innocentes sunt, quia flores, in quos incidunt, succo suo ita exspoliant, ut inde flores nihil damni accipiant ; si tamen eas furti condemnare volumus, videamus nonnihil, quàm longè gravioris argui ursus debeat, quando vel semel prodit suo illo è spelæo ad nocendum Apibus. Ursus cùm in favii incidit, totum ei se immergit, & nulla habita ratione strepitûs aut clamoris, ipsorúmque adeò aculeorum, quibus misellæ bestiolæ ad justam rerum suarum defensionem catervatim in eum involant, uno momento multorum mensium labores pessumdat. Imago hæc est illius tyrannidis, quam multi Domini, heu nimiùm crudeles in miseros ac pauperes suos subditos, in millenis eventibus exercent, præcipuè autem, quando rebus, quas ad conservandam vitam necessarias subministrant, immane pretium imponunt ; illas autem, quas vicissim ipsi à subditis recipiunt, longè minimo æstimant. Instar Ursi in medios subditorum suorum labores efferus quandoque Dominus irruit, & donec omnes ad ultimam usque guttam eorum sudores exsuxerit, eósq; omnibus subsidijs destitutos viderit, non discedit. Interim Pauperibus objicitur, furtis illos

illos debitos ; nemo, nisi Pauperes Dominis suis furum nomine veniunt; hi sunt, qui regionem deprædantur, possessiones invadunt, omnia secum mala invehunt : adeò suâ ipsi cupiditate excæcantur Divites Avari, & radix illa cupiditatis in fundo cordis absconditur, quam in alijs mille modis detestantur. *Qui prædivas non furandum, furaris.* Rom. 2. 21.

VI. Nec minùs egeni à mercatoribus habentur, qui, cùm videant merces suas parată pecuniâ non exsolvi, insigne sibi privilegium fingunt, quo res omnes ad majus pretium extollant, quas pauperibus credunt. Defendunt quidem se, ac excusant speciosis illis tribus, lucri cessantis & damni emergentis ; nescio tamen, an hi tituli in omnibus eorum contractibus cum veritate subsistant ; putóque, non rarò illis pro uncino servire, quo illos fructus arripiant, quos manibus apprehendere non valerent ; puto eos mercium, quas aliquando soluturis credunt, non tantùm non facere jacturam, sed lucrum ; cùm alia ratione (ob eum qui est, præsentis pecuniæ defectum) vix aliquid venderent, si nihil nisi numeratâ pecuniâ vellent permutare : dubito etiam, ne sæpius periculum hoc magnum, ab ipsis apprehensum, verum non sit, quo ad tempus præstiturum debita non expungenda metuunt cùm non rarò Vadem requirant ; imò Vade non contenti, etiam pignus exposcant ; & tamen adhuc titulo periculi, quod subeant solutionis nunquam obtinendæ, merces non tantùm non infimo, sed ne Lugo de Just. & Jur. t. 2. d. 25. n. 89. Molin. d. 316.

sumo quidem venales proponunt, ultra hoc eas taxando. Interim Pauperum protectores se venditant, dicúntque, quòd, si absque ipsis esset, Egeni quàm plurimi fame emori conspicerentur. Ita qui Elephantis fossas struunt; eósque oppidò fessos & ex casu semineces, magno labore inde extrahunt, medios inter conatus coram ijs tanquam gratiosos liberatores se jactant, & ad sua miseram bestiam, per omnem vitam, servitia cogunt, perinde ac si eam ab ipsis dono accepisset. Sed, avertat Deus, ne unquam in cujusquam hominis cor Avaritia surrepat, utpote quæ ita illum excæcat, ut minùs etiam, quàm bellua aliqua videat. Asina avarissimi illius Prophetæ Angelum in via occurrentem, ac evaginato sibi gladio minas intentantem videt, ipse autem Propheta non videt. Unde consilium omnibus Mercatoribus perquam salutare hodie proponere velim, ut in suis contractibus, antequam quidquam decernant, Docti cujuspiam Confessarij mentem exquirant, quid hac illâve in re sibi liceat, quid non ? quia quantò est facilius, cibum non deglutire, quàm, ubi deglutieris, nauseabundum rejicere, tantò etiam est consultius, illud, quod proximi tui est, in contractibus relinquere intactum, quàm, ubi abstuleris, restituere. Deinde sæpe ac multum negotiari, & negotiando nullum alteri damnum conciere, admodum arduum ac difficile est : *Si Dives fueris, non eris immunis à delicto* : ait Spiritus Sanctus. Quod si de possidente in- Eccli. 14. 10.

telligitur, multò magis de acquirente intelligendum est; utpote qui errori magis obnoxius est; ob quam causam, ne in errorem inducatur, oportet, ut consilium ab alijs exquirat. In omni contractu inter emptionem & venditionem peccatum quasi medium interjacet, instar pali, qui inter duos muros medius claudi & conjungi
Eccl. 26. 19. deberet: *sicut in medio compaginis lapidum palus figitur*, dicit Sapiens, *est & inter medium venditionis & emptionis angustiabitur peccatum.* Quasi Injustitia inter duos istos terminos in eas sit angustias redacta, ut, etiam cùm velit, evadere libera non possit. Hinc fortiter ab Emptore detinetur, illinc à Venditore, ita ut non minùs ægrè indè evadat, quàm palus inter duos muros infertus. Emptor Lucrum quærit illicitum, vel in parcitate pretij oblati, aut in monetæ infra justum valore. Venditor mercium suarum defectus occultat, vel, etiam interrogatus, tam non exponit, ut etiam datâ operâ officinas multùm tenebricosas eligat, intra quarum ambiguam lucem, dolos suos & mercium defectus magis abscondat. *Inter medium venditionis & emptionis angustiabitur peccatum.* Peccatum in illis tenebris habet se sicut in loco, ubi nullas sui species emitere potest, unde
Sur. in Vita. etiam occultum remanet. Certus quidam Dives S. Launomaro Abbati quadraginta nummos dono misit, quos illico Sanctus Altari impositos, cùm singulos solicita manu versâsset, ex omni numero, triginta novem illico remisit, retento uno solo, cum dicto: solum istum justo lucro, reliquos omnes iniquo comparatos esse. O si artem callerectis, quâ bona vestra ab alienis segregaretis, ut lolium à tritico separatur, fieri posset, ut in quorundam negotiantium domibus parùm sinceri remaneret, omnia cetera velut per cribrum excuterentur! Saltem injuriam nemo illis facit, qui suspicionem non levem hac in parte fovet; fermè ut illis nulla fit injuria, qui ex loco peste infecto veniunt, etiamsi quis de eorum sanitate ambigat, vel etiam quadraginta dierum intervallo ab aliorum illos commercio arceat. Ideo Thebani veteres ad Ma- *Arist. l. 3. Pol. c. 3.*
gistratum Negotiatores quosvis non admittebant, nisi decem annis ante negotiationi nuncium remisissent: rati, tanto omnino tempore fore opus, ut, qui negociationibus vacâsset, avaritiæ se suspicione liberaret. In quorum confirmationem adduci illud Ec- *Eccl. 26. 28.*
clesiastici posset: *Difficile exuitur Negotians à negligentia.* Et verò tam inveterata est negotiantium consuetudo, negligenter investigando quid justum, quid non justum sit, ut meritò, antequam Justitiæ bilanx eorum manibus committatur, ut alieno bono illâ utantur, oporteat eis satis temporis concedere, ad tam pravam assuetudinem dediscendum. Quæ ipsa negligentia quid aliud nobis demonstrat, nisi quòd magna pars iniquitatum oculos adeò incurios effugiat?

VII. Quòd si occulta est avaritiæ pestis, etiam quando foris actione aliqua effectúque se prodit, nemo non facilè

facilè intelliget, quantò magis illa, quæ se condit in pectore, & ultra affectiones animi non prosilit, futura sit incognita ? *In multitudine negotiationis tua repleta sunt interiora tua iniquitate*, ait Ezechiel Propheta. Quis unquam conscientiæ sibi ducit nimiũ pecuniarum amorem? Imò prudentiã, vel summam quandoque sapientiam illum existimant. *Sapiens sibi videtur vir dives* : verba sunt Sancti Spiritûs. Qui magno affectu bona sua possidet, non prudentem modò, sed & sapientem se credit ; non tantùm dicit, remotis etiam & longè adhuc positis familiæ necessitatibus debere prospici, sed cuilibet incumbere obligationem, quâ rerum suarum rationem habeat : Unde pro tantillo terræ pugillo, quantum formica paucis horis circumiret, mille litibus nonnulli se implicant, alienationes animorum mille concipiunt, & amaritudines animi, ac ferro se parant defendere non minùs, quàm si ab hoste quovis infensissimo ad necem quærerentur. *Sapiens sibi videtur Vir dives* : Et tamen Spiritus S. longè aliam de illo sententiam ferr, cùm dicit ; *Nihil iniquius, quàm amare pecuniam.* Paulò majorem inordinatus ille affectus, quem in retinenda aut augenda pecunia fovetis, timorem vobis incutere debet ; nimis enim quàm multum pravi & scelerati in eo latere potest. Quoties Servator noster acerbè in Pharisæos invehitur, non quòd fures sint, qui aliena rapiant, sed quòd avari, qui plus æquo etiam sua ament ? Quid igitur de Christianis dicere oportebit, quibus fidei Lumine bona maxima ac præstantissima, quia Divina, innotescunt ? *Si quis digitis conjunctis nascatur*, ajunt Leges, *non videtur sanus esse, si incommodatur ad usum manus* : Mihi credite, quòd, cùm conscientiâ sanâ & sincerâ valere vos arbitramini, si tantùm nullam domi vestræ rem alienam hærere judicatis, plurimùm in ferendo de vobismetipsis judicio fallamini. Digiti illi conjuncti magni loco malí habentur ; ingens ille nummorum amor, manus illæ in retinendis facultatibus compressæ, inque erogandis illiberales, magnam in vobis arguunt infirmitatem, & vestrum è bonorum Christianorum Albo nomen expungunt, *Non solùm avarus est, qui rapit aliena, sed qui cupidè servat sua*, ait S. Augustinus. Qui secus crederet, asserere velle videretur, neminẽ in sua cella vinaria, quantumcunq; biberet, aut inibi hæreret, posse inebriari.

Ezech. 28. 16.

Prov. 28. 11.

Eccli. 10. 10.

L. quæritur § sitquis digit ff. ed. Ædil. edict.

Serm. 196. de temp.

II.

VIII. Verùm magis adhuc in lucem protrahamus occultæ hujus radicis malignitatem, &, quàm ea malorum fœcunda sit mater, exponamus : *Radix omnium malorum est cupiditas* ; Enimverò, ut prodigiosè fœcunda argui possit, satis est, dicere, esse summè occultam : cùm & Radix, quò altiùs in terram se insinuat, tantò etiam frondosiores crebrioréque ramos in auras extollat. *Mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum.* Et certè quis dicendo assequatur, quot quantáque mala nullo non die ab Avaritia pullulent ? dicam : omnia

Isa. 37. 31.

Ita

Ita est, repeto, ac cum S. Jobo pronuncio, ideo in Mundo malos reperiri, quia reperiuntur divitiæ : *Quare impij vivunt ?* Rationem audite : *Sublevati sunt, confortatique divitijs.* Habere quidquid commodum gratúmque est, scalæ instar ijs servit, quâ ad omnem malitiam scandant, & instar fulcri est, quo nitantur : *Sublevati sunt, confortatique divitijs.* Quid Hederâ fieret, si murum non haberet, quo sustineretur ? illico in terram concideret, & â viatoribus conculcata exaresceret. Ita, cùm mali superbiâ intumescunt ac eriguntur, cùm se nimiâ rerum abundantiâ dilatant, contemptis hominibus discunt nec DEI porro ullam rationem habere, non aliunde id fit, quàm ex adjumentis, quæ rerum copia subministrat, & illo exsuceo, quem opes pro arbitrio, & cùm libuerit, abunde suppeditant.

Job. 21. 7.

IX. Atque ita rem se habere, geminâ Avaritiæ consideratione palàm fit : primò si eam contemplemur ut suorummet actuum effectrix est : secundò prout alijs animi Passionibus servit, ut suos actus producant. Primo modo considerata, sexcentorum radix malorum est. Quis enim satis explicet omnes illas injustitias, quas in rebus vel acquirendis, vel conservandis, vel augendis Avarus committit ? *Qui in multis factus est, multiplicat malitiam.* Qui varijs negotijs distinetur, multis curis & contractibus implicatur, non nisi difficillimè evadet, quin à capite ad calcem iniquitatibus obsideatur. Maximè, si his peccatis etiam illa accedant, quorum Avarus ab alijs committendorum causam eâdem ex causa præbet. Non nisi unum hominem Opulentum animis vestris subijcite, qui largitionum ac speciosarum commendationum ope tandem obtiner, ut lis quæpiam in longum protrahatur, ejúsque decisio impediatur. Quis peccatorum numerum inibit, quorum hac sua violentiâ est causa ? Quoties paupercula illa vidua ei fit obviam, mille in abeuntem imprecationes conjicit ; obverso illi tergo ignominiosè canem appellat, Turcam, Proditorem, & ipso Judâ familiæ suæ nocentiorem detestatur. Hoc quasi lacte familiam suam teneram adhuc pascit : quæ etiam ipsa exemplo afflictæ Matris spiritu exitialis vindictæ concitatur, nec æquis aspicere deinceps oculis potest injustum oppressorem, nec quidquam ferè aliud in ore habet frequentius, quàm injurias sibi ab illo divite illatas. Ex quo videre est, quàm copiosam messem à maledicta hac Avaritiæ radice malignus spiritus colligat ; quàm ille litigatoris in pectore plantavit, in corde Viduæ aluit, & in animis oppressæ & auri alieni viribus sub jugum missæ familiæ ad maturitatem perduxit.

Eccli. 34. 10.

X. Sed hoc minus adhuc est. Ingens illa peccatorum copia, quæ ex Avaritia proveniunt, tunc maximè accumulatur, quando omnibus alijs animi affectionibus subservit, ita ut molimina sua impia ac scelesta perficere valeant. Superbia & Avaritia à Sacris Paginis malorum omnium principium

cipium nominantur. *Initium omnis peccati superbia est. Radix omnium malorum est cupiditas.* Utrumque verissimum est, ait S. Thomas, sed ratione diversa: Superbia enim malorum omnium initium est in Intentione; Avaritia verò in Executione. Superbia Architecti officio fungitur, qui ædificium designat; Avaritia opificum principem agit, qui opus urget, materiam parat, & ad eum modum, quem Architectus notavit, ædificium construit. Et reverà quod uspiam peccati genus est, ad quod pecuniæ non possint concurrere? *Pecuniæ obediunt omnia*, dicebat Sapiens; & ideo, si intuitu cujuscunque boni temporalis homo inducitur ad tergum Deo obvertendum, minimè obscurum est, partem aliquam eo in scelere pecuniam habere, vel tanquam finem, qui ad illud inducat: vel tanquam instrumentum, quo finis facilius obtineatur. Illa ipsa peccata, quæ contra Deum rectà tendunt, cùm penitius introspexeritis, videbitis ferè omnia ex habendi Cupiditate originem suam sortiri. Lusor ille nefarius tam impias ore suo blasphemias evomit, ut ore vel infernali magis abominabiles prodire non possent. Quis autem linguam hanc scelestissimam alius inflammat ignis, quàm desiderium lucri, quo accenditur, aut jacturæ impatientia, quam nequit concoquere? Unde perjuria illa in contractibus tam prompta nascuntur, illa falsa testimonia coram tribunalibus, superstitiones, sacrilegia & alia infinita scelera & inaudita? Qui veram originem scrutatus fuerit, non nisi ex sordido hoc fonte Avaritiæ scaturire deprehendet. *Avaro nihil est scelestius.* Quàm nata sunt homicidia, quæ Avaritia aut non imperet, aut non propriâ manu exequatur? Id quod etiam de inimicitijs dixerim, de pertinacibus odijs, de calumnijs & contumelijs, quæ omnia pessimæ hujus Matris fœtus sunt infeliciissimi. Et si immunditia venenoso quodam torrente omnem pænè Christianum Orbem inundat, nemo non videt inundationem istam Avaritiæ rectè tribui, ut quæ aggeres omnes rumpat, & pecuniis repagula perfringat, quibus castitas hactenus tuta persistebat. Imò, quod omnium maximè mihi dolet, mala filiorum educatio (præcipua malorum quorumvis origo) magnam partem, si non omnem, uni Avaritiæ debetur. Non ignorat Mater illa, quanto cum periculo discurrat, ac vagetur filia: sed maledictâ illâ, Matrimonio illam illigandi spe excæcata, omnia, quæ videt, videre se dissimulat. Pater ille, ut negotiis suis vacet, familiæ curam seponit, ac filiis quidvis agendi licentiam permittit; et licèt posset uni alterive filio suo traditâ uxore plagam Libidinis curare, quæ putri fœtore viciniam & domum inficit, pensi tamen id non habet, quia proprij emolumenti studium id non permittit, ut curando vulneri pretiosum Balsamum comparetur. Respondent, è re familiæ non esse, illam in plures partiri. Quòd si Filij interim pereant, penes ipsos culpam residere. Filiam quo-

Eccl. 10. 15. S. Thom. 2. 2. q. 34. a. 1. & 2.

Eccl. 10. 10.

Eccl. 10. 9.

quoque, si ætate tenera marito seni, deformi & delito, divitî tamen, desponsetur, & hac occasione peccandi ansam arripiat, sibi imputare debere. Hæreditatem, quæ speratur, omnibus adulterijs horrorem adimere, quæ ex conjugio magis licito, quàm utili subnasci possunt. Felix dici posse omne conjugium, cujus Pronubum agat proprium commodum, cum marsupio, numerato ære pleno. Neque hic finis malorum, quorum avarus Pater causa est. Filium totis viribus ad Sacros Ordines adigit, qui tam ad tremendum Sacrificium offerendum ineptus est, ut ne alteri quidem facienti servire aptus sit. Quin & Ecclesijs accuris parochialibus admoventur, qui ad devorandum, non ad pascendum gregem idonei noscuntur. O radix Avaritiæ maledicta! Quis fructus pestilentissimos numeret, quos producis? *Nihil est malorum, quod non cupiditas aut concipiat, aut parturiat, aut nutriat*: exclamat S. Valerianus. Uno verbo: si Christiani Christiani non sunt, aut tales non apparent, non nisi in habendi studium culpam conjicere, & non errabitis. Si à Spiritu Evangelij remoti sunt ac alieni, in fundendis ad Deum precibus remissi, in audiendo verbo Dei negligentes, in frequentandis SS. Sacramentis tepidi, certò certiùs aliam hujus socordiæ causam non reperietis, quàm adhæsianem illam, quâ rebus temporalibus nimiùm agglutinantur, quarum incrementum, ultimum suum finem statuunt: unde fit, ut quemadmodum terra illa, quæ producendo auro occupatur, cetera sterilis est, ita animæ, quæ in accumulandis opibus distinentur, ineptæ evadant ad illa majora bona procuranda, quæ vitæ futuræ proficua perseverent.

Hom. 20. de Avarit.

XI. Notum: sed planè horrificum SS. Canonum effatum est, quòd olim Sacerdotes aurei in ligneis calicibus consecraverint, modò autem in calicibus aureis consecrent ligneî Sacerdotes. An igitur malè mos invaluit, quo Ecclesijs magnâ copiâ pecuniæ donantur? Imò quæ res magis reddit gloriosos Constantinos Carolos, Pipinos &c. quàm isthæc liberalitas? Malum omnino est, quod dicebam, cùm ex auro nascitur Avaritia, cúmque hæc finem habet pro medio & medium pro fine, aurum in toxicum convertit, quòd in antidotum, salutis fuit oblatum. Opes in Ecclesia receptæ sunt ad protegendum, ac propagandum Dei cultum: Avaritia è diverso eò multos adegit, ut ex cultu Divino quæstum facerent. Simoniæ nimium quantum frequentes, ac ingeniosè excogitatæ id palam faciunt; ut etiam luxus, quem auctoritatis gradui debitæ servandæ titulo bellè palliant. Unde dixit Ecclesiasticus, quòd aurum Sacrificantibus si sibi non caveant, offendiculo sit, *Signum offensionis est aurum Sacrificantium, Væ illis qui sectantur illud!* nec illis tantum exitium comminatus est, qui sectantur illud, sed ijs etiam, qui in eo fugiendo minùs cauti sunt. *Et omnis imprudens peribit in illo.* Appa-

De Cons. dist. 1. c. vasa in qui. bus.

Eccl. 31. 7.

ret

ret revera, talem indolis ac naturæ diversitatem Amorem Dei inter, & Amorem nummorum intercedere, quæ omnem reconciliationis spem è medio tollat. *Non potestis Deo servire & Mammonæ*: siquidem appetitus habendi (omnem aliarum affectionum vehementissima) paulatim ita hominis Christiani animum ad malum disponit, ut denique ad omne genus sceleris, quo divitias ceu finem suum assequatur, faciat expeditum. *Avaritia in capite omnium.* Hoc est primum illud mobile, quod omnes alias affectiones, ceu sphæras inferiores secum in gyrum rapit.

Matth. 6, 24.

Amos. 9, 1.

III.

XII. Modò saltem, quemadmodum profunda ac fœcunda Avaritiæ radix est, non esset tam tenaciter affixa cordi, indéque tam difficulter evellenda. Sed, quod pejus est, & in vitio hoc detestabile, curatu est difficillimum; quæ difficultas ex duabus illis qualitatibus, quas hactenus observavimus, profunditate nimirum, ac fœcunditate, oritur. In primis enim qua ratione curabitur malum, quod ipsa sua profunditate occultum est? Avaritia, ut vidimus, pallidolo Prudentia se abscondit, aut Parsimoniæ, in futurum se extendentis: quam igitur spem sanationis faciat? Imò non decrescit, sed augetur cum annis malum, & quo plus acquirit, plus crescit. Prodigus, ait S. Thomas, facilè cum tempore persanatur, aut quia ad inopiam redigitur, aut quia senio aggravatur. Avarus contrà cùm lucra procedunt, rapacior evadit, ad modum fluminis, quod, quo aquarum plus devolvit, tantò ripis, ut alveum dilatet, est infestius. Quò annis fit gravior, eò fit animo sagacior, & mille modos, quibus Summam augeat, adinvenit, Pyramidis instar, quæ quantum crescit altitudine, tantùm acumine & subtilitate. Præterea sicut radices cum annis magis semper ac magis terram pervadunt, ita avari annorum accessu magis ac magis se occultant, crescente semper titulo providæ in futuras necessitates sagacitatis, quo cupiditatem suam obtegunt. Utpote cum ex una parte crescente annorum numero crescat etiam infirmitas & veletudinis incommoda, ex altera minuatur, plura congerendi facultas. Et hinc, ut S. Thomas annotavit, Avaritia, cùm sit malum tam reconditum, sit omnino insanabile.

S. Th. 2. 2. q. 119. a. 6.

S. Th. 2. 2. q. 118. a. 5. ad 3.

Eccl. 31. 7.

XIII. Simile quid dici debet ex altero capite, quòd Avaritia non profunda tantùm sed & fœcunda sit, spectando multa peccata, quæ per illam committuntur, dum pecunia aut ut finis, aut ut instrumentum attenditur. Quæ spes concipi potest remedij sceleribus his inveniendi, si alimenta, quibus ea nutriuntur, indies magis ac magis adjiciuntur? Asserunt Medici, Vulnera hydropicorum esse incurabilia, cùm tota fermè plagarum curatio in earundem exsiccatione consistat, quæ in corpore malis humoribus referto sperari non potest. Plus adhuc de peccatis Opulentorum propriis dicam. Quomodo cicatricem obduceris plagis Superbiæ, Ambitionis, Vindictæ, Crudelitatis in pauperes,

Libidinis, Dissolutionis, Gulæ! Impossibile id mihi videtur, cùm hujusmodi plagis reparandis superfluum illud multarum facultatum alimentum subtrahi deberet, quòd illi tamen novis semper accessionibus augere contendunt. *Aquæ nutrierunt illum, abyssus exaltavit illum.* Superabundans Hydropici istius humor omne genus scelerum fovet; & abyssus illa insatiabilis Cupiditatis modum suppeditat, quo quasi cum honore & gloria peccet.

Ezech. 21.

XIV. Hæc ipsa pernicioſa habitudo, quæ Avarum ob morbi sui difficultatem reddit incurabilem, ex eo etiam capite reddit insanabilem, quòd Medicum aut non admittat, aut admisso non obediat. Hujusmodi ægrotus infinitis opus haberet hortationibus, quibus ad rerum cælestium desiderium, & terrenarum contemptum inflammaretur. Hic tamen, qui negotiationibus implicitus, & rei augendæ intentus est, nunquam supperere sibi tempus arbitratur, quo cum alijs audiendo verbo Dei interſit; imò cùm intereſt, illud non audit. Si hoc ipso tempore, quo ad vos è pulpito declamo, magnus quis tumultus excitaretur in Ecclesia, declamantem me non percipietis, sermoni interesſetis, sermocinantem non intelligeretis. Ita animabus istis accidit, quæ negotijs terrenis sunt immersæ; etiam cùm concioni assistunt, tantus cogitationum, ac solicitudinum strepitus earundem cor obsidet, ut etiam cùm audiunt, verbum Dei non audiant: *Audientes non audiunt*; nisi etiam velimus dicere; quòd audiant quidem bene, ac in animo contra Prædicatorem, ceu nimis simplicem, aut bona illa, quæ ipsi aut non curant, aut non intelligunt, æquò magis extollentem murmurent. Ita Pharisæi, quia Avari erant, pro eo, quòd verbis Christi moverentur, eum deridebant. *Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant Avari, & deridebant illum.* Luc. 16. 14.

XV. Propterea soli jam Confessario maledicta hæc radix evellenda relinquitur. Sed animo studioso Avari eos inquirunt Confessarios & Animi Medicos, qui eos non turbent, aut illis religionem incutiant; imò non aliis se credunt, nisi qui pulvillos eorum humeris supponunt, ut eò suaviùs suis malis indormiscant. Quòd si præter opinionem in Medicum prudentem incidant, qui quietem adeò noxiam disturbet, & absolutionem se negaturum comminetur, si somnum istum suum non illico excutiant; & interim Eleemosynas in Avaritiæ remedium & aliorum scelerum expiationem præscribat, mœsti omnino ab exhomologeterio discedunt, Confessarium, ut officij nescium, minimèque benignum accusant, nec unquam ampliùs ad eundem revertuntur; quemadmodum Juvenis *quidam Princeps* fecit, qui, cùm Luc. 18. à Christo audisset, omnia sua sibi relinquenda & donanda pauperibus, si thesaurum in cælo vellet, utut opibus suis magis æstimabilem, *abiit tristis*, & porrò non rediit, quidquam interrogaturus; non quòd alioquin non 18.

esset

esset ad virtutem propensus, ut qui à juventute sua omnia decem Dei præcepta sedulus observârit: *Omnia hæc custodivi à juventute mea:* sed solùm quòd esset dives, & pingue patrimonium obtineret: *abiit tristis: erat enim habens multas possessiones.* Ex quo ipso argumentum sumite, quæ salutis spes illis remaneat, qui affectum hunc sibi imperare permittunt eò usque, ut etiam modis non licitis ditari velint? Si de quocunque divite, non suâ tantùm industriâ facto, sed in divitijs etiam nato, tantus est timor concipiendus; mihi certè tam facilè non foret, spem fovere, cùm ipse Dominus asserat: *Quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt!* quàm difficulter illi salutis fient compotes, qui multa possident, & ipsi à bonis suis multis possidentur! Profectò Dei manu & efficaci illius Gratiâ opus est, quæ sicut cæleste quoddam oleum hoice in Polypos effusum, eos à dilecto sibi scopulo divellat; alia ratione verba hominum erunt sine viribus; non privatim, non publicâ hortando, non protestando quidquam proficietur, remediis omnibus in irritum cadentibus: *Qui aurum diligit, non justificabitur:* Aphorismus est Medici, qui non fallit. Fures reperti sunt, qui cùm veniâ priorum criminum factâ è carceribus dimissi essent, mox ad genium redierunt, solertiùs, quàm antea unquam, furantes. Quin imò eadem experientia etiam docuit, quòd post virgarum publicum supplicium, post collum ferro insertum & infamiâ publicâ castigatum, post proscriptionem è patria, post annos complures in transtris exactos, denuo tamen furari perrexerint; ut adeò manifestum sit, quòd si etiam è furcâ pependissent, ad vitam subinde revocati, etiam à furca & quasi cum fune in collo ad furta quoque fuissent redituri. Usque adeò pessima hæc radix in corde falsis bonis fascinato, firmas radices agit, nec quidquam pensi habet, dum aliquid denuo rapere liceat, *Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti.* Jerem. 8. 6.

XVI. Estne quis vestrûm, qui rationem reddere possit, cur S. Paulus Apostolus, Avaritiam, Idololatriam indigitârit? *Idolorum servitus.* An quia Avarus Idololatris similis est, eidem materiæ cultum ac venerationem exhibendo, geminis nimirum illis metallis, quæ majori in pretio habentur? *Argentum suum & aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent,* aut quia facultates suas primo loco habet, quas ut conservet & augeat, ijs affectibus ut prosequitur, quos soli Dei cultui impendere deberet? *Commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt.* Ita mihi persuadeo, nam si rem momentis suis libramus, tribus potissimùm actionibus peculiariter demonstramus, quòd Deum nostrum ac Dominum agnoscamus: nimirum Fide, omnis ab ipso beatitatis Spe, & Amore supra omne bonum possibile. Jam Avari Sectam velut aliquam & ipsi constituunt, sacrilegam planè & impiam: hanc inprimis ipsi produnt fide, quam habent nefariâ; dum

Luc. 16. 4. 1.

Marc. 10. 23.

Eccl. 31. 5.

Luc. 18. 18.

Eph 5. 5.

Ose. 8. 4.

Rom. 1. 25.

plus credunt opibus suis, quàm Deo, non dubitantes, quin si Deo servierint multa confestim defutura sint; cùm nullius rei inopiam metuant, dummodo attendant strenuè ad rem faciendam augendâmque. Eandem sectam spes manifestat, quam magis in divitiis suis, quàm auxilio divino fundant; unde sibi ipsis sufficere videntur, nihil à Deo se accepisse arbitrantes; haud aliter, ac si Dei providentia nullam in rebus humanis administrandis partem haberet. Denique apertum ejus sectæ indicium præbet infernalis quidam Amor, quo ardent ad augenda sua lucra, ea tanquam bonum supremum, supercæleste, ac quod contineat omne bonum, diligendo, parati pro quocunque opum suarum augmento divinæ amicitiæ renunciare. Ita est, negari non potest, ex omnibus hisce capitibus Avarus omnino justissimè Idololatriæ titulo compellatur. Ego autem insuper existimo, quòd hunc ipsum titulum meretur ob singularem illam difficultatem, quam in corrigendo hoc vitio Avarus experitur, ita ut tantæ operæ res sit, hominem lucris intentum reducere ad semitam salutis, ac eum, qui Idola hactenus coluit, ad veram Religionem amplectendam inducere. Miraculis opus est, non aliter, quàm si primò fides animo ejusmodi hominis esset inserenda.

XVII. Euclio quidam admodum opulentus, cùm opes magnas collegisset, id agebat unicè, ut suis illas usibus reservaret, de aliena inopia sublevanda nihil penitus solicitus. Hunc nescio quod symptoma nihil minùs opinantem oppressit, extinxitque. Movit tam repentina mors agnatos hominis, ut corpus demortui secari juberent, ad causam mali tam subitanei investigandam. Jámque aperto corpore scrutabantur viscera, cùm magna admiratione perculsi cor deesse animadvertunt. Cùm tamen neminem fugiat, cor velut primum lapidem esse, quem natura fundandæ hominis fabricæ soleat ponere, & quèadmodum hoc primum est, quod vivit, ita solet esse ultimum, quod emoritur. Sed quidquid sit, cor tunc inter viscera repertum non est. Paulò tamen pòst, cùm arcam ære gravem aperirent, ad opes relictas inter hæredes dividundas, ecce cor humanum inter Draconis horridi ungues, qui illud non uno loco lacerabat, conspicantur. Attoniti retrò gradum ferunt; cùm audiunt, Draconem humanâ voce loquentem: Hoc aurum inquit, & hoc argentum est pretium illud, quo Amicus iste meus cor suum mihi vendidit, unde ego, tanquam ejus Dominus, de illo quod lubet statuere, & eo frui possum. Ecce Opum Idololatram! qui pecunias super omnia amando ibi cor suum habebat, ubi thesaurum habuit: *Ubi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit*: & ne inde avelleretur, non horruit in prædam illud cedere Diabolo, cùm tantò rectiùs illud Deo consecrare potuisset. Sed ita fieri amat. Avarus etiam in hoc Idololatram vult æmulari, quòd animæ rationem, æquè ac ille, non habeat.

Collect. v. Avaris.

Luch. 12. 34.

His,

Hic, ait de illo Ecclesiasticus, *& animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua.* Eccli. 10. 9.

XVIII. Quis igitur non timebit inimicum hunc potentissimum? *Videte & cavete ab omni avaritia*: verba Christi sunt apud S. Lucam. Seriò aperite oculos, nolite vobis ipsis imponere. Non est Prudentia, non Providentia illa, quæ Animæ vos vestræ facit oblivisci, & finis, ad finem à Deo conditi estis: Passio quædam cæca est, quæ cor vestrum occupat, & totum eodem momento animum offuscat, ut damnum illud non advertatis, quod vobis imminet, immensum & irreparabile. Docet quomodo ditescatis; interim vera vobis simul bona eripit; aut ad perpetranda scelera vos impellando, quæ nisi consultrice Avaritiâ perpetrassetis nunquam; aut ab actionibus piis vos abstrahendo, ab erogandis inquam eleemosynis, solitis devotionibus Sacris Concionibus, pio SS. Mysteriorum usu, aliisque medijs efficacissimis, quibus non magno negotio æternam salutem possetis consequi. Primum itaque avaritiæ malum est, videre non velle, juxta illud, quod jam diximus: *Qui quærit locupletari, avertit oculum suum.* Primum igitur etiam remedium esto, velle videre. *Videte.* Luc. 12. 15. Luch 11. 34

XIX. Videte igitur, attollite, Dilectissimi, tantisper oculos, neque in hanc infelicem terram illos ita contumaciter defigite, perinde ac si ex talparum etiam vos essetis genere, quæ ex Cæli aspectu mortem timent. Dei filij estis, Hæredes cæli, cohæredes JEsu Christi, atque ideo neque terram, neque quidquid bonorum terram sapit, adorare debetis sed generoso pede calcate: *Didici terram calcare, non adorare*: vox sit omnium Christianorum excelsam suam dignitatem ante oculos habentium. Ferre non possunt Venatores, quòd Elephanti dentes suos ebumeos & candidos in eruenda ex sordibus esca, immundorum instar animalium, consumant. Quis igitur ferat, Christianorum Gentem nobilissimos & Dei capaces animos sordidis & luteis hisce bonis implere, quales sunt pecuniæ? Relinquamus ista his, qui non credunt. Clem. Alex. admonit. ad Gent. Pier. 1, 2, Hieregl.

XX. *Videte & cavete ab omni avaritia.* Deus jubet, ut ab amore pecuniarum vobis attendatis; *Cavete*: vos autem contrà existimatis, solùm illum Beatum esse, & qui magis illas amat, & pluribus abundat. Quis proin duorum fallitur in ferendo judicio? Deus, an vos? *Aut Christus fallitur, aut Mundus errat.* Discite tandem accedere veritati, & veram in vobis fidem excitare: Non illos tantùm in Beatorum numero reponite, qui bonis temporalibus abundant: *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt,* Sed illos potiùs in Beatorum catalogo reponite, qui illa quibusvis alijs volentibus relinquunt: *Beatus qui post aurum non abiit.* Hoc autem inprimis cordi habete, quando cum filijs vestris ætate teneris sermones miscetis, ne illis vestra hæc principia ita insculpatis, ut ea non nisi cum vita depo- Pſ. 148. 15. Eccli. 32. 8.

deponant, Sed pro eo, quòd bonorum caducorum æstimationem ingeneretis, cum Seniore Tobia dicite: *Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum.* In præsentiarum, ô mei filij, opes magnas non possidemus, sed timere Deum, ei obedite, illum colite, Animæ vestræ salutem inter primas curas, atque ante alias omnes tenete, nec dubitate ullatenus: Deus vobis providebit, ut in hac vita, quæ brevi finem habebit, suppetant necessaria; in altera, quæ finem habitura non est, immensis vos bonis ac divitiis atque etiam horroribus cumulabit.

XXI. *Cavete ab omni Avaritia*, tanquam ab hoste jurato: *ab omni*: ab illa, quæ aliena appetit; ab illa etiam, quæ nimiùm propria amat; ab exteriore, ab interiore; ab illa, quæ fœcunda est, & in opus prodit, ab illa, quæ solo in affectu sistit: ab illa, quæ Justitiæ adversatur, ab illa, quæ cum Liberalitate pugnat: *ab omni*: & mementote, quòd S. Paulus Avaros unà cum furibus Cælo excludat: *Neque Fures, neque Rapaces, neque Avari, Regnum Dei possidebunt.* Nimis difficulter anima ad Deum redit, ubi aurum aliquando cupidè sectari cœperit. Gemini Pharaones potenti à Deo brachio sunt percussi; alter, qui instigante libidine Abrahamo uxorem rapuit; alter, qui lucri causâ populum Israëliticum oneribus oppressit, Ecce! primum vix attigit flagellum Dei, cùm illico ad mentem rediit, & mulierem ereptam restituit; alter sibi ictibus magis animum obfirmavit, instar bufonis, & non destitit populum Israël liticum persequi, donec ipsâ in persecutione, præ cæteris crudeli, vitam in Mari suo Rubro ponderet. Ex quo apertè intelligimus, quantum nobis ab Avaritia timere ac cavere debeamus; etenim si in corde nostro radices egerit, illúdque possederit, reddet illud incorrigibile ac insensibile: ac insensibile quidem ad Dei beneficia, incorrigibile autem ad omnem correptionem.

2. Cor: 6. 10.

XXII. Sed, qua ratione discernam, inquiet non nemo, an in corde meo Avaritiam tam damnosam alam, an potiùs curam ac debitam solicitudinem, quâ, ut capiti, familiæ necessitatibus prospiciendum est? Non est hoc difficile, ait S. Augustinus: *Habes, & concupiscis: plenus es, & sitis; morbus est.* Quomodo sitis naturalis hominis sani, & sitis maligna Hydropici dignoscuntur? Sitis naturalis congruo haustu extinguitur; malingna magis accenditur. Si bonis statui vestro competentibus & statu ipso contenti estis; si Deum rogatis, ne divitias & paupertatem vobis immittat, sed congruam sustentationem largiatur; si moderata quædam messis vobis sufficit, próque ea debitas Deo gratias refertis, certi, quòd si copiosior vobis prodesset, copiosiorem largiturus fuisset: sitis est hominis sani, quia exsaturatur. At si vestra forte non contenti semper altiùs ascendere, & conditionem vestram extollere concupiscitis; si semper messem copiosiorem, & horrea vestra

Serm. 5. de Verb. Dom.

plena

plena, & post messem annonæ caritatem optatis, ut, quæ collegistis, magno pretio divendere liceat; si nulla vos tangat Pauperum miseratio, sed summo erga eos jure utamini, quin unquam satis eorum sanguine repleamini; ite, præstantem Medicum requirite; qui vobis medeatur, malè enim, imò pessimè animo estis affecti. Sitis vestra sitis Avaritiæ est, hoc est Hydropici: *Avarus non implebitur pecuniâ.* Et sitis hæc non extinguitur affundendo, sed diminuendo: non affundendo opes, sed diminuendo cupiditatem. Eleemosynis erogandis vos date secundùm conditionem & statum vestrum, & illa bona amare discite, quæ verè bona sunt, & bonum faciunt habentem, & tolli nunquam possunt. Oryx sylvestris quædam Africæ Bestia est, quæ nunquam non sitit; & tamen intra sua viscera talem liquorem habet, qui omnem sitim valeat extinguere. Ita se habent Avari: Bestiæ sunt, quia nec ratione utuntur, nec fide. Et bestiæ sylvestres sunt, quia inimici totius generis humani; dum desiderant, ut omnes alij ad incitas & paupertatem redigantur, ipsi verò soli diteścant: perpetuâ siti flagrant, semper magis ac magis opes accumulandi, cùm tamen intra se habeant, quo expleantur, si velint, non modò ipsi, sed alij quoque, si, quæ congregârunt, beneficè distribuant, & sic possessionum augendarum cupiditatem, quâ torquentur, tam-ipsi moderentur.

Eccli. 5. 9.

Serm. 5. de Verb. Dom.

XXIII. *Videte & cavete; ab omni avaritia*: Doctrina hæc Christi est, vos eam exequamini. Ad quem effectum hæc vobis serviat commonitio, quacum etiam vos dimitto: Multum DEO fidite: præcipua avaritiæ causa est, maximè in infima plebe, Timor, ne ipsis deficiant necessaria. Non ita: *sint mores sine avaritia*, ait Apostolus, *contenti præsentibus. Ipse enim dixit non te deseram, neque derelinquam.* Ut vestri mores avari non sint, sufficiat hoc, quod in præsentiarum vobis Deus largitur, junctum cum fide ac fiducia subsidij in futurum. An igitur timendum vobis est, ne DEUS vos derelinquat? Non, non, non erit possibile: *non deseret*, neque derelinquet: *non deseret* per Providentiam illam suam generalem, quam gerit erga omnes homines. *Non derelinquet* per Providentiam specialem, qua illos magis fovet, qui in se confidunt. Et quid ultra petitis? Super terram præsentibus contenti estote: cùm ad futura desideria vestra extenditis, cælum suspirate.

Heb. 13. 5.

DISCURSUS XXVII.

De Restitutione rei alienæ.

I. REs aliena, antequam auferatur, sapida quædam esca est; cùm possidetur, in laqueum mutatur. Ita monet Apostolus: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli.* 1. Tim. 6. Cacodæmon, peritus ille Auceps, escam proponit cum illiæe insidiosæ suggestionis, quæ dicit: aufer eam; & postmodum ostendit, quòd, quæ esca apparebat, esca esse desinat, & evadat rete: siquidem cùm anima incauta, suæque nobilitatis conditionem oblita ad terram se demittit, ac illicis ad furandum invitantibus consentit, illico Cacodæmon eam prehendit, eámque ita tenaciter stringit; ut nec vivam, nec mortuam dimittat. Non vivam, cùm eam ob culpam contractam habeat in potestate; non mortuam; utpote in quam damnationi subjectam longè plus juris habeat. O miserum igitur Christianum illum, qui ad instar stultæ aviculæ amore rei alienæ inescatur, & aliena rapiendi cupidine attractus se laqueis induit! Considero ego Animam illius geminâ quasi impossibilitate involutam, quæ magnum mihi horrorem incutiunt. Unâ, quæ absolutè talis est, alterâ quæ moraliter. Nulla ratione fieri potest, ut, qui malè possessa restituere non vult, salvus sit. En primam: summè difficile est, & quòd vix unquam auditum sit, ut, qui malè aliena possidet, velit restituere; en impossibilitatem alteram. Attendite, ut salutari horrore perculsi ab iniquis lucris desistatis; quæ Pomum vobis porrigunt, & Cælum auferunt.

II.

II. Videri non nemini possem tempus perdere, cùm demonstrare aggredior, quòd Restitutio rei alienæ sit ad salutem necessaria. At non perdo: cùm multorum hoc tempore Christianorum ignorantia demonstrationem veritatis hujus, quæ omnibus ceteroquin deberet esse notissima, omnino extroqueat. Non desunt, qui sibi persuadeant, Restitutionem esse pœnitentiam à Confessario injunctam, atque adeò in Confessarii esse potestate, illam diminuere, dividere, ac omnino tollere. Non ita se res habet. Restitutio actus quidam indispensabilis Justitiæ est, lege Dei præcepta, ut per eam injuriæ proximo illatæ resarciantur. Ex hoc facilè innotescunt rationes, quibus impulsus Deus præcepit ablata restitui. Sùntque duæ præcipuæ; una Amor, quo Deus in Justitiam fertur; altera Amor; quo hominem complectitur. S. Th. 1. 2. q. 61. a. 1.

III. In-

III. Inprimis Amor Justitiæ facit, ut DEUS restitutionem præcipiat. Quid enim aliud facit, qui in rem alienam involat, nisi, quòd pulchrum rerum ordinem invertat? Quando Deus in promulgatione legis suæ furtum vetuit: *Non furtum facies*: statuit, ut eodem ipso tempore Creatura suo Legislatori subjecta, Proximo verò suo conjuncta esset atque unita; Legislatori quidem subjecta per obedientiam, Proximo verò unita per charitatem. Jam bonum istum ordinem iniquè subvertit, qui rem non suam vult suam facere. Quod primum attinet, utique Deus supremus rerum omnium Dominus est, qui secundum liberrimam voluntatem eas & hinc & illi, prout libet, distribuit? An non ergo, qui pro arbitrio suo de illis etiam à Deo vetitis bonis disponit, sibi vult arrogare jus & Dominium bonorum, quod solius Dei est? Hoc autem est supremam velle jurisdictionem turbare, audacissimo prorsus molimine, & Dominium directum sibi arrogare contra supremi Domini voluntatem. Quod attinet secundum, quis non videt, quòd qui aliena rapit, illico à suo proximo avellatur; quem tamen ipsi & natura, & Gratia, quantum fieri potest, arctissimè unitum volunt? Alteri ne feceris, quod non vis factum tibi, ait lex naturæ cordibus nostris inscripta: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Et tamen homo rapax neglectis his tam sonoris vocibus omni modo vult proximo suo inferre, quod sibi à proximo inferri damnum non tolerat, vult, ut omnes alij illa, quæ possidet, intacta relinquant; ipse autem, quæ alij possident, invadit. Quis igitur satis explicet, quot & quanta dissidia ac discordias nullo non die isthæc ordinis perturbatio generet; quantum isthac cupiditate Divina ac humana jura perturbentur? fit hac cupiditate, ut aurum Dei loco habeatur, ametur ac colatur, eique obediatur plus, quàm ipsi Creatori. Hæc integrarum familiarum pacem evertit; Quietem Regnis, toti Universo concordiam tollit. *Remota Justitia quid sunt Regna, nisi publica latrocinia?* Quapropter quâ ratione poterat Deus, recti ordinis amantissimus, perturbationem hanc sine remedio permittere? non poterat: atque ideo postquam præceptum de non furando dedit, statim subjecit alteram ejusdem præcepti partem, quâ voluit abalta restitui: quasi dicat; si quando pulcherrimum hunc ordinem interverteritis, res suo loco confestim reponite: *reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Ostendite ac demonstrate, quòd Dominum me agnoscatis restituendo, si Dominum me negâstis auferendo. Vinculum illud charitatis redintegrate quod abrupistis, cùm proximo vestro eam injuriam intulistis; quam ab illo æquo animo non sustinuisseris. *Reddite omnibus debita.* Ecce igitur primum motivum Legis, cùm restitutionem præcipit, Amorem boni Ordinis; qui Deo adeò semper cordi

Exod. 20.

S. Aug. l. 4. de Civ. c. 4.

Tob. 4. 16. Luc. 6. 31.

Rom. 13. 7.

fuit, ut in omni suo opere mirabiliter eum demonstraret ac palam faceret : *Rom.* 13. 1. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt.*

IV. Alterum Legis hujus motivum est Amor, quo Deus in homines fertur. Facit hic, ut Deus quasi militarem custodiam ad omnes nostras possessiones ponat, ut ne quis eas invadat. Cùm Generalis militiæ Præfectus domui cuicunque tandem, securitatem pollicetur, væ militi, qui temerario ausu eam spoliare non veretur. Deus igitur sua autoritate, ipsemet se bonorum proximi nostri custodem constituit, ac severissimè vetuit, ne quis rem alienam, ut suam usurpet. Et videte, quàm solicitè id fecerit! Ex decem præceptis, quibus DEUS voluntatem & beneplacitum suum manifestavit, solummodò tria statuit, quibus obligationem divino Nomini suo debitam nobis proposuit ; omnia autem reliqua septem in favorem proximi, quibus illi graves esse prohiberemur, tulit : adeò commoda nostra cordi sibi habet. Demonstrat certè, quodam modo nostra se suis præferre : siquidem attentiùs quasi nostris invigilare utilitatibus videtur, quàm suo cultui, licèt Divino. Quod si postmodum Leges istæ, tam amabiles, contemptui habeantur, adeò ut non obstante divina prohibitione manifesta, Proximus bonorum suorum interrimentum quoddam patiatur, subjungit Deus alterum quoddam præceptum, quasi ad fulciendum, & denuo erigendum priùs ; vúltque, ut damnum resarciatur, ac proximus in eum possessionum suarum statum restituatur, ex quo injustè est deturbatus. Ita planè expertus facit belli Dux, qui propugnaculo gemino locum magni momenti cingit, ut, cùm primum ab hoste fuerit expugnatum ; alterum ejusdem impetus retardet ac infringat.

V. Quapropter quis unquam credet, quòd Lex tam rationabilis, stabilita in amore, quo Deus æquitatem prosequitur, fundata in amore, quo erga hominem afficitur, in gratiam Avaritiæ sit immutanda ? nequaquam id fiet, sperari non potest unquam, nulla ratione. Illa ipsa iniqua lucra auribus possidentium nunquam non acclamant : *Redde quod debes.* Redde, redde; nec modus est, quo ad silendum componantur. Abstulit Sancto Medardo quis bovem, ad cujus collum nola appensa erat, ut mos fert. Sequebatur furem bestia ad usque stabulum ; hoc ubi ingressa est, nola sine cessatione personabat, ita ut ingruente nocte Nequam prodi metuens continuo illo sono, fœno nolam farciret. Sed quis crederet ? nola sonare, ut ante, perrexit, unde eam collo bovis avulsam in terram deposuit, sed & humi non quievit sonorum æs. Ergo in arcam recluſit ; at nec in arca à sono edendo cessavit campanula. Qua re fur attonitus bovem ad virum Sanctum reduxit, & nola illico conticuit. Imaginemini vobis igitur omnem rem injustè à quocunque partam hujusmodi sonum edere, qui, si auribus corpori non percipiatur, in animi certè auribus altum sonabit ; *Surius 1. Jun.*

&

& quidquid egeritis, alius modus tam fastidiosum sonum sopiendi non superest, quàm ablatorum integra Restitutio; minus, quàm ablatum sit, Deus non admittit. Indulgentiæ promulgentur, Jubilæa indicantur, Gratiæ ac favores alij concedantur: permittet quidem Deus Sacerdotum manibus eam facultatem, ut Sacratissimi Sanguinis sui thesauros dispertiant, arbitros illos faciet suarum mercium pretiosissimarum, plenipotentiarios Judices constituet, qui cum peccatoribus fœdera paciscantur; & injurias sibi illatas remittant! damna tamen proximo illata, aut satisfactionem saltem, quam pro ijs proximus potest exigere, eorum manibus non committit. Verbo, ait S. Thomas, penes Sacerdotem non est arbitrium in satisfactionem homini præstandam, cùm non sit vicarius Proximi, sed solius Dei: & sic si Deo certam quandam pecuniariam summam voto promisistis, Sacerdos hac vos promissione poterit liberare, aut omnino dispensando, aut in opus minùs grave commutando, at cùm ejuscemodi summam Proximo vestro debetis, nulla Sacerdoti in hanc remittendam potestas est; oportet reddere: *redde quod debes.* Imò ipsa mors, quæ strictissimum Matrimonij vinculum tollit, tantæ virtutis non est, ut etiam hoc alterum Restitutionis valeat abrumpere. Unde si quis vestrûm moreretur, & postmodum ob Cælitis cujusdam merita, ad vitam denuo revocaretur, non obligaretur, porrò conjugem, cui prius Matrimonio junctus erat, retinere, cùm Matrimonij vinculum non nisi ad usque mortem obliget; teneretur nihilominus sua debita expungere, cùm vinculum restitutionis sit insolubile ac inextricabile, & fortius etiam, quàm ut mortis ipsius brachia illi rumpendo sufficiant. Considerate igitur, quibus vinculis animam vestram constringatis, cùm aliena bona iniquè attrectatis. In tali vos necessitate constituitis, ut aut restituere, aut æternùm perire necesse sit: ita ut ab hac necessitate nemo vos possit eximere, præter unam restituendi impotentiam, quo casu per se laqueus rumpitur, quin alius quispiam manum admoveat. *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus*: Aut ut dicam melius, hoc casu laqueus non rumpitur, sed laxatur: siquidem vos liberos dimittit, quamdiu hæc impotentia manet, non ultra; hæc enim ubi cessaverit, redit inevitabilis necessitas aut Restitutionis faciendæ, aut subeundæ damnationis. Quot & quantacunque salutis media arripueritis, labores exhauseritis, absque Restitutione actum agitis. Ad cujus rei veritatem melius percipiendam, observare vos velim, quomodo absque Restitutione præcipua duo salutis remedia, Oratio & SS. Sacramenta in irritum cadant.

Rom. 7. 2.

Ps. 123. 7.

S. Thom. 4 dist. 15. q. 1. a. 5.

Sur. 2. Jun.

VI. Hominem ante oculos mentis vestræ statuite, qui rem alienam absque restituendi voluntate possideat. Etiam cùm integros dies fundendis precibus impenderit, nisi ad hunc ipsum finem orationes suas dirigat, ut scilicet, animi robur, aut restituendi facultatem exoret, nonnisi verba in

ventum sparget. *Cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam*: ait Dominus: obsurdescam ad preces vestras utut continuas & acumulatas. Et unde ô Domine tanta tua indignatio? Ecce rationē: *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*, hoc est, plenæ injustitiis, plenæ oppressionibus, plenæ Proximorum vestrorum sudoribus & angustiis; uti ex ipsis Prophetæ verbis esuitur, quibus modum præscribit, quo preces possint efficaces reddi. Et heu! quot reperiuntur, qui non modò manus, sed omnes suas vestes hoc Pauperum sanguine plenas habent, dum infimæ conditionis homines ultra jus premunt, aut ijs, qui serviunt, qui laborant, debitam mercedem retinent? *Panis egentium vita pauperum est*: ait Ecclesiasticus, utpote qui aliud non habent, nisi quod suis sudoribus luerantur. Qui ergo hoc pane pauperem defraudat, quem esse arbitramini? Reus est sanguinis: *Qui defraudat illum, homo sanguinis est*: cùm ab homicida non differat: *qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* Si quis ergo hujusmodi homo manus suas ad cælum levat, sanguine inquinatas, non minùs pretioso, quàm ille sit, qui venas implet, quid putatis, à Deo obtinebit? an non potiùs illum ad vindictam contra se irritabit? *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Qui aures suas obturat, ne legem tam rationabilē, quæ cuilibet, quod suum est, dare præcipit, audiat, preces suas tali obturatione reddit execrabiles, cùm Deo quasi suggerat, ne Misericordiam exhibeat, qui Justitiam non observat. *Si enim judicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam, quale judicium fiet illi, qui fecerit & rapinam?*

Isa 1. 15.

Eccl. 34. 21.

Eccli. 34. 27.

Prov. 28. 9.

S. Aug.

VII. Alterum medium ad salutem efficacissimum sunt SS. Sacramenta; peculiariter illud Pœnitentiæ, quod est lavacrum nunquam non apertum ad animas sordibus purgandas. *Fons patens domui Iacob in ablutionem Peccatoris.* Fontem istum vitæ ille ipsemet inficit veneno, qui res aliorum detinet injustè; Hoc enim, ait S. Augustinus, non est agere Pœnitentiam, sed illam simulare, & sibi ipsi imponere: *Si res, propter quam peccatum est, reddi potest, & non reddatur, pœnitentia non agitur, sed simulatur.* Ratio est manifesta, quia qui, cùm potest, non restituit, pluris rem illam, quàm Deum facit; atque adeò non meretur ab hoc veniam impetrare: nec dici potest verè à peccato abhorrere, qui actu illud committit contra legem altis vocibus acclamantem: Redde quod possides non tuum. Magna certè infelicitas est, quando miser quispiam peccator absque Confessione diem obit. At an non major infelicitas vobis videtur, quando Peccator culpas suas confiteatur, & nihilominus ob Avaritiæ suæ vitium Confessionis factæ gratiâ ac beneficio non gaudet? Manum tollit Sacerdos, ignarus pessimi statûs, in qua versatur Confitens, & voce, quæ totum Infernum valeat in fugam agere attonitum, prorsus mitificâ dicit: *Ego te absolvo*

Zach. 13. 1.

Ep. 54 ad Macedon.

absolvo. Et tamen, pro eo, quòd inquo rei alienæ usurpatori catenæ diffringantur, illæ geminantur : siquidem Deus aliam è throno Majestatis
Matth. 21. 13. suæ sententiam pronunciat, ac imperat ministris : *Ligatis manibus & pedibus projicete eum in tenebras exteriores.* Quid tunc proderit misero, Confessarium reperisse genio suo accommodatum? aut rebus, aliter, quàm se haberent propositis, deceptum? Modicum ac breve lucrum immenso & infinito supplicio, quin aliquid expiet, luet. Remedium unum unicum erat, eo tempore Restitutionem parare, quo fieri poterat, & quando illa medium erat ad salutem
S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 2. necessarium : *Cùm conservare justitiam sit de necessitate salutis, consequens est, quod restituere id, quod injustè ablatum est alicui, sit de necessitate salutis.* Manet itaque, aut restituere, aut æternùm perire. Ita Justitia ex suo tribunali, à quo ad aliud non est appellatio, pronunciat, & ita etiam ex suo clamat Charitas, & ipsa læsa ab eo, qui rem alienam retinet.

VIII. Quid igitur vobis videtur, de prima hac, quam dixi, impossibilitate? Fieri nullâ ratione potest, ut salvus sit, qui restituere detrectat omne damnum proximo illatum resarciendo. An non voluntariè tenacissimo se laqueo induit, quisquis re-
Job. 6. 18. bus non suis locupletatur? *Involutæ sunt semitæ gressuum eorum*, ait Job, *ambulabunt in vacuum* (si aliâ viâ, quàm qua intrârunt; exire ex illis angustiis cogitant) *& peribunt*: peribunt, ne injusta sua lucra ipsis pereant.

II.

IX. Ita omnino est, Auditores, dicetis ipsi; sed qua ratione aliquid sublatum est, eâdem restitui potest; quod est, eâdem viâ laque ô exire, quâ quis in eum se induit. Non est dubium, quin Cacodæmon hac stulta spe Avaros multos alliciat, eísque persuadeat, ut modò rapiant, fore, ut postmodum rapta restituant. Verùm hoc perinde est, ac si quis Volucri consilium suggerat, implicet se tantùm rebus, spe postmodum illa rumpêdi; cùm tanto magis expediat, nunquam se ijs intricâsse. Avertat Deus, ne unquam in hos laqueos incidatis, cùm mihi longè difficillimum, & ut ajunt, moraliter impossibile videatur, ijs porrò evolvi. Quam difficultatem ut manifestiùs intelligatis, oportet priùs Avaritiæ naturam penitùs introspexisse secundùm sua, ut vocamus, principia intrinseca.

X. Avaritia, D. Thoma teste, vitium est, quod quasi medium est inter peccata merè spiritualia & merè carnalia. Ratione sui objecti, locum habet inter peccata carnalia; ratione delectationis autem, inter spiritualia censeri potest. Unde juxta hunc modum loquendi aliquid de affectionibus brutalibus, & aliquid de diabolicis participat, atque ideo mixtum aliquod maximi roboris constituit. Quam, quæso ob causam tantâ vi fulmen pollet? an non ideo, quòd ignem terrámque velut sinu claudat? Ab igne vim illam ingentem ac velut furorem, à terra pondus ad feriendum acci-

S. Thom. 2. 2. q. 128. a. 6.

accipit: id ipsum immoderatæ habendi appetentiæ accidit, in uno quasi mixto plurium adversantium vitiorum naturam colligit, unde, ut diximus, incredibilem prorsus vim ac impetum acquirit.

XI. Præterea aliæ affectiones unum tantùm bonum particulare pollicentur. Ira delectationem ex vindicta promittit: Invidia ex Victoria, Ambitio ex applausu famæ; par est ceterorum vitiorum ratio. At divitiarum amor simul & semel omnia bona, & inde promanantia gaudia adpromittit; cùm *Pecuniæ omnia obediant.* Et ideo Opes apprehensione hominum non bonum quoddam particulare sunt, sed universalissimum, quod omnia quasi in facem colligit, si non actu, saltem virtute: *Denario untur, quasi fidejussore ad omnia habenda*: ait Philosophus.

Eccli. 10. 19.

5. *Eth.*

XII. Deinde bona illa, quæ ab aliis Passionibus proponuntur, fermè amantur à nobis quasi pro nobis, & respectu nostri. Pro se amat voluptatem Luxuriosus, fastum Superbus, Potator vinum, Helluo dapes; at cum Avaritia non ita res habet. Pecunias, quas Avaritia promittit; avarus sibi amat, & uxori suæ, & liberis, & agnatis, ac toti familiæ, & sic tot quasi cordibus amantur, ac tot cupiditatibus, quot fines sunt, propter quos amantur.

XIII. Denique objectum aliorum vitiorum facilius mutatur, sed Avaritia idem semper objectum habet. Non moriuntur Possessiones (quemadmodum femina à libidinoso amata moritur) non moriuntur opes: saltem in scrinijs hærent diutius, quàm nos vivamus: & ideo Avaritiæ objectum semper perstat, dum vivimus, imò cùm jam in cineres redacti sumus; amamus enim, ut ijs hæredes nostri gaudeant, qui nondum nati sunt, quæ nobis mortuis usui potrò esse non possunt.

XIV. O potens igitur, & propè invicta Avaritiæ Passio! *insatiabilis oculus Cupidi in parte iniquitatis; non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam.* Et reipsa videtis, quomodo nullo non die omnis alterius amoris vis ac robur amori cedat pecuniarum. Ita naturæ conveniens est, ut duo fratres ejusdem inter se sint genij, sicut eidem est proprium, ut inter se oculus oculo, auris auri, manus manui sint similes. Qui proinde ab extraneo majorē, quàm à fratre animorum consensionē sperarer, idem facere videretur, quod qui sibi persuaderet, melius ac commodiùs ligneo se, quàm carneo pede incessurum. Certè illa sanguinis communio, illa in eodem ventre communis habitatio, communis sors nascendi, educatio communis, communis vitæ conditio, opes, societas communis, tam arcto fratres vinculo colligare deberet, ut, qui videret eos inter se discordes; prodigium immanissimum videre se credere deberet. Sed hæc prodigia quotidiana sunt, quæ Avaritia pessima sæpius, quàm ipsi vellemus, in lucem profert: unde tribunalia non solent contumacioribus agitari litibus, quàm quæ inter fratres oriuntur. *Ex eadem rupe duo quandoque flumina nascun-*

Eccli. 14. 9.

nascuntur, & vix nata ab invicem se junguntur, & quantò longiùs manant, tantò ab invicem magis discedunt. Id quod videre est in Tigri & Euphrate maximis Mundi fluminibus, quæ vix in ijsdem Armeniæ montibus orta, illico immanibus à se intervallis secedunt, nec unquam amplius conveniunt. Idem faciunt quotidie Fratres etiam Christiani, qui si non illico, cùm nascuntur, sibi adversantur, inde fit, quod nondùm nôrint, quid sit possidere, & habere proprium. Cereùm vix fato suo Parens defungitur, cùm subitò tota quasi domus sùs déque vertitur: quilibet suum ab alieno studet dignoscere, quilibet injuriam sibi fieri queritur: fratres sunt & inimici, & ipse sangais, qui amborum nutrimentum esse deberet, in alimentum vertitur pertinacissimi odij. Quia, ut paucis quàm plurima dicamus, cum Tertulliano, primus cuiliber frater est lucrum & commoda, quódque quis existimat suâ præ ceteris interesse, *Nescit propinquitatis jura cupiditas, sed propria utilitas; hæc frater est.* Illud porro, quod de fratribus dicitur, etiam de Filijs adversùm Parentes, & Parentibus adversùm Filios dici potest; inter quos æterna odia & discordiæ intercedunt non alio ex capite, quàm insatiabili habendi cupiditate, quæ plus apud homines potest, quàm quævis agnatio & sanguinis necessitudo. *Homines magis cognati sunt pecuniæ, quàm corporum.*

Eccli. 14. 9.

Ad Gersus. Gnost.

Clem. l. 6. Strom. c. 1.

XV. Cum hac igitur bellua depugnat, qui ad restitutionem obligatur. Vincere debet Passionem tam potentem, quæ, ut ex dictis patet, optimo jure serpens alatus dici potest; etenim per terram reptat vitijs carnalibus; in aëra se levat vitijs diabolicis. Passio est, quæ verecundiam non excitat, sed vanam gloriam, ac Prudentiæ se larvâ tegit. Passio est, quæ primis statim annis incipit; quibus Parentes animis Filiorum magnam quandam bonorum terrenorum æstimationem instillant, appellando illos beatos, qui plurimis abundant; miserabiles contrà, quia eorundem penuriam patiuntur. Passio est, quæ semper cum annis crescit, imò cum ipsis bonis; cùm, ut ait Aristoteles, etiamsi quisque possit credere, satis sibi virtutis, fidei, auctoritatis & apud alios benevolentiæ esse, nullus omnino sit, qui facultatum & bonorum se satis possidere autumet. Passio denique est, quæ ab inferno plurimùm fovetur; utpote quæ magnam Animarum messem Orco debitam colligit. Sanctus quidam Sacerdos duplici & gradûs sui & Sanctitatis robore Dæmonem aggressus est, ut per os Energumeni sibi manifestaret; quis esset? Hic imperio constrictus, Tres sumus, respondit, qui hominem hunc infestamus. Primus nostrûm ex officio suo os occludit, illúdque officium suum exercet cum raptoribus ac possessoribus rei alienæ, ita ut, ne pro furibus habeantur, pudore præpediti crimen suum Confessario non manifestent. Secundi officium est, cor occludere, ut, etiam cùm scelus suum in Confessio-

l. 7. Polit.

Collec. dist. 9. Exempl. 38.

fessione aperuerint, non doleant dolore requisito. Tertij officium est manum claudere, ita ut cùm & crimen confessi fuerint, & ex animo detestati, nunquam tamen à se obtineant rerum iniquè ablatarum Restitutionem. O quot inter Christianos hujuscemodi obstesi sunt ac Energumeni! qui ubi prima duo obstacula superavêre, quibus DEI gratiam à se longè arcebant, ultimum tamen nunquam pervincunt verâ & efficaci Restitutione. Venti, qui è rectâ oriuntur, tam frequentes non sunt, ac ij, qui ex plaudibus assurgunt; sunt tamen constantiores ac morâ grassantur longiore. Ita planè accidit in nostro casu, ex paludibus sensuum ac libidinis, tentationes longè frequentiores exsurgunt, & forsan etiam magis communes; non ita tamen sunt contumaces, ut illi turbines, qui ex profundo Avaritiæ sinu proveniunt. Experientiam testem appello: *Non facilè de Avaritiâ triumphat, de quo semel Avaritia triumphavit.* Negotiari cum cupiditate, & iniquis quæstibus conscientiam non gravare, res est difficillima. *Qui festinat ditari, non erit innocens*; ferè ac qui fame corripitur, aviditate se ingurgitandi parùm ad ciborum, quos ingerit, delectum attendit; parùm etiam cibos ingestos mandit: sic ex innumeris, qui nimiâ lucri aviditate illecti negotiantur, quàm paucos reperire est, qui malè patta reddant, & cibum illum noxium, quo animus oneratur, revomant! & tamen tot injustitiæ nunquam non in Tribunalibus commissæ manifesto indicio sunt, quòd nullibi magis exulet æquitas, quàm ubi omnium maximè obtineri deberet. Tot lites, quas movit Avaritia, Potentia defendit, Vindictæ in annos & annos protraxit, injustè inferioris conditionis homines opprimunt, & muneribus alteram ad se Justitiæ lancem inclinant, quæ in eam magis partem propendet, ex qua plus recipit: tot, inquam, lites numerabitis: at quot contrà Restitutiones? Refert S. Augustinus, quòd cùm Mediolani moraretur, pauperculus quidam crumenam ducentis argenteis nummis refertam invenerit, statimque ad diversa urbis loca schedam affixerit, quo notum faciebat, dictos se nummos reperisse. Parum omnino moræ intercessit, cùm qui amisit, inventoris notitiam pervenit, & datis certis indicijs compertus est nummorum Dominus, unde & summâ fide eosdem recepit. Mox autem de inventâ pecuniâ lætus viginti nummos crumenâ exemit, & pauperi honorarij vice obtulit. Renuit eos accipere Pauper, affirmans, nullamse ejus facti mercedem velle, ad quod religio & conscientia obligarent. Cui alter: saltem decem accipe, quos tibi dono etiam non debitos. Sed & hos virorum optimus recusavit. Tunc velut irâ percitus Dominus crumenam in terram abjecit, cum dicto: si de meo nihil accipere vis, scias, nihil me amisisse: atque ita discessit. Quare coactus pauper aliquid deferre Domini humanitati & beneficentiæ, accepit oblatos decem, móxque ad

Baccon. Hist. Vent.

Petr. Bless. Serm 14. Prov. 28. 20.

Hom. 15. de Verb. Apost. c. 10.

adeos inter alios inopes distribuendos se contulit. *Quale certamen fratres mei!* Totus Mundus vix erat dignum tam insigni spectaculo Theatrum, cujus solus DEUS dignus spectator erat. *Theatrum Mundus, spectator DEUS.* Sed ubi terrarum sunt, qui quandoque renovent similem conflictum in opprobrium & contemptum Avaritiæ? Vix reperitur aliquid, illico absconditur, & pro eo, quòd rei perditæ Dominus anxiè inquiratur, timetur, ne inveniatur. Et sic videtis, quòd quò magis obligationes Restitutionis faciendæ abundant, tantò rariores illi sint, qui promptâ manu eas velint adimplere.

XVI. Inprimis dicunt: *Non possum*: sed hoc non possum idem significat, ac: hoc mihi durum est, atque difficile: aliud quid lucrari cupio, etiam alienæ rei adminiculo. Ex illis, quos DEUS peculiari odio prosequitur, unus est Dives mendax: *Divitem mendacem*: Hujusmodi Dives mendax est, qui dicit: *non possum*: sed mentitur; non vult. *Si dixeris, vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit.* Si ageretur de inveniendâ ratione Passioni alicui suæ obsecundandi: de promovendo lætocum amicis convivio; de vindicandâ injuriâ, majorem acceptâ reddendo; præstò statim essent, quæ requiruntur omnia; & nemo diceret: *Non possum.* Ite tempore hyemali ad fontem congelatum: dicetis, aquâ illum carere. Sed quàm fallimini! exspectate, dum Auster spiret, cùm aquam videbitis abundantissimam. Sic cùm Passio quædam exarserit, subitò liquescit, quod crudelitas congelârat. Et verò res ipsa loquitur, quò quis fermè est ditior, hoc esse in expungendis nominibus tardiorem. Capræ cùm macræ sunt, sunt etiam fœcundæ; & quò magis pinguescunt, ad pariendum minus habiles evadunt. *Plin l. 8. c. 50.*

XVII. Præterea qui, tam secum ipsis humani, excusationem hanc, *non possum*, tanquam bonam & sufficientem admittunt, quare eandem in aliis non probant? Pauper ille, qui ad satisfaciendum contractis nominibus compellitur, idipsum dicit, *non possum*, & majori quidem jure ac ratione, nec tamen auditur ut valida, sed cùm lac præbere non potest, emungitur sanguis: Lictores in tugurium immittuntur, spoliatur, ut pignoris loco aliquid substituat; vix tantum ei straminis relinquitur, cui dormiturus incubet. An non hoc est bilancem iniquam manu tenere, quam Deus adeò detestatur? *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Cùm scilicet debita vestra tam negligenter expungitis, ea autem, quæ vobis debentur, tam severè exigitis. *Pondus æquum voluntas ejus.* Si quodvis leve incommodum ad Restitutionem licitè differendam sufficeret, nunquam illud tempus adveniret, quo restituere velletis, cùm semper vobis molestum accidat, Restituere. Sed incommodum tale esse oportet ac tantum, quod notabiliter Creditoris incommodum excedat, adeò ut secundùm

Hom. 19. de Verb. Apost. c. 10.

Prov. 24. 12.

Prov. 11. 1.

Lessius de Just. l. 2. c. 16. dub. 1. n. 21.

dùm rectam rationem Creditor in tali casu dilationem, si peteretur, prudenter negare non posset.

XVIII. Fingite porrò, unum quempiam cognitâ hac restituendi obligatione Confessario omnino policeri Restitutionem! viam autem, quâ pollicitationem suam executioni mandet, nunquam ingredi. Circinus uno pede terræ infixus hæret, altero, quò vultis, movetur. Ita hi, cùm non statim jubentur restituere, difficultatem non habent in promittendâ Restitutione in futurum quantam vultis; quia futurum, tanquam quid pictum molestiam ijs nullam creat; præsens autem, ceu vivum, longè maximam. Erit nonnemo, qui ab annis compluribus nulli non Confessario Restitutionem adpromittat, quasi jam jam faciendam, quam tamen nunquam exequetur. O fructum pessimum Pœnitentiæ, qui nunquam ad maturitatem pertingit! Multorum opinio est, naturam matribus nullum certum pariendi tempus determinâsse: unde etiam Romani legitimam Matris illius prolem judicârunt, quæ mense primùm decimo tertio peperit: *Quoniam nullum certum tempus pariendi statutum videretur.* Videtur ejusmodi opinio apud hos dilatores invaluisse; nisi quod eorum partus non tantum aliquot sint mensium, sed etiam annorum. Sæpe post matrem mortuam nascuntur; &, cùm priùs in lucem edi oportet, inexplicabili viscerum dolore ab ijs quasi avellendi sunt, ut nascantur. Ceterùm res prorsus mirabilis est, videre tot homines, rebus alienis graves, semper parturire, dum identidem Confessariis spondent, se reddituros, quod suum non est, & hoc quantocyus: interim pariunt nunquam, propterea quòd promissa præstent nunquam. *Hæc est maxima mea cura, quâ affligor,* (ajunt Confessario) *an credit Pater, quòd de faciendâ restitutione non cogitem? certò restituam, sanctè promitto.* At, si Confessarius sumptis animis non respondeat diserte: Ite priùs, & Justitiæ debito restituendo satisfacite; tum redite à noxis absolvendi: non est periculum, quòd unquam præstent, quod promiserunt: morientur parturientes etiamnum, licèt integrum seculum superviverent: quia Avaritia, quæ omne voluntati robur adimit, non sinit, ut unquam solutio pridem matura, ab ijs extorqueri possit.

Plin. l. 7. c. 5. V. Sennert. l. 4. p. 2. de Part. tard.

XIX. Verum quidem est, præter Avaritiam in injustâ hac dilatione, magnam etiam partem, Ignorantiam accedere: credunt enim, quòd ad satisfaciendum legi Divinæ, sufficiat, voluntatem restituendi habere, quandocunque demum id fiat; id quod sanè haudquaquam sufficit. Nam *Thom.* præceptum Restitutionis partim affirmativum, partim negativum est. *2. 2. q. 62. a. 2. ad 1.* Partim dicit: *redde*; partim dicit: *non retine*: Unde non solùm obligat ad restituendum, sed etiam ad restituendum statim. Unde illa ipsa retentio rei alienæ injusta, etiamsi vera habeatur intentio reddendi, est velut iterata rei ablatio: *Non multum interest*, clamant SS. Canones, *præ-*

fer-

Cone. Later sub inn. III. c. 39.

sertim quoad periculum animæ detinere injuste; ac invadere alienum. Non solùm dicit DEUS, ut restituatis, sed insuper, ut, cùm reddere debes ad vesperum, non differas usque mane, *Non morabitur opus mercenarij tui apud te usque mane*: & alibi: *eadem die reddes ei pretium laboris sui.* Unde sicut qui carbonem accensum in volâ manûs tenet, non satis habet dicere: decrevi illum abjicere: sed necesse habet, eum illico à se abjicere, cùm aliàs carbo magis urat, ac plagam faciat loculentiorem. Ita propositum Restitutionis non sufficit, sed quod malè possides, actu restituas necesse est, quàm primùm, moraliter loquendo, potes; alioquin semper peccatum peccato cumulabis differens, nunc saltem, quando opportuna restituendi occasio se offert, & negligitur. Feræ omnes certum magnitudinis terminum habent, solo Crocodilo excepto; hic enim crescit, dum vivit. Similis differentia inter alia vitia & Avaritiam intercedit. Homicida, exempli gratiâ, ubi gladium vaginâ reposuit, finem sceleri suo imponit. Luxuriosus crimen finit, cùm nefandum opus consummavit; & sic loquendo de peccatis aljis omnibus, quæ dum Confessione non expiantur, non est dubium, quin vivant vigeántque in Auctoribus suis, non tamen crescunt. In furto aliter se res habet; hoc enim omni horâ crescit, cùm fur etiam tunc, quando manus tenet quietas, furari perdat, quamdiu rem furto ablatam injustè retinet. Verbo: Retentio est peccatum continuum, & non interruptum; est flumen peccatorum, quæ sicut unda undam trudit, se invicem consequuntur: est jugis conflictus contra Legem DEI, quin unquam arma ponantur; & in virtute continuatæ hujus Injustitiæ (sicut DEUS dicitur, omni momento nos creare, propterea quòd omni momento nos conservet) sic etiàm dici potest, quòd qui aliena Domino suo non restituit, omni momento auferat, quia omni momento ablata retinet.

Levit. 19. 13. Deut. 24. 14.

XX. Verùm quid de illis dicemus, qui, cùm morituri sunt, volunt restituere? quasi verò aliâ ratione decreta sua maturare non possint, quàm sorbs, quibus idem est matureſcere & putreſcere. Dum sani sunt, instar Gryphis iniqua lucra unguibus tenent: eripi illa non possunt, nisi cùm mors falce suâ ungues rescindit. Quanta hæc insania, si fortè quis vestrûm ex eorum est numero, qui ejusmodi est animo! Nihil dicamus, quòd mors subitanea vos possit obruere. Omittamus, quòd hæredes, quæ à vobis constituta sunt, non exequantur. Omnia illa, & adhuc plura concedamus, quæ destinatione vestrâ præcipitis: quid deinde? Si interim ipsi potestis restituere, nec restituitis, pro eo, quòd animam vestram debitorum vinculis exsolvatis, magnificis vestris promissis, sed primùm de futuro, quotidie eam magis illigatis. *Si res ablata reddi possit, & non reddatur, pœnitentia non agitur, sed simulatur.* Pœnitentia vestra pœnitentia quædam scenica est, quæ Dæmoni-

monibus ad spectandum convenientibus risum movet, & Confessio vestra Confessio personata est, mendax ac fallax, quæ non solùm DEUM non placat, sed magis provocat ad indignationem. Magnâ nimirum laude dignum est, à devorandis pauperibus abstinere, quando dentes vobis exciderunt, quibus eorum substantias arrodatis! Ipsæ Eleemosynæ vituperio non carent, quæ ad ultimum differuntur, non ut Eleemosynæ, sed ut eò usque dilatæ. Unde S. Basilius pridem ad eos, qui dum viverent, Eleemosynas largiri omittebant, ut morientes largirentur: *Heu miser! tunc liberalis cum hominibus eris, cùm amplius inter homines non ages.* Judicate jam, an eorum restitutiones laudem mereantur. Zachæus seriò pœnitens non dixit: *Si quid aliquem defraudavi, reddam quadruplum*; sed *reddo*: & ideo statim etiam salutem obtinuit: *Hodie huic domui salus à DEO facta est.*

Hom. in Div.

Luc. 19. 8.

XXI. Et tamen, quantum ab hoc discrepant nonnulli? quia si quandoque restituunt, consideremus tantisper, an ideò omnes isti injustorum lucrorum laqueis se expediant. In primis plerique eorum mare imitantur; quod ubi integras naves absorpsit, nonnisi tabulas, eâsque laceras ac confractas in littus ejicit. Ita hi, ubi complures familias perdiderunt, communitates exhauserunt, Ecclesias spoliaverunt, reliquijs injusti lucri debitum suum expiare contendunt, & Confessarium inquirunt, qui in hujusmodi compositione cum ijs conveniat: eôque invento in animo se securos arbitrantur. De Crocodilo refertur, quòd, postquam hominem devoravit, tanquam mortuum se in fabulo extendat hiante ore, ac aperto gutture: mox advolare dicunt aviculam, quæ reliquias intra dentes etiamnum hærentes extrahat & auferat. Idem planè Confessariorum nonnemo facere videtur. Accidit ad ejus pedes homo in pauperes crudelis, qui ubi non unum tantùm devoravit, velut doloris ac pœnitudinis Magnitudine mortuum se prosternit. Nec modicum præstat sacer hic Judex, si, quod rei alienæ tum adhuc reliquum est, ex confitentis dentibus extraxerit: alias enim, quæ jam concoxit, jam destruxit, jam cum suis miscuit, vis nulla est, quæ à Pœnitente extorqueat, & eorum redditionem persuadeat, licèt pari jure ad hæc, atque ad illa restituenda obligetur.

XXII. Nec tantùm deficiunt plerumque in quantitate restitutionis, sed etiam in modo, quo fieri deberent. Totæ quandoque consistunt in eo, ut aliquid certæ Ecclesiæ, Sacello, Altaribus, aut procurandis Sacrificijs expendatur. Sed, quamvis Eleemosyna pro Restitutione est, cùm rei alienæ Dominus ignoratur, aut ei hæredes non succedunt, qui ejus partes ac personam sustineant; si tamen contrà alicui innotescat, quis damnum passus sit, nulla satis Eleemosyna animum ejus solvet à contractâ obligatione, etiam cùm ad imitationem Zachæi, paulò antè laudati, dimidiam bonorum suorum partem in pauperes ero-

S. Th. 2. 2. q. 62. 5.

erogârit. Id quod ex eo satis colligitis, quòd ille contentus non fuerit Christo dicere: *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus:* Luc. 19. 8. sed insuper clarissimis verbis adjunxerit: *& si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Probè siquidem nôrat, quòd Eleemosyna, utut copiosa, cum Restitutione confundi non debeat. Cogitate jam, an vestra Eleemosyna, tenuis ac modica à restituendo excusare vos possit. Fuerit licèt copiosissima, nil proderit. Unus quispiam est, quem denudâsti; alius est, quem vestis; ait S. Augustinus. Unus lætatur ob rem à te acceptam, alius tristatur ob rem à te ereptam. Quem jam putamus à Deo auditum iri? an eum, qui misericordiam inclamat in virtute Eleemosynæ, an eum, qui Justitiam? Certè obligatio Justitiæ obligationem Misericordiæ præcedit: unde illi potiùs audientur, qui clamant contra vos ob jactucam, quam passi sunt; quàm qui pro vobis perorant, ob beneficentiam, quam sunt experti: si tamen beneficî dici possunt, qui non sua largiuntur. Serm. 19. de Verb. Apoc. c. 4

XXIII. Sed demus etiam, quòd Restitutio in debitâ quantitate, & ei, cui fieri debet, fiat; ubi invenietis aliquem, qui damna resarciat ex actione illâ injuriosâ provenientia? Invaserat Uladislaus Poloniæ Rex in bona quædam Ecclesiastica, Repetundarum, ut putabat, jure. Et à conjuge sua Sanctâ Hedwige de Injustitiâ commonitus illico omnia restitui jussit. Bene est, ajebat Sancta Regina, quis autem miserculis istis suas lacrimas reddet? *Pignora quidem reddemus Agrestibus: cetera lacrymas illorum quis reddet?* Ego quidem contentus forem, si etiam lacrymarum ratio non haberetur, quas fundunt Operæ, dum mercedem diurni sui laboris expectant; modò damna, quæ ipsâ suâ expectatione incurrerunt, non sine omni compensatione in oblivionem venirent. Si pauper iste suo tempore mercedem accepisset, cum lucro familiæ suæ messis tempore prospexisset; sed quia ab avaro hoc Euclione merces injustè fuit dilata, pretio duplo majori, quàm aliàs emisset, rem deinceps emat necesse est. Et tamen, quis est, qui pauperi huic familiæ non dico lacrymas, quas hac durâ expectatione suspensa fudit, sed vera omnino damna resarciat? Avaritia ne quidem cogitare ista eos sinit: quamquam animus lumen quoddam, quo tam manifesta injustitia agnoscatur, affundere studeat, fixis de industriâ in terram oculis ad rem non attenditur. *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Zitz. de Illust. Germ. Vir. c. 19. S. Th. 2. 2. q. 62. a. 5. Ps. 16. 21.

XXIV. Quid igitur de tam terribili, támque tenaci vobis laqueo videtur, quo, qui rem non suam detinet, constrictus tenetur? Terribilis inprimis est ob hoc, quòd nulla prorsus sit salutis consequendæ via & ratio, nisi reddatur jure, quod sine jure ablatum est. Tenax etiam est, propter summam reddendi difficultatem, si quis unquam rei alienæ vindicatione se permisit implicari. Certè non absque gravi causâ dixit Sapiens. *Qui* Prov. com. 21. 6.

congregat thesauros linguâ mendacij (hoc est, cum falsitate, cum fraudibus, ac mendacijs in Confessione prolatis ad eos, qui ad Restitutionem eum volunt obligare) *impingetur ad laqueos mortis*: si enim hi laquei mortis non sunt, quinam erunt?

XXV. Nullúmne igitur remedium supereſt pro hujusmodi Captivorum turbâ? An cum Tertulliano hanc Divitum generationem, Animas æternis flammis destinatas compellabimus? *Divites prædamnati*. Est modus etiam hæc rumpendi vincula, si modò quis tempori ad ea rumpenda se ſer ò accingat. Et primum quidem remedium servit ad illa laxanda: si nimirum assuescat quis perpendere: dispendium, quod ex Restitutione provenit, alîâ ex parte plùs geminato lucro resarciri posse. Tale remedium est Eleemosyna, quæ ex proprio, non ex alieno erogatur. Hæc supra quàm credi potest, fertilis est tam in hac vitâ, juxta Christi promissionem multiplicando bona, quæ possidentur, quàm in alterâ immensos thesauros præparando in Cœlo illi, qui eos plenâ illâ charitatis beneficentiâ sibi vindicare studuit. Fides ista, usu ipso animata, ita hominem, cererâ tenacem, immutare potest, ut & aliter, & alia cumulare laborer. Aliter quidem, si ad rem augendam largiatur, non retineat. Alia verò, si pro caducis, æternis & mansuris opibus inhiet. Atque ita cor illud, cupidum simul & tenax, tanti lucri amittendi metu, facilè Summam suam capitalem crederet mensæ minimè fallaci, ubi adverterit, quòd non perdat, sed permutet in melius, dum immenso lucro ipsum DEUM sortitur debitorem: *Quid enim esse potest ditius homine, cujus profitetur DEUS se esse debitorem?* S. Zeno, serm. 1. de Avar.

Lib de Pœnit.

XXVI. Alterum remedium, quo vincula ista omnino abrumpantur, in vero desiderio animam suam æternùm servandi consistit. Amor, cùm magnus est, omnem aliam affectionem, ceu flamma major minorem, extinguit. Atque ideò, si Animam eo, quo decet, amore prosequi cœperitis, haud dubiè omnem injustè retinendi ea, quæ tamen aliquando reddi debent, affectum vincetis. Animo igitur serio, planéque attento hæc Christi Servatoris verba pulcherrima versate. *Quid prodest homini, si Mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Eóque magis, quòd non de toto Mundo agitur, sed de pugillo, ut sic loquamur, pulveris mundani; hoc est, de lucro quodam tenuissimo ac triviali, brevi tempore per mortem denuò eripiendo. Miser aliquis canis, dimidio quandoque die leporem insequitur, ut ægrè jam spiritum trahat: & cùm demum eum assecutus est, ore & dentibus avelli sibi illum cernit, non alio tantæ suæ defatigationis præmio, quàm odore ex prædâ percepto. Ecce, quid Dives ex omnibus suis lucris tanto labore conquisitis tandem colligat: Vix ea congregavit, cùm mors è manibus rapit omnia, & ad hæredem transfert; qui exiguo ea tempore lusibus, & pergræcationibus dissipat, ac abligurit, quæ tantis sudori-

Matth. 16. 26.

doribus, curis ac solicitudinibus fuêre collecta. Et lucrum hoc tam miserabile condignum sit pretium, quo anima vestra væneat? *Quam dabit homo commutationem pro animâ suâ?*

XXVII. Sed & hoc non omittamus, quòd bona injustè parta sæpe etiam opes illas consumant, quæ justo titulo acquisitæ fuêre. Inter lanam à mortuâ pecude resectam, & eam, quæ vivæ ablata est, istud est discriminis, quòd illa se ipsam consumat, tineas generando, quæ illam depascant: hæc verò se ipsâ potiùs augeatur & crescat. Eadem differentia inter lucra injusta, & justa intercedit. Injusta semetipsa consumunt; justa aut conservantur, aut augentur. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere,* salvâ religione; *quia facient sibi pennas quasi Aquilæ, & volabunt in cælum*: quia cùm fuerint in manu tua, alas acquirent, avolabunt, & duplici ex capite delusum te relinquent; tum quòd bonis æternis, quæ abjecisti, excidas; cùm quòd temporalibus, quibus tantopere inhiâsti, te oporteat spoliari: O igitur infelix permutatio! Deum instar Judæ vendere, & ipso etiam pretio, quo venditus est, non potiri! præterquam quòd ea ipsa lucra, si votis etiam respondeant, non lucra, sed detrimenta dicenda sunt; utpote quibus animæ salus pessum datur. Medium hac in re nullum datur: aut restituere, aut æternùm perire necessum est. Res aliena catena è ferro est, quæ non solùm ligat, ut funis, sed pondere insuper suo Animam opprimit.

Prov. 23. 5.

XXVIII. Nescio quis Comes Ecclesiæ Metensi agros quosdam rapuit, quos post mortem suam filijs reliquit, & hi hæredibus suis, ad usque decimam generationem; Cùm Sanctus quidam Vir longam & altam vidit scalam, quâ gradatim ad infernum descendebant, injusti illi Possessores, qui quamlibet sæpius à Ministris Ecclesiæ moniti, induci non poterant ad agros Ecclesiæ ablatos restituendos. En infausta familiæ hujus infelicis lucra! Sed non meliori sorte omnes illi utentur, quicunque aliena non reddent, laqueo hoc amoris rerum non suarum impliciti. *Fœnus pecuniæ funus est animæ.* S. Leonis Papæ assertio est. Restituere oportet, aut æternùm perire. An tonitru tam formidabile non sufficit ad meliorem vobis mentem injiciendam? Crocodili, utut cupidissimi, quemadmodum diximus, humanæ carnis, territi tamen vociferatione plurium, revomunt corpora paulò antè devorata. Et erit, qui denuntiationem damnationis æternæ, damnationis inevitabilis, damnationis jamjam imminentis non extimescat, nec induci se sinat ad reddenda, quæ injustè detinet? Repeto igitur. Aut restituendum est, aut æternùm pereundum. Necesse est minùs, quàm bestiam aliquam, sensûs habere, qui se ipsum potiùs totum perdere malit, quàm sua? imò, quàm perdere illud, quod non est suum; sed quod vel invito vero domino vult facere suum. *Quid prodest homini, si Mundum universum lucretur, Animæ verò suæ detrimentum patiatur?*

Baron. an 1055. ex Epist. B. Petri Damiani ad Dominic.

Serm. 6.

Plin. l. 8. c. 25.

DISCURSUS XXVIII.

De Iudiciis Temerariis.

I. NOn est officium inter homines periculosius, officio Judicis. Sicut enim ut Magister perspicuè & clarè proponat, quæ docet, non satis est illa utcunque scire, sed necesse est perfectè plenéque ea perspexisse; ita ad officium Judicis tutò obeundum non vulgaris quædam prudentia, sed magna quædam, ac excellens requiritur. Et tamen, totius ferè Mundi negotium perpetuum est, Judicare: hoc est: pronuntiare de factis Proximi, qualia sint, damnare, déque ijs decretoriam sententiam ferre; adeò ut S. Joannes Climacus diceret: Dæmonem non alio magìs negotio inter nos distineri, quàm quo tentet ad peccata committenda, aut commissa dijudicanda: *Peccare nos Dæmones urgent, aut si non peccaverimus, judicare peccantes.* Sic in omni loco tribunalia statuuntur. Suspicio mera, pro justo examine habetur; tenuis quædam rei species pro evidentia; & non tantùm non admittitur appellatio, sed Reus antè damnatur, quàm ad dicendam causam citetur; & antè quàm causam suam occipiat, jam definita est. Verùm enim verò scire vos velim, tot Deo Judices improbari; ipsúmque solum esse velle, qui hoc officium sustineat. Et ideò illius nomine vobis denuntio, ut ne hac in parte festinetis, qui enim temerè Proximum judicat, aliud non agit, quàm ut eâdem operâ se ipsum condemnet; *In quo alterum judicas, te ipsum condemnas.* Rom 2. 1.

Clim in Scala.

I.

II. Antequam tamen audacium horumce Judicium iniquitatem consideremus (quod erit primum Discursus mei caput) declarare oportet, quid judicij temerarij nomine intelligatur. Aliud igitur est Dubium, aliud Suspicio, aliud Judicium. Dubium est Animi quædam suspensio, quâ nec in unam, nec in alteram partem propendemus. Suspicio est quidam debilis ac tenuis assensus. Judicium denique, firmus quidam assensus est. Imaginamini vobis discursum vestrum bilancis instar ipse habere in manu rationis. Si Bilanx æquilibrium tenet, en Dubium; si plùs in unam quàm alteram partem propenderit, en Suspensionem; si toto pondere & impetu in partem unam fertur, en Judicium. Dubium & Suspicio, si ratione nulla nitantur, inter peccata venialia numerantur, non inter mortalia, plerumque saltem: & de his nunc mihi sermo non est. De illo Judicio absoluto loquor, quod mens nostra de vita alterius nulla ratione nixa format. Dixi, sine ratione, S. Th. 1. 2. q. 60. ar. 3.

quia

quia cùm indicia sunt violenta, & præsumptiones validæ ad judicium ferendum; Judicium prudens, & non temerarium appellatur, atque adeò in eo ferendo non peccatur. Si vidua quæpiam omnis generis personas domum suam admittit; si protervè cum viris ad se accedentibus colloquitur, & si non contenta mutuas ab ijs pecunias accipere, promissa etiam ac donaria facilis admittit; admodum difficile creditu est, eam turturis instar solitarij amissum comparem lugere. Ideò Apostolus dixit: *Quorumdam peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium, quorumdam autem sequuntur.* Quia peccata quædam tam sunt in propatulo, ut probatione non egeant, aut processu judiciali, sicut indigent alia, seipsa satis accusant. Verum est, in hujusmodi casibus Charitati locum dandum; excusanda est intentio (forsan minùs quàm appareat, rea) cùm opus excusari prorsus non potest; Carnis fragilitas incusanda est, aut vehementia suggestionis. Si etiam intentio excusationem non admittit, omnibus signis manifesta; in omni eventu meminisse debemus, nos etiam peccatores, & tales quidem, qui, si in hujusmodi circumstantijs fuissemus, graviùs ac fœdiùs essemus lapsi; eâ ferè ratione, quâ femina non audet virum suum ignaviæ accusare, è prælio domum fugâ se recipientem, bene sibi conscia, sibi tantùm animi non fuisse futurum, ut vel armis se accingeret, Sed ut in viam redeamus, ista hodie reprehendere non constitui. In illum ego pessimum morem invehor, multorum malè moratorum ac Deum non timentium, qui liberè Proximorum suorum actiones damnant, non nisi levibus conjecturis ad id inducti. Quam injustitiam ut evidentiùs intelligatis, inôsse nos velim, tres ad boni Judicis officium conditiones requiri: Auctoritatem, Scientiam, & Justitiam. Sine Auctoritate in alienam messem involatur: sine Scientia judicium erit stultum; sine Justitia iniquum. Hæc verò omnia tria temeriariè judicantibus deficere in præsentiarum demonstrabo.

Ad Timoth. 5 V. S. Theo in hunc locum.

S. Thom. 2. 2. q. 60. a. 2.

III. Primò itaque Auctoritas, & propria Judici deest Jurisdictio. Jura non ferunt, ut æqualis in æqualem habeat Imperium; solùm in Inferiorem concedunt: *Par in parem non habet imperium.* Quod si ita est, quâ igitur fratrem vestrum judicatis? *Tu autem quid judicas fratrem tuum?* Duo judiciorum genera hic distinguere possumus cum S. Thoma; unum est, quo judicatur, qualis sit res; & hoc non nisi Superiorum est. Alterum, quo judicatur; qualis esse deberet; id quod etiam Inferioribus potest competere. Quare igitur limites vestros transgedimini, & de eo, quod ad vos non pertinet, vultis sententiam ferre, ac definire, quænam sint actiones, mores, & consilia Proximi vestri; cùm ad summum judicare tantùm possetis, quales esse secundùm rectam rationem deberent? *Quis te constituit Judicem super nos?* Jure haud paulò majori ad vestrûm aliquem dicam, quàm ad Moysen superbus

Rom. 14

Exod. 2. 14.

perbus ille Hebræus. Tabulas profer, quibus hæc judicandi potestas in te confertur; aut saltem doce me, quis illam tibi contulerit?, quis impetrârit? *Quis te constituit Judicem?* Certum est, à Deo, qui tamen solus dare potest, jus hoc non esse profectum. Imò ille aliarum actionum curiosam inquisitionem vetat: *Ne quæras iniquitatem in domo justi. Quis* ergo *te constituit Judicem?* Quis auctoritatem tribuit, quâ in alienas te non vocatus actiones intrudas? Si quis homo exterus domum alterius & conclavè irrumpat, quin antè fores pulset, etiam inter plebejos rusticitatis reus habetur, Nec jura concedunt, ut fenestra in pariete utrique vicino communi aperiatur citra utriusque assensum. Quo modo igitur Jus hoc maximum vobis arrogatis, quo non solùm in alterius nescientis & inviti domum intrare, sed ipsum illius animum præsumitis subire, & fenestram aperire in illo pariete, quem Deus omnibus clausum esse voluit: *Qui te constituit Judicem?* Judicium cordis humani Deus soli sibi reservavit, & idcirco primum Nomen, quod in sacris Paginis habere voluit, fuit Eloym, quo Judex significatur, perinde ac si ad solum pertineat Creatorem, Creaturas suas judicare. Quod ipsum querebatur S. Job de Amicis suis, qui in viro Sancto condemnando erant tam faciles. Dolebat ei, quòd ipsi Arbitri esse vellent operum ejus, arbitrio planè insolenti. *Quare persequimini me sicut Deus?* Quasi diceret; quâ auctoritate Divinum in me jus invaditis? Quare ut supremi Domini, aut ut legitimi Magistratus mecum agitis? cùm non aliud, quàm ejusdem Domini mecum conservi sitis? Quo animo de vitâ mea sententiam fertis, cùm in hac parte nemini nisi Deo, cujus totus sum, me subjectum agnoscam: *Quare me persequimini sicut Deus?* An opem ei subsidiariam, tanquam impoti, commodatum venitis? *Nunquid pro Deo judicare nitimini?* Et ecce quàm difforme sit Justitiæ temerarium Judicium, ut quod eorum est, qui jus in alios affectant, quod tamen ipsis nullatenus competit.

Prov. 24. 18

L. Cos qui jus. ff de ser. vit præd. Urb.

Job 19.

Job. 13. 8.

IV. Sed non minùs injustus ille est, cui altera judicum conditio deficit, necessaria scilicet ad judicandum scientia; sive illa sit juris, sive facti. Deficit ergo imprimis Juris scientia: Nam si aliud foret nihil, solus amor, quo nos ipsos complectimur, judicium pervertit, atque inclinat nos ad malè de proximo credendum, quasi verò, quò plùs ille deprimitur, eò altiùs extollamur. Non est ventus magis turbidus, ait Aristoteles, quàm qui repercussus in se ipsum velut incurrit; quia non tantùm nubes non dissipat, sed magis condensat. Simili modo Amor, quo nos ipsos persequimur, se habet: omnia quodammodo in se reflectit, & inde facilè contingit, ut mentem obscuret, & rectum judicium intervertat. Cùm è diverso, si proximus ex animo diligeretur, omnes ejus actiones nobis rectæ viderentur. *Ex alienis affectibus æstimamur*, sapienter dixit S. Gregorius Nazian-

Serm. 6. Probl.

zianzenus. Unde factum, ut idem David oculis Jonathæ rectus: Saulis verò ut quàm maximè curvus videretur, Jonathas enim pro regulâ sui judicij cor bonum & rectum habebat; Saul verò malignum & pessimè affectum. Non est mirum (ajebat S. Hieronymus scribens ad S. Paulinum Episcopum) non est mirum, quòd tantâ apud te in æstimatione sim, siquidem *metiris nos virtutibus tuis*. Et sic pariter non est mirum, quòd qui ipse perversus est, de altero etiam perversè judicet, nam secundùm id, quod in se habet, judicium fert, nec potest quidquam stabile ac firmum cernere, qui caput instar phrenetici in omnem partem jactat. *Sed & in viâ stultus ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* Cain fratricida pessimus in eam venit opinionem, ut timeret neminem sibi venturum obviam, cui volupe non esset Cainum occidere. *Omnis, qui viderit me, occidet me.* Totila Gothorum Rex, quia mero ipse ingurgitare se solitus erat, cùm S. Cassium vultu rubicundum contueretur, sibi similem, ebriosum credidit. Lutherus, qui Monasteriis in prostibula commutatis Impudicitiæ Monstrum evasit, docere occæpit, continentiam homini servatu impossibilem esse. Paucis, judicia nostra ventis similia sunt; qui ijs virtutibus ac qualitatibus imbuuntur, quibus terræ, per quas transeunt, imbutæ sunt. *Ex alienis affectibus æstimamur*, & in illo trunco, ex quo peritus artifex, mentis suæ ideam secutus, format nobilem statuam; vilis Carbonarius aliud nihil considerat, quàm fœtidas ac fuliginosas carbonum reliquias.

Epist. ad Paulin.

Eccl. 10. 3.

Gen. 4. 14. S. Greg. l. Dial c. 3

V. Perquam facilè igitur nobis in judicando Juris scientia deficit, & ubi hæc non deforet, illam Facti non haberemus. Quia plerumque id, quod perperam judicatur, est ipsa intentio, quæ tamen nostros oculos longissimè effugit. Agyrta quidam Astrologum se venditabat peritissimum, & in rudium ac imperitorum coronâ verba sine fine faciebat de dispositione sphærarum, de stellarum distantiis, de planetarum omnium influxibus singillatim, ut Diogenes, non ferens amplius immanem jactantiam, à capite ad calcem firmo obtutu eum metiretur, ac postmodum iterum fixis in faciem oculis eum contemplatus rogaret: Quantum temporis est, ex quo illâ tu regione excessisti, & quantum temporis certam ibi sedem fixisti, ut adeò certa & distincta huc ad nos nova afferre non verearis: Hujusmodi exprobratio longè meliùs in temerarios hos homines caderet, qui ipsam etiam aliorum cogitationes perscrutari volunt, intimas licèt & inaccessas. Quanto tempore in aliorum cordibus habitâstis? & quando ex ijsdem denuò reversi estis, quòd adeò exactas de ijs notitias proferatis? Proprium cordis humani est, esse inscrutabile. *Pravum Jerem. est cor omnium, & inscrutabile: quis co- 17. 9. gnoscet illud?* Et arcaniora illius ac magis recondita pervidere, illius dos propria Domini est, qui formavit illud. *Ego Dominus scrutans cor.* Ipsi vos ipsos ex toto non agnoscetis, quomodo jactatis, aliarum arcana vobis a-

Laert. l. 3 c. 17

deò esse perspecta? Quoties, cùm confitemini, dicitis; nescire vos an tentationi assenseritis an non? Dicitis; Ignorare vos, quæ vestra tum fuerit intentio; an prudentes scientes feceritis, an passione impulsi? Et tamen cùm nesciatis, quid in Mundo antiquo accidat, quem incolitis, divinatione vestra vultis assequi, quid in terra incognita Mundi novi agatur.

VI. Respondebitis; sequi vos in judicando ductum indiciorum, quæ apparent. Sed hoc est velle judicare qualitatem fundi abyssi marini ex paucis illis algis, quas in littus evomit. Deinde si hujusmodi judicium sufficiens non est, unde vestra intentione pronuntietis, quare ad ferendum de aliorum intentione judicium vobis sufficit? Ne S. quidem Ecclesia, à Sancto Spiritu plurimùm illustrata, tali modo sine deceptione judicare præsumeret. *Ecclesia non judicat de internis. Illa*, tacitè in animo mussitatis; *Illa mali nihil perpetrat, quia occasionem non habet. Stat firma, quia non habet, qui impellat: Sed quanto tempore ita perstitet? dum non inveinat, qui eam muneribus sollicitet, qui roget; qui illis humanitatis officijs quæ ambit, eam colat ac provocet.* O tribunal formidabile! si in prægrandi quadam Aula trecenti illi & octodecim Episcopi considerent qui in Concilio Nicæno Arrium condemnârunt, non auderent hujusmodi sententiam de præsenti infelicis hujus feminæ statu ferre: Vos autem non de præsenti, sed de futuro etiam tam malignè judicatis? Ecclesia de internis non judicat, nec credit, sufficentem sibi esse cognitionem facti, aut juris ad talem sententiam mille errandi periculis subjectam. Et tamen homunico privatus liberè judicat, & credit se satis instructum, qui unum tantùm negotium agat, cùm tamen sæpe capitis illi à trunco distantia ignota sit, Prædictiones hæ nimiùm quantùm audaces sunt, in illis argumentis fundatæ, quæ omnia, & ipsa sunt debilia, & ex hujusmodi affectibus desumuntur, qui omnes occultam sui causam habent. Non sunt hæ actiones Prudentis sed divini & Arioli; Id quòd si mihi recusatis credere, Sancto Spiritui credite, qui cùm de homine invido loquitur, ait. *In similitudinẽ Arioli & Conjectoris æstimat, quod ignorat.* Astrologum spectate, qui cælũ contemplatur, & magna cũ authoritate pronunciat; hæc & illa domus cælestis, domus mortis est; ibi Scropius, illic Serpens stabulatur, Stella illa rubicunda Matris est, semper strages meditantis. Illa Veneris fax est quæ nunquam non ad oblectationes carnis inclinat; & sic de alijs; cùm tamen in cælo horum nihil sit, nec mors, nec serpens, nec scorpius, nec sanguis, nec immunditia; & ista, quæ finguntur vocabula, ex rerum natura non sint petita. *In similitudinem Arioli, & Conjectoris æstimat, quod ignorat.* Qui temerè judicat, vult, ut malum quod transit, denuò sit præsens, & id quod præsens est, etiam in futurum se extendat, & ut suas prædictiones magis certas ac securas reddat, hanc non oberrandi regulam sequitur: Judicare quod pejus est. Quasi verò actio quædam tam Prov. 23. 7.

san-

facta sit, quam si quis velit, non possit pessimè interpretari. Pharisæum illum, qui Christū convivio excepit, observate, & videbitis, num vera dicam. Magdalenam ille ad Domini pedes videt, & impuram Meretricem judicat; *Peccatrix est*, nec de præsenti tantùm peccatricem eam credit, sed talem, quæ ne quidem cùm ad Christum accesserit, emendari valeat ac mundari. Et tamen Magdalena jam tunc Peccatrix non erat; ut quæ suismet lacrymis omnes animæ suæ maculas eluerat; nec in futurum peccatrix futura erat, ita ut illa, quæ fatuo huic Astrologo Venus videbatur immunditiæ plena, lucidissima stella esset, quæ velut Hesperus sequi debebat Justitiæ solem usque ad occasum in monte Calvario, quin & ad ipsum tumulum: quæque ut Phosphorus eundem solem præcurrere debebat, annunciatura ejusdem Resurrectionem, ita ut & Apostola, si ita loqui fas est, Apostolorum esset futura; qui à Magdalena primùm de Resurrectione erant edocendi.

VII. Denique huic judicium turbæ non solùm Jurisdictio & Scientia deest, sed ordo etiam in judicijs observari solitus, ex quo ordinis defectu perversum omninò judicium illorum est. Ante omnia obturum in Judicem convertite. Ille qui se ipsum constituit Judicem, simul etiam accusationis vices obit, quod in omoi foro vetitum ac illicitum est. Præterea, uti dicebat Aristoteles, Judex argentarium æmulari debet, qui argentum verum ab adulterino dignoscat, & ideò subtili admodum investigatione perquirat in factum, consideret conditiones & adjuncta, juxta illud Jobi de se dicentis: *Causam, quam nesciebam, diligentissimè investigabam.* In nostro autem casu omnia alia fiunt. Iniquitas Pentapolitanorum tam erat scandalosa, ut vicina omnis regio sceleribus inquinaretur, & gravitas peccati tam erat certa ac indubitata, ut omni momento è cælo fulmina provocaret: Deus tamen antè quàm sceleratissimos hos homines condemnaret, illorum causam denuò explorare, ipsum locum inspicere, & ipsemet enorme delicti corpus, utut famâ communi prænotitum, examinare constituit; *Descendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Non quòd Domino informationes istæ, ut ait S. Gregorius, sint necessariæ, cùm sciat omnia; sed ut nos inde doceamur, qui tam præcipites ad proximum nostrum damnandum ferimur. *Ut nobis exemplum proponat, ne malum hominē ante præsumamus credere, quàm probare.* Femina aliqua vestium ornatu, præ alijs exculta in templum veniat; illico est, qui in corde suo asserat: vestis hæc pretium venditæ honestatis est. Juvencula quædam pallidiore vultu in publico compareat, & fractis viribus; subitò quis intra se musset: hæc mater est antè, quàm sponsa: macilenta ejus facies meritò me facit formidare malum ab ipsa malè admissum. Alia in morbum incidit, & aliquanto tempore inter socias non comparet, ecce, ait non nemo, quàm bellè ac solerter ista uteri sui tumorem, & onus occul-

c. Multi, 2. q. 1. l. 1. Rhetor. c. 1.

Ioh. 29. 16.

Gen. 18. 21.

Mor. c. 14.

occultè positum dissimulare nôrit ac tegere. Paucis licèt venatione in corde humano nemini non sit interdictum, nemini tamen in eo venari non lubet; & si veræ desunt, eas ipse nasci facit. Ipsa etiam experientia mille deceptionum nostrarum non satis nos corrigit, quin identidem in malè sana judicia recidamus. Quoties judicâstis, rem quampiam, domi vestræ sepositam, furto fuisse sublectam, & cùm eam denuo reperistis, non furtum sed vestram oblivionem accusâstis? Quoties jurâsseris, neglectum ab hoc illóve urbanitatis officium non alio, quàm vos vilipendendi studio; postmodum autem cùm inquirendo rem, ut erat, didicistis, casu, non contemnendi animo id contigisse comperistis? In morbis acutis, ajunt Medici, admodum incertas esse prognoses; eò quòd humor peccans facillimè sedem mutet. Id ipsum frequenter in judicijs, quæ de alijs ferimus, contingit: aut enim malum, quod asserimus, nunquam fuit; aut modò non est. Illa quæ impudica videtur, forsan non nisi aliquantum minùs cauta ac prudens fuit; aut si qualem credidistis, fuit, talis porrò non est, omninò resipuit. In omni ferè eventu non nisi nudum malum intuemur, bonum autem, quod ei conjunctum est, intueri negligimus. Subjecti Zonæ torridæ duas singulis annis hiemes experiuntur, sed & æstates duas. Si non pauci homines vitia quæpiam sua habent, habent tamen etiam virtutes: si scandalo quopiam alios offendunt, dant tamen etiam egenis Eleemosynas; abstinent à murmurationibus, neminem acriter mordent, mercedem Operariis fideliter exsolvunt, & peccatorum suorum maculas magnam partem charitate operiunt. Horum nullâ habitâ ratione plerique ad sententiam decretoriam statim deveniunt, & quod in Judicibus Lacedæmonijs reprehensum fuit, non secundùm Leges & Jura, sed secundùm arbitrium suum judicant ac decernunt.

Hippoc. l. 2. aphor. 19.

Arist. l. 2. Polit. c. 7. n. 6.

VIII. Citaretur saltem antè Reus, & purgationes ejus audirentur. Sed nihil minùs. Alexander, cùm accusatorem quempiam audiret, autem unam manu obturabat, cum dicto: hanc accusato reservo integram. Quis nostrûm est, qui in judicando proximo morem istum servet? plerumque non tantùm defensio non adhibetur, sed nec admittitur; & creditur, quòd in dubio illa interpretatio sit optima, quæ omnium maximè est sinistra. Illa demum rara ac solers prudentia creditur, quæ pro infallibili habet, omnem calorem esse febrim, omnem febrim esse putridam, omnem putredinem esse lethalem; & sic quivis æger inter desperatos habetur antè, quàm vena tactu exploretur. Disertè Jura præcipiunt, ut in dubio quilibet credatur bonus, aut saltem minùs reus, quàm secundùm allegata & probata præsumi possit? *Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur.* Nos autem in judicandis aliorum actionibus alias prorsus leges, ad genium nostrum accommodatas, alia Digesta habemus, alios libros Decretales, alios Codices; & his

Plutarch in Alex.

l. semper ff. 6. de Reg. Jur.

his contra Proximum, non tamen contra nos ipsos utimur; siquidem ad excessus nostros excusandos, benignas sententias admittimus, aliorum autem ambiguos annutus inter certa flagitia numeramus. Insuper, qui ex officio Reos judicat, semper magis ad absolvendum, quàm ad condemnandum esse pronus debet. Nos semper inclinationem in sinu fovemus, quâ malimus proximum nostrum inter reos censere, & in solatium morborum nostrorum judicamus, sanum in Mundo hominem vix ullum reperiri. *Hoc habemus in malis solatium, nusquam invenire Innocentiam*, dicebat Ennodius. Imò ita deceptionis hujus avidi sumus, ut ne fortè errorem dedoceamur, non patiamur ad examinanda aliorum facta, alia testimonia, magis sincera & certa accedere, quàm sensus nostros, quibus illico omnia credimus, etiam contra manifestissimum Dei mandatum, quod inter peccata recenset; quòd in judicando solâ nitamur apparentiâ. *Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate.* Joan. 7. 24.

l. in Condemnatione ff. de reg. Juris

IX. An fortassis illud Dei præceptum minùs æquum fuit? si fidem solis habuisseris sensibus, quodnam vestrum fuisset de illo Latrone judicium, in Calvario Monte ad dextrum Christi latus pendente? Ille jam acceperat Jus stabile magnum illud Cæli Regnum. Et tamen vestrâ sententiâ habendus fuisset homo nequam, mille mortes promeritus, perinde ac scelerum socius, quem à Christi sinistrâ suffixerant. Vos quoque cum Eli Sacerdote Annam illam non Spiritu diviniore, sed vino ebriam pronuntiâsseris, Non soli Melitenses, sed vos quoque damnasseris Paulum illum Apostolum, ut hominem conscelleratum, qui vix à naufragio ad littus appulsus, ipso mox in littore parum abfuerit, quin à vipera venenatissima morsus vitam suo merito amitteret, quam è fluctibus salvam extulerat. Væ castissimæ Judithæ; si vos Judices nacta fuisset, dum positis viduitatis suæ vestimentis, & lugubri vultu, totam se ad hilaritatem, & quantam potuit venustatem composuit, nec alio, quàm ancillâ suâ unicâ, comite, totâ muliebris mundi pompâ superbiens in Assyriorum castra prodijt, cùm interim animo volveret grande illud consilium, mox facto ipso complendum, impium Holoferni caput demetendi. Mussitâsseris saltem tacitè vobiscum, Judictham nimis immatura viduitate fessam ire ad procos vel inter hostes quærendos. Et tamen vestra hæc sententia magis falsa ac mendax esse non potuisset. Sed hoc est periculum illud, cui expositus est, quisquis sensibus duntaxat in judicando ducibus utitur; ut sit judex audax potiùs, quàm rectus & æquus. *Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate.* Jo. 7. v. 24.

X. Quod si ita est, quid tandem vos de iniquissimis istis sententijs pronuntiatis, quas sæpenumero in tribunali Phantasiæ ac opinionum nostrarum contra proximum nostrum promulgamus? an Judicium magis perversum, ac justitiæ contrarium repe-

riri potest; magis præcipitatum defectu notitiæ, magis injustæ usurpatum defectu authoritatis ac Juris requisiti; hujusmodi temeritas vituperio dignissima foret, etiamsi ratiocinando veritatem assequeretur: perpendite proin, quantò sit vituperabilior, dum errat, ac fallitur? Temeritas Ducum etiam post victoriam punitur: an existimare possumus, post acceptam cladem impunè illam laturos?

II.

XI. Restat igitur: ut videamus, quàm juste se ipsum condemnet, qui tam iniquè proximum suum condemnavit; quod erat alterum Discursûs mei argumentum. *In quo alterum judicas, teipsum condemnas.* Verùm, ut eo melius intelligatur judicij illius severitas, quo Deus intrusos hos judices & inhumanos judicabit, geminam injuriam considerare oportet, quam judicando, Deo inferunt & proximo. Et quod proximum attinet, damnum tantò est majus, ait S. Thomas, quantò majus est bonum, quòd judicio hoc nostro ei surripimus. Etenim apud nos ipsos bonum illud nomen, quod possidebat, illamque bonam famam, quæ inter bona externa principatum tenet, quamque non ratò homines ipsi vitæ præponunt, auferimus. Tanto cum sensu S. David iniquè & præposterè ab hominibus se judicatum accepit, ut præoptaret à Divino etiam tribunali judicari, utut aliàs Dei judicia adoranda magis, quàm pervestiganda, tantopere formidaret. Nihil refert, dicebat ad Deum David: *Discerne causam meam de gente non sancta.* Domine tu causam meam judica, & tolle eam ab improba gente ista, torámque ad tuum tribunal transfer: *Dijudica causam, quæ mihi intenditur a gente non sancta.* Nam etsi justitia tua non sine rigore est, justa tamen est, nec timere me in tuo tribunali oportet, ut in illo hominum, ne meæ intentiones sinistrè accipiantur, ne causa mea reddatur difficilior; ne gratum sit judici stare contra me præjudicia; ne P. sfio inordinata prævaleat ad ferendam contra me sententiam injustam. *Discerne causam meam de gente non sancta.* Non diversa ab hoc Davidico sunt multorum justorum desideria, quia & ipsi à judicio hominum ad Divinum tribunal, in quo solo nemini unquam fit injuria, appellare coacti sunt. Casum prorsus stupendum in hoc genere percipite, quem vobis constitui enarrare.

S. Tho. 2. 2. q. 60. a. 4.

Psal. 42.

VII. Senex quidam virtutis consummatæ, & annorum plùsquam sexaginta, nomine Vitalius, relictâ solitudine Allexandriam venit, negotij alicujus gratia, quod in quocunque alio temerarium videri debuisset. Sed Lux Spiritûs Sancti, quæ cordi ejus manifestè illapsa est, securum eum reddidit, quòd ea in re non erraret. Ingressus est itaque civitatem, ut ardenti suo zelo satisfaceret, & desudaret cum alijs in meretricibus ex impudicitiæ cœno ad bonam frugem reducendis, quæ magno numero inibi reperiebantur. Cæpit cùm misellis istis agere, quâ rationibus quâ precibus, quin & Eleemosynis opportunè subministrâ-

dis,

dis, Nec frustra, à pluribus enim impetravit, ut turpi consuetudini perpetuum nuncium remitterent; alijs verò, ut si pacem stabilem cum Deo nunc quidem nollent, turpi vitæ penitus renunciando, interrumperent saltem illam, & sic velut inducias cum DEO paciscerentur. Quapropter, argenti aliquid ijs largitus, vicissim ab ijs exigebat, ut noctem illam absque peccato transigerent; ipse verò interim excubabat modò in hujus, modò in alterius ædibus, ibíque totam noctem in precibus, pro earum salute fundendis, absumens, interim à peccato eas custodiebat; pactus insuper pacto arctissimo, ut ne cui mortalium hanc suam negotiationem manifestarent, quâ non earum corpora, sed animas, ab ijs cuperet. Studium hoc in oculis Dei tam sanctum, in mortalium oculis omni reprehensione dignum videbatur, quorum pars major non ut suspectam modò, sed insuper ut scandalosam hanc cum venalis pudicitiæ fæminis tantam familiaritatẽ vituperabat. Quare virum Sanctum, ad Joannem Eleemosynariũ, Episcopum tunc Alexandrinum, detulerunt; qui tamen aut quia virtutem Vitalij satis perspectam habebat, aut quia innocentissimus ipse tales & ceteros judicare consuêsset, accusationem neglexit, suamque Vitalio libertatem integram permisit, ut porrò cum feminis illis ageret; quarum una impetrare à se aliquando non potuit, quin in colloquio admirabilem Vitalij continentiam prædicaret. Hic verò, quis crederet? à Deo obtinuit, ut illa in pœnam violati arcani à Diabolo infestaretur; ex quo populus tantò magis in sinistro suo judicio confirmatus, non modò illud non deposuit, sed auxit etiam; ita ut feminæ, uti rebantur, mendaci partim insultarent, partim etiam dicerent: Par esse, ut omnes ejus feminæ damno saperent, & nemo deinceps impiorum causam ageret. Præ alijs autem Juvenis quidam, qui aurium tenus obscænitatis luto immersus, capere non poterat, quòd alius mustelæ instar sine labe cum ejusmodi conditionis mulierculis commoraretur, cùm summo mane Vitalium obvium habuisset, tum ipsum ex infami prostibulo egredientem; Hæccine, inquit, cella est, ubi habitas, malè feriate Monache? Hine tui socij, quibuscumq; psalmos canis? & cum dicto insignem ei colaphum impegit. Tunc Vitalius, quàm sereno vultu nihil turbatus, tam luce supernâ illustratus: fili, respondit, pro colapho, quem mihi infregisti, intra breve tempus alium meo nomine accipies, sed tantò sonantiorem, ut tota Alexandria ejus sonum sit perceptura. Eventus Vatem probavit, nam cùm juvenis ille paulò post plateam inambularet, Dæmon formam nigerrimi Æthiopis mentitus comparuit, ejúsque lateri appropians alapam ei inflixit tanto robore, ut sonitus ad teli jactum exaudiretur, cum dicto: Hic est ille colaphus, quem tibi Abbas Vitalius mittit in vicem illius, quem à te accepit. Mox Juvenis velut exanimis humi provolutus, ore spumas evomere, toto corpore agitari, furere, sic ut jam sui compos non

esset. Ubi ad se redijt, dolens agnovit admissi à se facinoris indignitatem & ad veniam obtinendam, magnâ populi multitudine stipatus, viri Sancti domum petijt. At ecce! cùm fores recludunt; vident eum recens defunctum, orantis habitu, flexis poplitibus, & manu utraque in cælum porrecta, eo ipso situ, quo noctes totas pervigil in infamium mulierculatum ædibus traducebat. Humi autem non sine insigni miraculo hæc verba insculpta legebantur: *Viri Alexandrini, nolite ante tempus aliquid judicare, quoad usque veniat Dominus.* Hoc tam prodigioso testimonio commoti omnes Virum Sanctum magno cum honore tumulo intulerunt: feminæ verò obtentâ jam loquendi veniâ miris laudibus Viri integritatem deprædicârunt, contestatæ, se eam hactenus aperire non potuisse, religione præpeditas & minis, quas Vitalius loquacibus intentâsset. Sanctus denique Juvenem Dæmone liberavit, qui eum & percussérat simul & invaserat. Juvenis autem, Mundo valere jusso, illi se ergastulo inclusit, ad vitam pœnitendo finiendam, ex quo Vitalius prodierat ad suam in Lupanaribus transigendam.

In vit. PP. l. 1.

XIII. Ecce quàm procul sit Judicium Dei ab injurijs innocenti irrogandis, quas hominum judicia toties inferunt. Liceat mihi etiam hoc addere: si Deus non vult, ut quis alterum judicet siniſtrè etiam in casu, quo indicia haud obscura se offerunt, quantò magis illi displicebit, si quis alterum siniſtrè judicet, motus indicijs admodum tenuibus & levibus, uti plerúmque accidit? Videbatur in memorato eventu excusationem mereri, qui actionem professioni monasticæ tam adversantem (qualis erat illa non solùm conversatio, sed familiaritas & frequentia cum mulierculis perditissimæ famæ) sceleris arguebat. Et tamen, quia Vitalij virtus tam erat nota, ut etiam S. Joannes Patriarcha eam in dubium vocare non auderet, par non erat, ut ab hominibus inferioris conditionis, tantò minùs sapientibus, tam liberè condemnaretur. *Nolite ante tempus judicare.*

XIV. Verum tamen est, licet ijs, qui alijs regendis præfecti sunt, judicare concessum non sit, nequaquam tamen eosmet prohiberi, quo minùs provideant atque prospiciant. Atque ita, quæ est S. Thomæ doctrina, ubi de aliquo judicando agitur, semper illa, quæ sunt dubia, in partem meliorem accipere oportet: cùm verò de remedio providendum est, sive nobis, sive alijs adhibendo, ita procedendum videtur, quasi semper in deteriorem partem omnia acciperentur, ut scilicet secundùm sanæ prudentiæ regulas semper tutiora sectemur. Sic, exempli gratiâ, Mater quæpiam persuadere sibi debet, filiam suam castam esse, bene moratam, & famæ optimæ, dum argumentum aliud non habet; ex altera verò parte perinde invigilare debet, ac si alia omnia teneret, omnes gressus observando, omnes oculorum obtutus, colloquia omnia, non aliter, ac si nequissimam reputaret. Quæ pro-

S. Thom. 2. 2. q. 60. ar. 4. ad 3.

procedendi ratio nihil de judicio perverso, plurimum verò de cauta gubernatione habet. Et secundùm hanc regulam concedo vobis, ut non facilè quemquam illorum Juvenum vicinæ vestræ, qui tam bellè domos vestras circumeunt, furum ac prædonum numero habeatis, dummodo interim Vineam vestram bene firmâ sepe cingatis, ut etiam qui voluerit, nocere illi non possit.

XV. Jam ad propositum redeundo: magnam dico esse illam injuriam, quæ proximo infertur, dum sine justa causa sceleratus habetur: sed haud paulò major est, quâ Deus irritatur: ita ut S. Dorotheus ausus sit dicere; quòd vix aliud vitium sit, à quo Deus ita abhorreat, illudque ita abominetur, ac à temerario judicio; in cujus dicti confirmationem adducit omnes Eremi Patres sibi optimè notos: *Nil magis aversatur & abominatur Deus, quàm proximum judicare, ut præclarè asserunt omnes Patres nostri.* Et non sine ratione. Etenim temeritas ista plurimorum malorum origo, & insuper gravissima injuria est, quæ omnibus tribus SS. Trinitatis personis infertur. Mille quidem malorum origo est, cùm sit fons omnium detractionum magis vigentium & universalium, atque omnes plateas & fora inundantium. Vix hic aut ille sinistrum de proximo suo judicium formavit, illico etiam alteri cuicunque illud manifestare festinat. Ut sic de quibusdam illud dici possit, quod Plinius de Locustis scripsit, earum stridorem non è pectore, sed occipite provenire. Ita quorumdam garrulitas cerebro est connexa, ut quidquid per hoc adversùs proximum suum transit, illico sine respectu alijs enarrare velint. *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua.* Ipsum cogitare, loqui est, adeò apud nonnullos conjuncta sunt. Et quamvis hæc judicia nonnunquam proferantur, ceu suspiciones tantùm, addita protestatione, ijs fidem non adhiberi; magnum tamen inde malum generatur; quia ab audientibus nimis quàm facilè creduntur, ac facillimè etiam divulgantur: & licèt forsan in omnimodam diffamati denigrationem ista omnia non cedant; obfuscatur tamen bona ejus fama, non aliter, ac quæ fulmine quidem non omnino tanguntur, halitu tamen quodam afflata colorem suum amittunt. Cùm enim malignitas infractis jam viribus intima pervadere non possit, extima saltem inficit, & splendore suo spoliat. Pejus adhuc est, quòd ex hoc ipso fonte subinde oriantur rixæ, rancores, inimicitiæ, quin ipsa etiam homicidia non pauca; quæ omnia ex prima illa temerariè concepta, & pejùs inter alios sparsa suspicione promanant.

S. Thom. 2. 2. q. 60. ar. 4. ad 3.

S. Doroth. Serm. 6. — *Plin. l. 11. c. 29* — *Ps. 51. 4.* — *Albert. M. l. 3. Met. tr. 3. c. 22.*

XVI. Dixi insuper, Judicia isthæc singularem SS. Trinitati injuriam facere. Fundamentum hujus meæ assertionis audite. *Unus est Legislator & Judex, qui potest perdere & liberare,* ait S. Jacobus, *tu autem quis es, qui judicas proximum?* Deus ita unus est, ut Collegam habere non possit: *Unus est.* Et tamen, qui in partem officij judi-

Jac. 4. 13.

judicialis venire vult, Collegam ei se vult adjungere in officio Judicis, & nescio, an non etiam Legislatorem. Est hæc Superbia, Luciferi Superbiæ simillima: *Ascendam super altitudinem nubium*, fastuosus iste dixit, *similis ero Altissimo*. Simile quid dicere videtur, quicunque hominum corda penetrare (locum magis à nostro conspectu remotum, quàm ipsæ nubes sint) & ibi sicut Deus vult ferre sententiam de ijs, quæ fiunt. Quæ verò major esse temeritas possit? ait S. Bernardus: Pater Æternus, cùm sit Mundi Legislator, Judex etiam esse posset, non vult tamen Mundum judicare, sed munus hoc Filio suo cessit: *Pater non judicat quemquam*: & ego, pergit Sanctus, in munus, quod æternus Pater ultrò non exercet, involabo? *Et ego mihi assumam, quod nec ipse Pater assumit?* An in Creatura putidissima fingi audacia major possit? Et hæc de injuria in primam Personam designata; ad secundam transeamus. *Unus est Legislator & Judex.* Filius Dei est iste Judex, qui constitutus est Judex Vivorum & Mortuorum, hoc est, Proborum & Improborum: *Constitutus est Judex Vivorum & mortuorum.* Quantam non injuriam infert Divino Tribunali, qui officium judicandi sibi arrogare, & sedem Filio Dei reservatam occupare non veretur? Non multum ab hinc temporis effluxit, cùm nobilis quidam Eques, quòd Sellam regiam insedisset, vitâ factum illud suum luit. Quam igitur pœnam ac supplicium merebitur Arrogantia, quæ omni ferè horâ similes ausus in Dei filium attentat? Præsertim cùm, licèt hic Judex talis sit, qui in nullo suo judicio falli potest, juxta illud: *Si judico ego, judicium meum verum est*: tam modestè, támque benignè hac sua potestate utatur, ut ne quidem mulierem de adulterio jam convictam, condemnare velit. Cogitate itaque, an temeritatem & audaciam illorum toleraturus sit, qui summa cum facilitate alios, quandoque ne quidem reos, condemnare præsumunt? & hæc est injuria in secundam Personam commissa. Ad Tertiam veniamus. *Unus est Legislator & Judex, qui potest perdere & liberare.* Spiritus Sanctus, quamvis possit justè & punire & liberare, juxta arbitrium, mavult tamen, impellente infinitâ bonitate suâ, & ipse erga opera sua exercere misericordiam & pietatem infinitam, quàm supplicia & pœnas. Quàm igitur ingratum invisúmque ipsi erit, si Peccator, cujus esset pro peccatis suismet misericordiam implorare, semper in id incumbat, quomodo alium aut puniat, aut sententiam contra ipsum ferat, interpretando siniſtrè cogitationes, divinando de consilijs & animi decretis, dicta cavillando, & lacerando Christianam illam charitatem, cujus proprium est; nescire, facilè mala cogitare? *Charitas non cogitat malum*; utpote quæ instar pretiosæ aurifodinæ omnem etiam illam aquam reddit pretiosam, quæ per illius venas transit. Hæc arrogantia ita S. Spiritui displicet, ut inter omnia Mundi scelera nullum ita se reprehensurum, & speciali

Joan. 5. 22.

Epist. 41.

Jo. 7. 16.

speciali pœnâ castigaturum denuntiârit, ac iniqua hæc judicia : *Arguet mundum de Justitia & de Judicio.* Et sic illud S. Augustini effatum verificatur, dicentis : *Iudicandi temeritas* (quantumcunque multas turbas contra charitatem & commercium humanum excitet) *nulli plus nocet, quàm ipsi Judici.* Et hæc est injuria Spiritui Sancto illata, atque adeò totiSS. Trinitati, quæ, ut Sanctus quidam Monachus audivit, de cœlo clamat: *Tulerunt homines sibi judicium meum.*

Joan. 16. 8.

Serm. Dom. in Mont. l. 2. c. 6.

In Dictis PP. de Jud. Temp.

XVII. Quapropter verbis Apostoli superiùs allatis concludamus : *Tu quis es, qui judicas alienum servum*, Qui sumus nos, ut tantam in alios auctoritatem nobis arrogemus? *Quis te constituit Principem super nos?* forsan altioris, quàm proximus noster sit, conditionis sumus, an servi omnes ejusdem Domini? *Tu quis es* forsan tam nullius noxæ nobis conscij sumus, ut tempus nobis abundet, quo proximi potiùs debitorum numerum ineamus, quàm de nostris expungendis soliciti simus? *miser homo semetipsum ignorando vult agnoscere pariter & judicare cor proximorum*, dixit Deus ipse ad S. Catharinam Senensem, quasi ex illorum genere esset, qui de nocte acutiùs, quàm de die vident. *Melius noctu vident quàm interdiu.*

Bia log. 6. 93.

Gell. l. 9. c. 4. Noct. Attic.

XVIII. *Tu quis es, qui judicas?* Unde tua Jurisdictio, quâ judicium hoc jure ac meritò exerces, si totam Deus sibi reservavit? *Dei judicium est.* Ubi tua Scientia, dum vis, ut indicia & præsumptiones levissimæ pro innumeris testimonijs scripto consignatis sufficiant? *Incivile est, nisi tota lege perspecta, unicâ ejus particulâ proposità judicare.* Ubi denique Justitia; cùm toti simus in miseratione erga nos, toti in rigore versùs alios? ita ut duplici pondere in æstimatione interna appendamus, ac duplici ulna metiamur omnia, cum gravissima Dei indignatione, clamantis: *Pondus & pondus; mensura & mensura; utrumq; abominabile est apud Deum.* Non ita, Dilectissimi, deinceps agamus: *Non ergo amplius invicem judicemus.* Domino suo servum judicandum relinquamus: nam *Domino suo stat aut cadit.* Nos autem discamus nosmetipsos judicare, & malignam illam propensionem, quâ ad illa, quæ ad nos non pertinent, dijudicanda impellimur, in profectum nostrum & commodum convertamur. Nam si ullibi severitati & rigori locus est, est in nobismetipsis, factisque nostris dijudicandis: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

L. Incivile est. ff. de legibus.

Prov. 20. 10.

Rom. 14. 4.

1. Cor. 11. 31.

DIS-

DISCURSUS XXIX.

De Detractione.

I. SI ijdem Aphorismi proportione quadam locum habent in cura Animorum, quibus Ars Medica in curandis corporibus utitur, cogor hodie Detractoribus alienæ mali nuntij bajulus esse. Non dicam, quod de illorum salute desperem, dico tamen, malè eos habere, ac haud paulò deteriùs, quàm ipsi sibi persuadeant. Apud Medentes, Axiomatis instar obtinet, quòd in acutis præsertim morbis certissima signa ex linguæ habitudine colligi possint, ita ut hujus in manifestanda morbi naturâ fides certior sit, quàm arteriæ pulsus. Si in ore febri laborantis linguam conspicamini instar extincti carbonis nigram, & instar ardentis accensam; etiamsi Arteriæ pulsus aliud loqueretur, nolite ei fidem habere; linguæ potiùs credite; & parate ad sepulturam necessaria; Infirmus enim paulò post funus erit. *Lingua nigra & virulenta, calamitosissima.* Idipsum dicam in animorum vestrorum cura. Si arteriam quorumdam exploro, rectè se habet. Multi illorum frequentant Templa, jejunio subinde intra hebdomadam se macerant; publicè privatimque preces ad Deum fundunt. Rectè ista se habent. At si linguam maledicentiâ inflammatam, &, quod pejus est, nigram, toxicóque infectam respicio, timeo, ut quod res est fatear, occultam quandam & non facilè medicabilem malignitatem, quæ mortem, eámque æternam accersat. Quæso igitur, attentis hodie animis auribúsque adeste; etenim si non aliud, quàm mali hujus gravitatem intellexeritis, sola hæc remedij non parum efficacis loco esse posset.

Hipp. in Coac. Præn.

II. Optarem quidem omnem ab ore vestro maledicentiam, si tantum promittere mihi unquam possem, quàm longissimè in exilium amandare, præ cæteris tamen illam, quæ occultè famam proximo, si non tollit, minuit certè, & Detractio dicitur: fit ea duobus modis. Primò, quando ad nocendum famæ Proximi falsum spargitur: secundò, quando verum quidem dicitur, sed occultum; aut notum quidem, verùm exaggeratum & auctum; aut cùm in bonam partem accipi posset, detortum in sinistram. In primo peccatur graviùs, cùm malitiæ detractionis etiam mendacium accedat: in secundo non ita quidem graviter, magis tamen frequenter. Et ideò quia hoc malum admodum commune est, quod nullo negotio quilibet agnoscere in se ipso potest; hoc potissimùm hodierna Dissertatione petere constitui. Et

S. Th. 2.2. q. 73. ar. 1. ad 3.

ecce

ecce, dum me ad rem accingo, oculis sese meis ingens illa fera exhibet, quam S. Propheta Daniel in visionibus suis mysterio plenis spectabilem habuit, triplici terribilium dentium ordine armatam: & in hac plùs quàm in alia qualibet perfectam alienæ famæ detrahentis effigiem agnosco; qui haud dubiè fera est, cùm sit humani generis inimicus, & os habeat, quod non tantùm dentibus armatur ita exacutis, ut S. Spiritus eos gladios dicat: *Prov. 39. 24. Generatio, quæ pro dentibus gladios habet.* Sed insuper dentes hos triplici ordine ac serie dispositos, quibus simul eodémque momento tres omnino strages edat, stragem in Proximi absentis famâ, quam primò ante oculos ponam: stragem in animo Proximi præsentis, quam secundò; & stragem in ipsa Anima Detractoris, quam ut ceteris graviorem tertio loco persequar.

I.

III. Primò itaque Detractio famam devorat Proximi absentis, & sic uno bolo plùs consumit, quàm famosa illa Regina, quæ nobili suo hospiti in una margarita liquefacta plusquam dimidij millionis pretium bibendum propinavit. Nihil exaggero: *Prov. 22. 1. Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*: Magisque est æstimabile nomen Justi, quàm totius Mundi caducæ divitiæ, quæ & Justis, & Peccatoribus communes sunt. Fama inter bona exteriora magnum valde *S. Tho. 2. 2. q. 73. a. 2.* bonum est, ut docet S. Thomas, & ad commercium humanum virtutisque veræ studium summè necessarium. Quòd bonum valdè magnum sit, manifestum est, nam æstimatio vita quædam civilis est, & bonum hominis, ut homo est, & differt à belluis, proprium. Etenim belluæ, quamvis etiam ipsæ appetant suo modo excellere, néque opponant talem excellentiam impedientibus, non affectant tamen bonum nomen, ut affectat homo, & honorem inde redundantem. Imò si illa æstimatio, quâ rem quampiam Dominus prosequitur, custodit, pretium ei addit, dicere necessum est, quòd vita hæc Moralis, quâ inter homines cum quadam dignitate vivitur, vitam naturalem quadammodo adæquet, aut fortasse excedat: cùm magna hominum pars publicam infamiam magis, quàm ipsam mortem horreat. Deinde bonum famæ ad commerciũ humanum, & vitam cum virtute agendam summè necessarium est: per illud enim homo sit aptus ad omne genus negotij & officij, quod eum inter homines exercere oportet. Et, si nihil aliud præstaret, nunquam non frenum est, quo quis ab omnibus se cohibeat noxis, quæ eam aut perdunt, aut perdendæ periculo opponunt. *Fama facit idoneum ad officia humana, & præservat à peccatis.* Et quamvis Lex Christiana doceat, hominum æstimationem expetendam non esse, imò ne curandam quidem; id tamen sic accipiendum, ut vetet eam tanquã finem sectari: nam famæ ut medij cujusdam maximè ad virtutem exercendam necessarij rationem habere, est res laude dignissima, præsertim in eo, qui non soli sibi à communi con- *S. Thol. quod l. 10. art. 13.*

sortio abjunctus vivit, sed etiam alijs: unde honor justè æstimatur, nihil, quo perdatur, mali operando; justè etiam contemnitur, nihil, quo obtineatur, mali operando.

IV. Ex quibus omnibus, nullo negotio colligere licet, quanto damno Detractor proximum absentem afficiat, cùm suam ei famam devorat. Damnum certè tam magnum est, ut in comparationem cum homicidio veniat, licèt illud non exæquet: *Qui occidit fratrem suum, & qui detrahit ei, pariter homicidæ esse monstrantur.* Et hoc ferme significare vult sacer Textus, cùm modò novaculam, modò sagittam, modò gladium vocat, ad denotandas scilicet luculentas illas plagas, quas cordi proximi & bono ejus nomini infligit. Imò si lingua Detractoris se sola non pertingit ad proximum etiam vitâ naturali privandum, alijs tamen perfrequenter ensem in manus porrigit, cùm magna cruentarum rixarum, ac jurgiorum pars primam suam originem ex detractionibus habeat. Unde si observetur, quod res est, in istis privatis pugnis plerumque lingua tuba est, quæ ad illas provocet animétque.

d. 1. de Pœnit. c. homicidiorũ

V. Unde etiam credo, quòd, quoties hi detractores os aperiunt ad nocendum alienæ famæ, nunquam id faciant sine peculiari & proxima mali Dæmonis ope, qui paratissimus est ad linguam calore quodam stygio accendendam, ut audaciore verbulò funesta prorsus incendia excitentur: & hæc est illa *lingua inflammata à gehenna.* Et qui illam ut talem melius nôsse vult, solertiam attendat, & artes nequissimas, quibus proximi famæ, quantumvis crassæ, in alijs omnibus negotijs, Minervæ homines, nocere sciunt.

Jac. 3. 6

VI. Ut metam certius tangant, à longè non rarò, imò ab opposito ordiuntur, nimirum à laudibus. Sed Deus vos protegat: cùm Piscator oleum aquæ superfundit, argumento id est, quod Tridente certò ferire satagat. Exordiuntur sermonem, quòd nescio quæ, reverâ domus suæ curam habeat, prompta sit, provida, supra feminam sapiat in gerendis suis negotijs; majori tamen laude digna futura, si oculos ad rem alienam non adjiceret. Advertite, quod linguæ genus! An non leoninæ, quarum bestiarum lingua tam non est lenis, ut etiam dum lambendo blandiuntur, sanguinem eliciant? Puellam quandam laudant, sed mox addunt ejusmodi correctionem, ut melius miseræ forer, à laudatoribus istis suis fuisse maledictis, quàm præconijs impetitam. Referunt de quibusdam veneficis, quòd solis laudibus infantes fascinent. O bellam infantulum, quem brachijs tenetis! quàm est vegetus, quàm hilaris, quàm vivax! Vix ista dicuntur, cùm miser infans malè habere incipit, languet, deficit, ac sicut virgula ex aromatibus confecta, consumitur, absque eo, quòd sciatur, quomodo ardeat. Similem prorsus artem suis encomijs fascinandi Detrahentes invenêre, quâ plus sæpe uruntur,

Olaus M. l. c. 1.

tur, eâ efficaciâ, ut nulli contra illam exorcismi valeant.

VII. Aliàs tanquam miserantes telam suam ordiuntur, & cùm minimè timetur, crudeliate finiunt. Displicere sibi ajunt, quòd homo tantæ familiæ, insigniúmque dotium ac facultatum, quem tanto cæteroquin amore prosequerentur, hoc & illo vitiorum genere se obstringendo, sibi suisque tam turpem noram inurat. *Ælian. l. 4. c. 36.* Serpentem quendam rerum naturalium Scriptores referunt, capite candido, qui dentes non habeat, spumam ore tam malignam, versare, ut insanabili plaga inficiat, quemcunque aspersérit. Serpentes hujusmodi sunt Detractores: videntur bonæ mentis esse, simplices, sinceri, adeò, ut, cùm loquuntur, nonnisi ex ardenti Zelo loquantur, nec dentes, quibus mordeant, habere censeantur. Sed nequis accedat propiùs! quia spuma, quam è labris ejiciunt; dentium vicem supplet, & nimium quantum lethifera est. *Serm. 24. in Cant.* *Videas*, ait S. Bernardus, *vultu mœsto, emiti maledictionem, tanto persuasibiliorem, quantò creditur magis condolenti affectu, quàm malitiosè proferri.*

VIII. Nec minori postmodum artificio utuntur in augendis, & amplificandis aliorum culpis. *Os tuum abundavit malitia*, ait Propheta, vel, ut alij ex Hebræo legunt; *in ære tuo crevit malitia*, sicut in quibusdam speculis singulari arte factis objectum crescit, ita ut tantillus culex instar aquilæ appareat. Maria Soror Moysis cognatam suam per contemptum appellavit Æthiopissam: non quòd hæc reipsâ talis esset, sed quia inter Madianitas prognata ab æthiopum confinibus veniebat, Ita voces earúmque significandi vim detractores confundunt; vocant feminam illam procacem, quæ vivacior aliquanto est; aliam appellant adulteram, quam nonnisi petulantiùs risisse, aut donum aliquod occultè admisisse viderunt. Quòd si etiam semel fortè lapsa est, ex facto unico vitam omnem judicant, ac obstinatè contendunt, præsumptionem contra illam stare, quâ fiat, ut jure semper mala censeatur, quæ semel talis ab ipsis deprehensa est. *semel malus, semper præsumitur malus.* Artificium equidem hoc illorum est, quod, ut ad id, quod innuebam, reverta mur, jure credi potest ab assistente ipsis dæmone suggestum fuisse: ab illo, dico, qui Evæ in Paradiso terrestri facundiâ suâ ipsum potuit Deum suspectum reddere, unâ eadémque operâ insimulando illum immoderati rigoris in præcipiendo, invidiæ in præcipiendi causa, & falsitatis in minis mortis obeundæ.

IX. Quòd si etiam scire aveatis, quare ejusmodi homines tot semper in detrahendo artibus studeant, id inde fieri assero; quòd hæc sit natura & indoles detrahentium; nocere occultè. Non aperto Marte adversarium suum aggrediuntur, ut contumelioši, sed ex abscondito; ut omnino eos se demonstrent, qui reverâ sunt, Proditores inquam; sæpius enim ad sidera usque præsentem ali-

quem & audientem laudibus attollent: mox autem ac ille tergum obverterit, peſſimis illum modis traducent, & Aſpidum inſtar calcaneum admordebunt. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minùs habet, qui occultè detrahit.* Ex quo ipſo nemo non videt, quanta in famam proximi ſtrages reſulet. Contumelia retorqueri poteſt à recipiente in inferentem; is cui honor detrahitur, plerumque nec in authoris notitiam venire poteſt. Famæ ſuæ diminutionem etiam viri in Republica Principes ferant neceſſe eſt, quantumvis à viliſſimo ſubinde ſcurra proveniat.

Eccl. 10.

II.

X. Et ecce damna, quæ Proximus abſens à Detrahentibus de fama patitur. Sed levia ſunt iſta, ſi conferantur detrimentis, quæ Proximo præſenti & audienti in animo inferunt, atque hæc duplicis ſunt generis; directa alia, ut loquimur, alia indirecta. Indirecta, teſte S. Chryſoſtomo, ſunt illa, quòd hac ratione famæ alienæ fures faciant, ut omne delictum evadat ſcandaloſum, ſitque alijs offendiculo. Ipſi enim ſunt, qui ipſum illud non magnum malum, quod tamdiu occultum latuerat, in lucem & publicum protrahunt. Hinc eſt, quòd lepra illa, quæ intra veſtes recondita nemini niſi infirmo nocebat, in quo nata erat, manifeſtata & à pluribus contrectata ita contagioſa evadat, ut paulatim ac ſenſim totam Provinciam inficiat. Videntur vitium perſequi, qui eo infectos traducunt; ſed, ſi ſuis res momentis libretur, non ita eſt; potiùs enim hac ratione pudor tollitur, qui unicus eſt obex, quo minus impietas alveo egreſſa latè omnia inundet. Mulier illa, quæ vicinorum delicta recenſere audit, ſecum muſſitat: Res igitur tanta non eſt, peccare, uti mihi imaginor; nec caſus adeò rarus eſt, peccâſſe: & hac ratione delicta ſua hactenus commiſſa pro levibus habet, ac novum animum concipit, ad ſimilia deinceps perperranda. Qui in occulto peccat, minùs peccat, ait S. Thomas: huic etiam Jura conſentiunt, cùm volunt, ut ſeveriùs longè caſtigentur, quæ intra mœnia urbis, quàm quæ extra, delicta committuntur. Jam Detrahentium ſcelere fit, ut non ſolùm affirmari poſſit, cunctos palàm delinquere, ſed delinquere, ubi frequentiſſimus eſt populus, ipſis in foris ac compitis; neque enim ullum jam delictum tam occultum eſt, ut illuc velut ad ſpectaculum non deferatur: & quia nihil eſt faciliùs quàm imitari, pauca committuntur ſcelera, quæ non tranſeant in exempla, inexplicabili morum corruptelâ.

S. Tho. 3. p. q. 84. a. 8. ad 1. l. Prætor. §. tra. cem. & l. ſedet §. ſedet ff. de In. jurijs.

XI. Alterum damnum, quod Detractores Audientibus accerſunt, eſt magis directum, cùm facillimo labore eos inducunt ad delectationem ex auditâ Detractione capiendam, & ad pariter detrahendum. Detractio ſe ipsâ eſt cibus quidam ſapidiſſimus Detrahentium palato, non ſolùm ob illam communem oblectationem, quam nemo non habet in dictis ſuis: *lætatur homo in ſententia oris ſui*: ſed etiam ob delectationem quandam peculia-

Prov. 15. 23.

culiarem. Qui enim alios vituperat, se gradu quasi superiorem ipsi constituit, & tanquam eorum Judicem: id quod est tacita quædam contestatio, se ab illo malo, quod in altero criminatur, esse penitus immunem; unde tantò etiam ampliùs in se ipso sibi complacet, ob excellentiam illam suam à se, detrahendo alijs, stabilitam, & alienis ruinis altiùs erectam. Exigua igitur invitatione & incitatione opus est, ut circumstantes hujusmodi cibi desiderium & famem concipiant, haud aliter, ac in illis, qui mensam opiparè instructam contuentur, facilè orexis excitatur, nec ulla in accumbendo mora est: *sedens adversus fratrem tuum loquebaris & adversus filium matris tua ponebas scandalum.* Pessimum est, quòd ad mensam istam, quò plus avidè devoratur, eò ampliùs crescat voluptas: imò tantò etiam magis crescunt ipsæ dapes, cùm quilibet de suo ferculum unum addat, referendo novum aliquem eventum alijs ignotum: & arborem in terram dejectam velut per otium plures in partes diffindendo; cùm pieras postularet, ut prolapsam potiùs denuo erigeret. Unde D. Bernardi fuit sententia, quòd inter Detrahentes & detractionem audientes hoc interesit: quòd, qui detrahit, Diabolum suum in lingua habeat; qui audit, in auribus: id quod sic accipiendum est, quando, qui audit, Detractione delectatur ex odio versùs Proximum concepto; aut quando absque isto odio Detractorē ad porrò detrahendum incitat, aut cùm potest, illi non resistit.

S. Tho. 3. p. q. 84. a. 6. ad 1. l. Præm. §. tra. cem. & l. sedet §. sedet ff. de iu. juris.

Ps. 49. 20.

Serm. de trip. cust. ling.

S. Th. 2. 2. q. 63. ar. 4.

XII. Oportet igitur, antequam ad alia transeam, vos docere adjurationem quandam admodum efficacem, quâ maledictum hunc Dæmonem ab auribus vestris, si fortè intrâsset, expellatis, atque etiam aditum, ne ingrediatur, occludatis. Inprimis igitur fidem tot honoris alieni detractionibus nullam adhibete. An vobis æquum videtur, testes nullo prævio examine admitti? reum inauditum condemnari? imò ne interrogatum quidem, aut rei statu ullatenus investigato? Quodsi fortè facere non potestis, quò minùs dictis assentiamini, saltem nemini cuiquam illa revelate, non domesticis domi, non amicis aut conjunctis foris. Quàm stultè se purgant, qui dicunt: *detraxi, sed primus non fui, qui rem vulgaret; ex alijs intellexi, uni soli aperui, arcani fide petita.* Nemini, ne uni quidem, sic audita revelanda sunt. *Audisti verbum adversùs proximū tuum,* ait Spiritus S. *commoriatur in te;* absque eo, quòd ad animum cujusquam alterius propages. *Commoriatur in te.* Hinc Dei præceptum est, ut fungi purgatorum in Templo illo suo luminum non solùm in destinata ex auro purissimo vasa conjicerentur, sed quamprimùm etiam extinguerentur, ut ne quē teter inde odor afflaret; docens hoc paradigmate, prava exempla omnia celanda & tegenda esse. Sed surdis propè ista canuntur. Quàm pauci enim sunt, quos vel religio, vel prudentia, ad hujus documenti

Eccli. 19. 10.

Exod. 37. 23.

executionem impellat? *A facie verbi parturit fatuus.* Vix ad nescio quem rumor aliquid persulit, quod alterius famæ notam inurat, cùm parturientis instar stare nescius, horam quamlibet millenas reputat, dum conceptum animi fœtum pariat; & mirum quantum affligitur, dum inveniat, cui arcanum revelet. *A facie verbi parturit fatuus.*

XIII. Non sufficit etiam ad se purgandum: *Audivi hæc referri ab alijs, primus non fui*: non sufficit, inquam, quia, ut initio ostendi, fama læditur, etiam cùm vera, sed eatenus ignota, recensetur. Etiam qui deliquit, etiamsi, ut ita dicam, dominium famæ suæ amiserit, justè tamen ejusdem retinet possessionem. quia publica delicti hujus ignoratio facit, ut pro innocente, uti antehac, habendus sit. Antiqui Spartani, cùm in aciem campúmque prodibant, rubris se vestibus induebant, ne cruor vulnus acceptum manifestaret, Nunc omnibus jus istud competit, quàm diu vivunt, ut noxis suis occultatis sani videantur, licèt luculenta sub veste plaga copioso sanguine manet. Vos proinde, qui illam notatam aliorum oculis spectandam exhiberis, nullâ prudenti causâ impulsi, rei estis illius pudoris, quo miser suffunditur, qui ipse sibi, nemine alio conscio, mederi poterat, & sanari.

XIV. Imò si quod delictum aliquando fuit publicum, subinde autem aut morâ temporis oblivioni traditum, aut vitæ emendatione redintegratâ famâ velut sepultum; haud sanè levis noxa erit de illo denuo sermones miscere, & nescientibus manifestare. Et verò ea re non Charitas solùm, sed & Justitia lædetur; cùm fama, quam proximus annorum beneficio, & ope emendationis suæ receperat, auferatur. Neque tamen hoc ipso prohibemur, noxam etiam gravem alterius manifestare, si id non nocendi animo, sed aut consilij exquirendi, aut dandi gratiâ, aut etiam studio impediendi damnum, quod ex delicto, si occultum maneret, in bonum publicum, aut privatũ redundare potest, fiat. Licèt ea in re admodum cautè procedendum sit; & sicut, chirurgus plagam latiùs non aperit, quàm ejus persanandæ necessitas exigat, ut, qui non augere vulnus & periculum, sed sanitatem restituere intendat; ità & aliena delicta manifestare plùs non oportet, quàm mali impediendi ratio expoſcat, cùm hujusmodi manifestatio non ad criminis conscientiam propagandam, sed ad nata inde damna reparanda referatur. *Licet vicini luminibus officere, si ei servitutem non debemus.* Ita Lex, quâ docemur, non semper injuriâ fieri, quod aliàs jure veritum est & interdictum. *L. cum eo ff. de servit. urb.*

XV. Postremum, quod ijs, qui alienæ famæ detrahentes audiunt, suggerere possum, documentum est; eos vel non audire, vel saltem nunquam libenter audire. Ipsius Divini Spiritûs insignis ac præclara hæc doctrina est, perquàm idonea adversùs Detractiones, ut aures nostras spinis sepiamus: *sepi aures tuas spinis*; *linguam nequam noli audire.* Non jubet, ut lin- *Eccli. 28. 28.*

linguam noſtram ſepe cingamus, ne alijs narret, quæ audivit mala: neque enim iſtud ſufficit: jubet, ut etiam aures ſepiamus, ne illa audiamus. Fit autem iſtud, cùm vel detrahenti opportunè aurem vellicamus, hortamúrque, ut ab ejusmodi rerum enarratione deſiſtat; id quod tum maximè locum habet, cùm aliquid in loquentem authoritatis nobis competit; aut cùm id ſolerter agimus, ut aliò ſermonem convertamus, propoſitâ dextrè in medium de re, aut negotio alio quæſtione; quæ fuit laudatiſſima ſolertia magni illius *Staplet.* Thomæ Mori, & vitâ ex virtute actâ *in Vita.* & morte conſtantiſſimè obitâ laudatiſſimi. Saltem defigendi ſunt in ſolum oculi, & non diſſimulandum, quòd ſtomachum nobis moveat narratio non cum Juſtitia minùs, quàm *Prov.* Charitate pugnans. *Ventus Aquilo* 25. 23. *diſſipat pluvias & facies triſtis linguam detrahentem.* Quapropter, ut nemo merces, quas ſcit ingratas eſſe, & emi à nemine, venum exponit; ita nemo perget alienas noxas propalare, ubi noverit ſe audientibus moleſtum eſſe. Sic ad rem belliſſimè reſpondit vir ſapiens narranti, audiviſſe ſe ab inimico illius dici ſanè quàm atrocia: Non ita liberè, ajebat, alter in famam meam graſſatus eſſet, niſi tu illi & aure & vultu placido auſcultâſſes: quare ſi quid peccatum eſt, à te peccatum eſt. Scribunt de *Ariſt. l.* Delphino Philoſophi, quòd audiat, etſi audire non videatur, pro- *2. hiſt.* pterea quòd hujus ſenſus organum *ani. c.* nuſpiam appareat. Idem faciat o- 11. porter, quisquis detrahentes impedire authoritate non poteſt: oportet, ut, etſi audit, ſe tamen audire diſſimulet: non aupplaudat, non ſubrideat, aut annutu probet, non quovis alio ſigno prodat, placere ſibi, quæ narrantur. Sic amicè cum Sanctiſſimo Pſalte perſequemur Detrahentes: *Detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequebar.* Aut ſaltem providè agemus, ne nobis ea Detractio poſſit imputari. *Cum Detractoribus ne commiſceare,* quantumvis cereroquin inter eos aſſiduè nobis eſſet vivendum. Verùm ſi vel hominis offendendi metus, vel quævis alia ſimilis cauſa nos ab ejusmodi actione, quâ reſiſtamus Detrahenti, impediat, tum enim verò & loquens & audiens tam ſe ejusdem noxæ reos conſtituunt, ut Meliſſuus Doctor ignoret, quis magis delinquat. *Detrahere, aut Detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, non facilè dixerim.* *Pſ.* 105. 5. *Prov.* 24. 21. *Lib. 2. de Conſid. ad Eug.*

XVI. Obſervate, quot cautionibus ac proviſionibus ſit opus, nequid detrimenti capiat bonum & tam ingens, & tam delicatum, quantum eſt, bonum Proximi nomen & exiſtimatio; & capite tandem, quantum humano generi Detrahentium linguæ noceant, dum & famam abſentium, & animos præſentium eo loco, quo illæ peccant, tam graviter lædunt. Quamquam quod hactenus à me allatum eſt, comparatione eorum, quæ dicenda reſtant, aut nihil, aut certè parum eſt. Os detrahentis os Viperæ eſt: *Plena veneno mortifero.* Non tamen imitatur piperas interficiendo: hæ enim non ſe, ſed alios; at illud ſe magis, quàm alios veneno inficit. *Cuſtodite* *Jac.* 3. 8.

vos

vos à murmuratione, & à detractione
Sap. 1. v. 11. *parcite linguæ.* Magnus omnino animæ hostis est lingua detrahens; ab hac próinde tutos vos securósque reddite, clamat Sapiens, vigili omnia oculo observate, constituite receptus, aggeres erigite: *custodite vos.* Et si nec Proximi existimatio, nec ejus animus vobis curæ cordique sunt, vestram saltem rem, vestram salutem, quæ non minùs periclitatur, non negligite: *à detractione parcite linguæ* hic. *à detractione linguæ parcite vobis.*

ita Hugo hic.

XVII. Periculoso omninò loco sunt res Detrahentium & ob morbi ipsius, sanè quàm maligni, indolem, & ob remedij difficultatem. Primò peccata, quibus proximus læditur, metiri solemus damno majore aut minore, quod inferunt: hoc enim ex detrimento fit, ut in peccatis censeantur. Quod cùm ita sit, quis explicet, quàm grave sit delictum suâmet naturâ Detractio, quia, ut diximus, Proximum privat vitâ morali, quam multi non minoris, aliqui etiam pluris faciunt, quàm vitam naturalem? Nec id immeritò, adstipulante Lege; propterea quòd vita naturalis paucorum annorum periodo definita sit; existimationis autem & famæ vitâ æternùm vivere videamur. *Per bonam famam homo vivit in æternum.*

S. Tho. 2. 2. q. 73. a. 3.

XVIII. Nec satis ac pro merito Existimatio ponderatur, dum ut bonum particulare attenditur. Necesse est illam contemplari ut bonum quoddam universale, quod ad omne aliud genus bonorum acquirendum serviat. Pavo ubi illam tot illustrem coloribus, quâ explicatâ unicè superbit, caudæ appendicem amiserit, se ipsum erubescens in gallinarij angulo latere cogitur. Eadem non paucorum infelicium mortalium sors est, qui ob famæ jacturam, quam passi sunt, miseram trahere vitam debent, ab aliorum consortio excluſi, prohibitique officijs ac muneribus non utilibus minùs, quàm splendidis, quibus ceteroquin administrandis idoneos bonum nomen fecisset, quæque jure quo qui optimo sperare potuissent.

XIX. Nascitur præterea hæc alieno nomini nocendi sitis ex febri interna, & humorum, motorum ac perturbatorum, dissensione longè gravissima. Crebrò enim animus Detrahentium incenditur odio intestino erga Proximum: ex quo fit, ut cùm illi manu & armis vindicare se nequeant, linguam arment, & tacitâ quidem ac surdâ, sed non minùs acri vindictâ, se ulciscantur. Aliàs Livor & Invidia, quæ cor exedunt, linguæ suggerunt verba maledica. Ex hinc Angelicus Doctor Detractionem non Iræ, quæ contumeliosis verbis præsentes lacessit, sed Invidiæ filiam agnoscit, quæ etsi omnibus quidem modis nocere cupiat, præcipuè tamen damnis occultè illatis lætatur.

XX. Aliàs ad detrahendum impellit mera nequitia, & pessima bonum aliorum statum evertendi, virtuti æstimationem auferendi, aut scandala ac animorum alienationes passim seminandi voluntas; eventu destinatis plus sæpe respondente. Fœtore lucernæ malè extinctæ plures prægnantes

tes abortiêrunt: haud paulò sæpiùs, personæ, quæ sancta melioris vitæ proposita conceperant, jam virtutum semitam ingressæ, retrò abeunt, mutant decreta, ad id impulsæ pestilentis cujuspiam linguæ dicterijs, sinistris sermonibus, calumniis adversùs æstimationem de ipsis conceptam sparsis.

*Ps.*118. *Redime me à calumnijs hominum*, ajebat David, *ut custodiam mandata tua*, tam durum est etiam virtutem & honestatem amantibus perversas inter linguas divinis præceptis adimplendis studere.

XXI. Et hi fermè Detractionis fontes sunt: ubi verò illa è nullo eorum oritur, ex summâ certè salutis nostræ procurandæ negligentiâ scaturit. Cùm calor naturalis extimas corporis partes nimium accendit, interiores frigere necesse est. Par est eorum conditio, qui toti in discutiendis & inquirendis factis alienis, sui curam suorúmque commodorum negligunt; non plorant mortuos suos, suas inquam noxas, qui toti sunt in deplorandis aliorum funeribus; rectiùs dixissem, totos in eo esse, ut fingant se aliorum morti illacrymari. Hinc observare licet, non alios fermè magis Detractionis vitio infames esse, quàm quorum mores ipsi mali sunt; quos inter primum locum Lascivi sibi vendicant; sive quia facilè sibi persuadent, alios laborare miseriis, quibus ipsi tam infeliciter premuntur, sive quia solatio ipsis est, morbum, quo laborant, plurimos infecisse, ut sic in turbâ plurium ægrorum faciliùs lateant. *In populo magno non agnoscar.*

Eccli. 16.17.

XXII. Sed qui vivis non parcunt, utinam mortuos saltem præterirent! verùm nec hoc quidem sperare licet. Leo, si belluam occisam offendat, ubi obtutu eam delibavit, intactam dein præterit. Quidni idem facere possent immanes istæ belluæ Detractores? Alia omnia: nec mortuis abstinent; etiam ossa eorum perversâ suâ linguâ inquietant, nec ijs delictis intactis, quibus condignâ satisfactione expiatis jam Divina forsan ignovit Justitia: atque hinc continget, ut perfrictæ isti frontis mortales sæpius non dubitent ad suum examen & tribunal vocare ut reos, qui pridem felices in Cælo triumphant. Qui impositam sepulchro statuam violare præsumit, violari sepulchri reus constituitur. Si Lex hæc in re nostrâ obtinet, nos proportione quadam asserere poterimus, quòd, qui Mortuos offendit, evertendo simulacrum illud, quod vitæ integræ & inculpatæ æstimatio erexerat, in Posterorum animis, damnari debeat ut reus violatæ pacis, quâ ceteroquin mortui in tumulis suis gaudent.

l. sepulchra ff. de sepul. viol.

XXIII. Quid jam vobis videtur, an malignus est detrahentiũ morbus? & quamquam hoc me terret, magis tamen cohorresco, dum observo, morbum etiam esse vulgatum. *Hoc opus eorum, qui detrahebant mihi*; Psalmis Regij verba sunt. Hoc est ŏpus hominum otiosorum, quorum tantus est numerus, à primo diluculo in serum vesperum alienam famam arrodere. Sive per plateas obambulent, sive sub porticibus consideant, sive ad officinarum Januas subsistant, ubique

Ps. 108. 20.

bique fœda maledictæ ſuæ & inhumanæ linguæ veſtigia, velut ſordidas oris ſpumas relinquunt. *Opus eorum*, Qui aliàs nec trium vocalarum periodum aptè texere nôrunt, horas integras de aliorum erratis etiam non ſine acumine diſſerunt. Ranis illis perſimiles, quæ non, niſi ad coaxandum vocem habent, nec alium ſanguinem, quam qui oculos circumdat: quidquid in ipſis eſt virium ac facultatum animi, totum impendunt in judicio de aliorum factis ferendo; & quidquid vocis, in ijs ſubinde enarrandis: non majoribus, non æqualibus, non inferioribus parcitur, ſed omnes nullo reſpectu offenduntur. *Poſuerunt in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſivit in terrâ.* Sacrum, & profanum ordinem, Dominos, Servos, Principes, Plebem infimam, Virgines, Conjugatos, quidquid cælum & terras inter eſt, id omne ſibi pro ſcopo ſagittarum ſuarum præfigunt.

Pſ. 72. 9.

XXIV. Ecquis jam erit, cui & voluntas & facultas ſupperat tantæ ſtragis reparandæ & reſarciendæ? & tamen niſi illâ reparatâ ſpes veniæ à Deo conſequendæ nulla eſt. Hîc quoque locum habet tritum illud: *Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Interim reparatio & reſtitutio hæc difficultates patitur graviſſimas. Earum prima eſt, quòd perquam arduum ſit damnum illatum agnoſcere, illúdque juſtâ menſurâ æſtimare. Furem cogitate, qui frumentum molendino inferendum auferat: hîc plus ſatis novit, quantum ſit, quod abſtulit. At ſi fur idem auferat frumentum, quod ut ſemen terræ committendum erat, damni illati magnitudinem æſtimare neſcit; quia eum latet, quantum ex eo ſemine frugum tellus meſſis tempore fuiſſet reddiura. Pari modò dicam & ego, quòd nulla eſſe poſſit juſta æſtimatio damni à linguâ detrahente facti: ſolus illud Deus æquâ menſura ponderat. Peccavit Puella aliqua; ſed latet factum: unde illa nubere poteſt & conjugio illigari tam honeſto, ſibíque optato, quàm ſi virgineum pudorem illibatum thalamo inferret. Interim audaculus quispiam Puellæ delictum vulgat: cùm ecce evaneſcit omnis Matrimonij honorati ſpes, & miſella, ut vitis ulmi fulcro deſtituta, humi ſerpere cogitur omnium pedibus conculcanda, niſi fortè etiam reliquum vitæ in fœdi alicujus lupanaris ſordibus traducat. Quis in eventu ejusmodi ſatis æſtimet detrimentum miſerrimæ huic puellæ linguæ detrahentis maleficio illatum? Latebit ejusmodi damni magnitudo, dum illud Sol divinus revelet, qui nos judicaturus omnes noſtras tenebras admirandis ſuis ſplendoribus illuſtrabit.

XXV. Altera difficultas in dolore ſerio de famâ ablatâ concipiendo, & voluntate efficaci malo, quoad ejus fieri poteſt, medendi conſiſtit? quia abſque his pro damno illato haud quaquam ſit ſatis. Detractorum enim haud pauci fallendi temporis gratiâ de aliis detrahunt: & quemadmodum Nero Romam animi causâ incendit, cytharámque manu tenens immanis incendij ſpectaculo,

cur-

cutæ & timoris omnis expers, se oblectabat; sic ipsi ad relaxandam nonnihil fessam scilicet mentem faces alienæ famæ admovent, & quando subinde erumpentem luculentam flammam vident depasci integram familiam, Religiosum Claustrum, aut quemlibet plurium cœtum, hilares & minimè auxij assistunt spectaculo tam funesto, pro eo, quòd omnem, quam possunt, operam restinguendo incendio adhibere deberent. Pro Sacro Tribunali ita se purgant; quòd non possint à Detractionibus abstinere, ob inveteratam assuetudinem: quòd intendant differendo tempus fallere, non cujusquam famæ nocere. *Firmaverunt sibi sermonem nequam*: sic animos sibi addunt ad loquendum, sicut eatenus locuti sunt, cum tanto aliorum dispendio, pro eo, quòd seritò corrigere se statuant & admissorum veniam supplices petere, Quis jam sibi persuadeat, paratos ad compensanda detrimenta illata, qui ne quidem ab inferendis deinceps abstinere se posse existimant? Audite, quæ cum ejusmodi farinæ homine gesta sunt, Vir equestris ordinis, eorum ex numero, quibus familiæ & natalium splendor ad id unum deservit, ut tanto clariùs eorum delicta cernantur, coram pluribus jactare se ausus est (mentiebatur autem splendidè) se nobilem Matronam in casum impulisse. Visum tamen est illi hoc peccatum Pœnitentiæ Sacramento eluere: elegit autem arbitrum in sacro illo foro P. Alphonsum de Castro è familiâ Minorum D. Francisci, virum ingenij sui monumentis Orbi notissimum: eique, quid peccâsset, exposuit. Alphonus auditâ, quam diximus, injustâ Matronæ innocentis diffamatione, & nullo præterea delicto, surrexit de sede, sic eum allocutus: Domine, reprobus es: facessse, facesse nil tibi Confessio proderit: & cum dicto se subduxit, relicto Equite, quem res insolita non parum consternaverat, & ad desperationem propè adegerat. Spe tamen erectus apud alium sacrum Judicem plus aut patientiæ, aut benignitatis inveniendi Patri Victoriæ è D. Dominici sodalitio reum se sistit, quem virum non minor, quàm Castrum, eruditio, aliæque dotes commendabant. Huic ante omnia non tam morbum suum, quàm Medici, quem erga se crudum inhumanúmque esset expertus, in curando imperitiam aperuit. Animos imprimis pœnitenti Victoria addidit, Alphonsi agendi modo, quàm potuit, benignè excusato. Tum demum Eques suâ de caluminâ se accusavit. Ad hæc Victoria: Necesse est, vir nobilissime, ut dicta retractes, coram ijs maximè, quibus audientibus Matronæ honestissimæ adeò fœdè detraxisti. Egóne retractem? Respondit Eques: hoc fieri nequit absque gravi æstimationis meæ honorisque jacturâ. An jubes, Pater, ut ego me mendacem palàm profitear? His auditis Victoria totum se convertit ad persuadendum homini, nullam esse in virtute exercendâ infamiam, nisi apud insanos, aut deliros: & quanquam aliquâ

Ps. 63. 6.

Menoch. p. 4. c. 26.

fortassis infamiæ notâ inde inureretur, oportere eam rem æquo animo ferre, & infamiam sibi justè debitam postponere infamiæ, quâ ipse Innocentem planè, nihilque tale commeritam nullo jure aspersisset. Ita rationem morbi postulare, ut ubi conteratur scorpio, quâ parte ferijt, siquidem sanitas seriò quæratur. Sed observate jam Detrahentium indolem. Eques non cedere rationum momentis, non authoritatem pili facere, non quidquam salutare ad animum admittere. Quare Victoria è sacro tribunali assurgens: sapienter, inquit, egit Alphonsus, quòd audire te recusavit? præ me ille sapit, qui morbi tui naturam principio statim agnovit, quam ego sub finem denique perspexi: Ita est, Reprobus es, non Confessione, non alio porro remedio emendandus. Quibus dictis & ipse Equiti tergum obvertit, fessus tam seriâ, sed irritâ hortatione.

XXVI. Atque hæc est Detrahentium conditio, remotissima à vero de noxis dolore, remotissima à voluntate seriò reparandi damnum datum, retractando, quæ perperam asserta sunt; quin & remotissima ab obtinendâ fide, si quando ad famam redintegrandam placuerit dicta revocare, Nodum in fune crasso facilè solveris: at solvere velle in tenui filo serico, irritus labor est. Damnum illatum in rebus, nodus est factus in fune cannabino, quem, si animus obfirmatus sit, non ægrè solvat, sic ut nihil porro reddi debeat. Sed delicatior res est fama, & alterius rationis damnum, quod in hac illatum est. Nodus est serico in filo factus, quem extricare plusquàm difficile sit. Hæc est hominum indoles; proniores sunt ad dandam malo, quàm bono fidem: unde eadem lingua, quæ plurimum potest in honore & æstimatione imminuenda & tollenda, parum aut nihil subinde posse deprehenditur in eâdem reddendâ. Si sidus aliquod noxium plagam orientis Solis, sidus autem propitium occidentis occuper, plus suâ malignitate nocet illud, quàm istud beneficio suo influxu possit: illud enim diuitus nostrum Hemisphærium obambulat. Si laudibus hominem quempiam ornes, non multum abibit temporis, & nemo jam laudum illarum recordabitur; at si vituperes, tam altè in animos opprobrium descendet, ut extirpari vix possit, maximè si vituperium in hominem cecidit suâ aliàs virtute laudatum æstimatúmque. Dici non potest, quàm facilè ejuscemodi hominibus linguæ maledicæ noceant, & quidem absque remedio. Equorum circatrices subnati pili mox iterum vestiunt; cicatrix in viro depilis manet. Ita in hominibus integrâ adhuc famâ, omne vulnus, quo eam lædi contigerit, vestigium sui relinquet & notam, ô quàm difficulter delebilem! *Calumniare*, impia illius vox fuit, *semper aliquid remanet*. Detrahe inimico, nam etsi tempus forsan ejus aliquando innocentiam proditurum sit, manebit tamen in illo, si non vulnus, cicatrix certè, *semper aliquid remanet*. Nunquam ex toto illi abrogabitur fides; quod tam

tam pronis animis creditum est. Fulmina sunt, quæ non comburunt, offuscant tamen: his Detrahentium linguas comparaveris, quæ si in cineres redigere bonam de aliquo opinionem non possunt, saltem illam offuscant. Idcirco non malè affirmârim, quòd sicut divinus ille Spiritus de Cœlo lapsum in Apostolos, linguas eorum cœlesti ardore accendit, eósque in Gratia stabilivit? ita spiritus Detractionis è styge emersus, & Detrahentium animos occupans, linguas eorum accendat ardore infernali, eósque in statu reponat desperationis confirmatæ.

XXVII. Prævideo, quòd ad jam asserta responsuri sitis; quòd si, qui audiunt, fidem dictis adhibere nolint, si quando vos redere famam cupiatis retractando, eósque laudando, quos calumniâ aliquâ imperieratis; nihil tum penes vos noxæ residere, infelicitatis hoc vestræ esse, vestræ imbecillitatis, & propterea vos ad plùs non obstringi. Ita sanè est, verùm an nescitis effatum illud Legis? *Qui non habet in ære, luat in corpore.* Metuo ego, ne justus Judex Deus nonnunquam hanc ipsam normam sequi velit; sic, ut qui obligati ad reddendam Proximo æstimationem, reddere eam non valent, luant eam in animâ, multis privati benignissimi Dei Gratijs, quibus adjuti, operati essent salutem suam, destituti autem, ejus ipsius jacturam subituri sunt. *Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa; propterea Deus destruet te in finem.* Amâsti linguam idoneam ad, præcipitandos homines à te infamatos in fossam tam altam, ut inde ex toto emergere ipsis nunquam liceuerit: quâ de causâ Deus tandem pro meritis tecum aget, téque æternùm destruet ac perdet. *Ps. 5. 4.*

XXVIII. Pronis igitur auribus animisque admittite aptissimam illam Spiritûs Sancti admonitionem, *Attende, ne fortè labaris in linguâ, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem. Attende* Tibi, tuisque rebus invigila. Qui domi suæ satis habet, quod agat, quid necesse est alienas eum domos obire? *Attende, ne fortè labaris in lingua.* Perpende, quòd Detractio non sit lusus hominum otiosorum túte tibi persuades, sed sit periculum, cujus vel sola umbra ad sedulam te custodiam vigilantiámque excitare debeat. Non satis est frivolè dicere: *Ita assuevi; jam aliter non possum.* Tantò tua noxa erit gravior, quantò frequentior. Si fera evadat semel, & damnum det, Lex Dominum non eo rigore obligat ad illud reparandum; obligat tamen eundem, si fera sæpius ita erumpere consueverit. Divus Bonaventura tribus de causis linguam homini data affirmat: ut Deum laudet, Proximum ædificet, & se accuset, At Detractor nullo respectu fines à Deo intentos omnes violat, & pessundat. Deum ita graviter lacessit, ut illum Deus oderit. *Detractores Deo odibiles.* Proximo occasionem delinquendi præbet, aut in Detractionis societatem aç communionem eum *Inst. l. qua drupes paupet. in c. 11. Luc. Rom. 1. 30.*

pertrahendo, aut excitando, ut vel in auditâ Detractione se oblectet, vel ijs, qui non audierant, malè providus enarret. Suimet autem exitij causa est, quia res suas eo loco constituit, in quo salutis vix ulla, si tamen ulla, *Mid.* spes superst. Jure ac meritò Gentium Apostolus Detractores in eorum numero reponit, qui dati sunt in reprobum sensum, & derelicti à Divinâ Justitiâ in manu perversæ voluntatis suæ, ac desideriorum; cùm sit pronum admodum è Christianis aliquem ob Detractionis peccatum æternùm perire: idque vel quia ad castigandum ejus fastum, in eadem, quæ in alijs reprehenderat, delicta ac sordes, & fortè etiam majores, labi permissus est; vel quia velut per ludum ac jocum detrahere solitus, nunquam verâ pœnitudine delictum suum retractat, atque adeò veniam nunquam meretur. Psaltes Regius os Detra- *Ps.108.* ctoris, *Os peccatoris* appellat, perinde *9.* ac sic Detractor præ impijs alijs omnibus, & per antonomasiam *Peccator* dici mereatur, usque adeò totus in peccatis sordescit.

XXIX. *Ne fortè labaris in linguâ, & cadas in conspectu Inimicorum insidiantium tibi.* Initio offendes, tantùm levia quædam & minoris momenti errata proximi carpendo; sed deinceps paulatim Detractionis dulcedine inescatus cades omino in conspectu Inimicorum Animæ tuæ, qui miris modis sibi plaudent; satis gnari, quàm profunda sit vorago, in quam & alios impellis, & temet etiam ipsum præcipitem agis.

XXX. *Ne labaris & cadas, & fit casus tuus insanabilis in mortem.* Atque hoc est, quod præ alijs motivis omnibus absterrere vos debet à casu & præcipitio tam formidando, à Detractione inquam & imminutione famæ alienæ; quia casus hic fermè remedio caret, & sic prolapsus, perit, quin unquam resurgat. Neque damnum proximo illatum reparari potest, neque quod vobis ipsis infertis.

XXXI. Non potest resarciri damnum alteri illatum; quia verba, ut vulgaris habet parœmia, manubrio carent, quo retrahi & revocari possint, ubi semel ex ore eruperint: & ita quamvis facili negotio Proximi famæ noceatur, tollatúrque ejus existimatio, summè tamen arduum negotium est, eam reddere. Lanam albam non magno artificio colore nigro tinxeris: at quis erit artifex, qui nigræ candorem suum restituat? Accedit & illud, quod intra primos limites non sistat Detractio, sed fermè semper augescat, haud aliter ac Ecchо vocem eandem crebrò multiplicat. Vix excidit vestro ex ore vox in vituperium Proximi, cùm illam torâ mox in vicinâ repeti ac replicari auditis. Decidit nonnunquam ex summis Alpium jugis exiguus nivis globulus: sed ille inter cadendum aliâ aliâque nive adhærescente, auctus in tantam molem excrevit, ut integros vicos & oppida ad Alpium radices sita oppresserit & vastârit. Similes strages non semel lubrica lingua edit, quæ occultum Proximi dedecus uni duntaxat manifestando, paulò pòst illud per alliorum

ora

era vagatum sic auctum videt, ut familias integras vastet, tot siniſtris tumoribus & loquacitate vaniſſimâ oppressas.

XXXII. Si porrò irreparabile damnum est, quod Proximus patitur, quomodo, quod vobis ipsis creatis, resarcietur? Et Charitas & Justitia, à vobis tam malè habitæ vindictam semper magnis clamoribus repetent: *sit casus insanabilis ad mortem.* Mortem hanc timere sibi debet anima vestra, si alijs tantùm infert nocumenti: credere potest se ex numero esse infelicium illorum papilionum, qui dum lucernam extinguunt, seipsos comburunt. Non ita sit posthac, Auditores chariſſimi, attendite diligenter: nimium quantum gravis jactura est exponere Animam periculo morbi & valetudinis valdè ancipitis, licèt denique sanitatem recuperet: quid erit igitur, si agatur de morbo non periculoso tantùm, sed de morbo, qualis est, de quo agimus, plerumque insanabili? *Attende, ne fortè labaris in linguâ, & cadas, & sit casus tuus insanabilis in mortem.*

DISCURSUS XXX.

De Mendacio.

1. INter diversa supplicia, quibus variæ Reſpublicæ Mendacium mutare solitæ sunt, illud præ ceteris mysterio plenius esse videtur, quo Artaxerxes, sapientissimus Persarum Rex, hanc noxam vindicabat: tribus enim stylis suam mendacibus linguam perforari jubebat. Non miror Reges Persas magnopere exosos fuisse omne mendacium, cùm constet, antiquo illius Aulæ more receptum fuisse, ut summo studio eorum filijs inculcaretur non à Disciplinarum tantùm, sed etiam Morum Magistris ac Præfectis, nequid unquam veritati dissentaneum loquerentur. Quid autem tria illa vulnera, quibus mendacem linguam castigabant, significent, non perinde assequor: neque operæ pretium censeo, multum in eâ re pervestigandâ laborare: unum potiùs aliquod, quod triplici illâ plagâ portenderetur, arcanum supponam arbitrio meo; quod si verè à Persis significatum non est, par tamen fuit, ut significaretur. Digna enimverò est cujuslibet mendacis lingua perfossione triplici, ut triplex plaga respondeat offensæ, quâ, qui mentitur, offendit Naturam, Rationem, Fidem. Atque circa hanc materiam hodiernus meus Discursus versabitur, cujus verba opto, ut plùs quàm unquam non viva modò, sed penetrantia sint, ut transfodiant, si non linguam nocentem, animum saltem eorum, qui me audituri convenerunt.

II. Pri-

II. Priusquam tamen ad transfigendum accedam, dicendum priùs: in tres
S. Tho. 2. 2. q. 110. a. 2. species Mendacium à Doctoribus plerúmque distingui, quas desumere placuit ex triplici illo fine, quo quis ad mentiendum potest induci. In primâ specie Mendacium est, quod officiosum appellant; éstque id, quod alicujus utilitatis, propriæ aut alienæ, causâ profertur. Alterum constituit Mendacium jocosum, cùm scilicet animi tantùm causâ, & quia ita lubet, falsum sciens quis loquitur: Tertium est Mendacium, quod Damnosum dicunt; cùm scilicet mentiendo vel bonum proximi, vel Dei honorem quis lædit. Sicut autem non omnes serpentes perinde noxij & venenati sunt, ita non est æqualis mendaciorum omnium malitia. Mendacium officiosum malum est; quia cùm sit offensa Dei, consequens est, majus malum esse, quàm sit totius hujus Mundi interitus. Plus in se malitiæ Mendacium jocosum continet; quia cùm & ipsum Dei offensa sit, fine tamen & motivo leviore profertur. Omnium deterrimum est mendacium damnosum, cùm non solùm mendacij rationem contineat, sed, contrà quam alia, etiam noceat: ita ut si, quod sæpe fit, juramento firmetur, videatur humana lingua non aliud nocentibus posse venenũ evomere. Quapropter, quæ hodie dicturus sum, etsi de omnibus Mendacijs accipi debent, non tamen de omnibus eodem modo, sed proportione quadam, sicut quò unum quodque ex genere suo & suapte naturâ funestius est, hoc ab illo magis abhorrere debeatis.

III. Nunc ut ad primam meam assertionem redeam, dubitari nequit, quin omnis mendax Naturam offendat: hæc enim in operibus & actionibus suis fallit nunquam; cùm tamen mendax id unum agat, ut fallat, tanquam degener tantæ matris filius. Vix satis quis explicaverit, quantum Natura, nostri studiosissima, conetur, ut verum semper nobis loquatur. Cùm rerum substantias intimas cognoscere non possimus, ut in se sunt, quid agit? manifestat nobis illas per accidentia, quæ dicimus, quibus ut vestibus involvuntur: nec tamen unquam nos decipit, sic ut cùm unus aliquis sensus hallucinando falsum nobis nuntiat, vultipsa, ut alter prioris deceptionem corrigendo, verum citra controversiam dicat. Ita cùm oculus remum in aquis contemplatus curvum illum aut fractum refert, mox tactus oculi errorem detegit, & remum rectum esse ac integrum demonstrat. Et quamquam facultates nostræ sensitivæ omnes conspirarent, ut mendacium nuntiorum partes agerent, Mentem tamen Natura nobis dedit ad detegendos ratiocinando sensuum errores sufficientissimam. Hinc fit, ut de illâ curâ, quam habet Natura, ne in errorem & deceptionem inducamur, certi, non dubitemus etiam judicium ferre de cælestibus substantijs, earúmque virtute occultâ, licèt tanto à nobis intervallo remotis. Sic sanguineus ille Martis color facit, ut turbas & strages suspicemur: Saturni verò color plumbeus metum in nobis excitat malefici ejus sideris influxus; cùm Jovis ac Veneris,

ris candida & amœnâ lux fausta ac benigna præsagire jubeant: & sic tùm de singulis cæteris Planetis, tùm de fixis, & tantò altiùs à Terræ gloriæ oberrantibus Stellis disserere possumus. Unde, si quod res est, dicere volumus, non aliud est homo hoc in Mundo; quàm discipulus, cui, quoquo se vertat, Natura aliquam veritatem velut prælegendo tradat. Sed, quod dolendum, discipulus est adeò indocilis, adeò Disciplinarum non capax, ut in Scholâ Veritatis non aliud faciliùs, & meliùs discat, quàm quomodo novas fraudes texat. *Docuerunt linguam suum loqui mendacium.* *Jerem. 9. 5.*

IV. Neque verò necesse est homini vagari per alia, ut documentum hoc, dicendi verum, capiat; cùm Natura illud nobis ratione quadam prorsus singulari in structurâ & fabricâ humani corporis demonstret. Observârunt nonnulli, duos esse in lingua nervos, quorum altero cum cerebro, altero cum corde connectatur: quâ re Natura docere voluisse videtur, quem ob finem nobis de tam præstanti instrumento prospexerit: qui alius non est, quàm ut intelligamus, linguâ eodem tempore cum utraque hac facultate omnino concordem esse debere, sic quidem ut cerebri beneficio prudenter, cordis verò ope sincerè loquatur. Quapropter qui mentitur, dubio procul linguâ abutitur, & indignus est, cujus os tam nobili organo instructum sit; haud aliter ac eâ indignus esset, cui non serviret nisi ad mugiendũ cum tauris, latrandum cum canibus, aut grunniendum cum porcis. Omnes proin certissimò in animum inducant, haud quaquam permissum esse homini, linguâ suâ pro arbitrio uti, ut eâ utitur Psittacus: sic enim illâ utendo naturæ ordinem confundimus, & turbamus sublimes illius fines, nostrâ culpâ non inutile modò, sed & noxium efficiendo admirabile vocis artificium. Id quod artifex in machinæ horologæ indice conficiendo spectat, est, ut iste cum fide loquatur foris, quidquid intus rotæ in bonum aliorum velut meditatæ sunt. Pari ratione Natura in formanda lingua unicè spectavit, ut hujus organi ope sincerè & sine fuco animi nostri sensa manifestemus. Quapropter sicut Index mendax artificem suum dehonestat, ita lingua mendax hominis loquentis privatim perinde ac publicè Naturam offendit.

V. Atque hoc tantò ampliùs, quòd hæc Naturæ illata injuria etiam in Rationem redundet, quâ illa tota nititur. Non suâ tantùm causâ, aut bono conditus est homo; sed etiam aliorum. *Nemo sibi soli natus est*, ac proinde quidquid valde repugnat bono commercij & societatis humanæ, necesse est fateri, quod etiam magnopere repugnet rectæ Rationi, quæ hominis propria est. Hæc autem si ita se habent, perpendite, quid magìs adversari huic commercio possit, quàm Mendacium. Sanè, etsi plurimùm mutuo inter populos commercio officiat moneta adulterata, plus tamen detrimenti ex abusu sermonis redundat. Et tamen, qui ne assem quidem adulterinum in crumẽna sua paterentur, *S. Tho. 2. 2. q. 109. ar. 3. ad 1.*

illi ipsi omnem in id solertiam atque industriam conferunt, ut fraudibus plenum animum habeant, quibus Proximum circumveniant, illúmque misere deludant: ex quo abundè constat, quàm Mundo huic exiguo in pretio sit veritas, quæ si tanti fieret, quanti sit aurum, Mendacij crimen acerbioribus supplicijs vindicaretur, quam crimen pecunias adulterantium; eísémque referri ijs publici carceres, qui modò majori numero Principum Palatia, quàm rusticas casas inhabitant. Quid, quæso, nobis futurum esset, interrogat S. Joannes Chrysostomus, si membrum nostri corporis unum alteri mentiretur? si oculus diceret manui, flores esse carbones, & carbones flores: si diceret pedi, scorpiones esse formicas, & formicas scorpiones; si diceret palato cibũ esse venenum, & venenum cibum? an non miserrima esset nostra conditio, & non semel tantùm quotidie mori necesse esset? Sic autem proportione quadam Mendaces rerum ordinem in Republica turbant, quæ est quoddam corpus mysticum, tot constans membris, quot sunt hominis, ex quibus illa conflatur. Unde horrabatur Apostolus: *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum Proximo suo, quoniam estis invicem membra.* Atque hoc tanti momenti est, ut meritò ad perpetuum silentium impostores mendacissimi damnari deberent, *Muta fiant labia dolosa.* Verè enim quod adulterium conjugiis, hoc humanæ societati mendacium est: Perfidia est summè noxia: unde par esset, veritatis amantes à falsiloquis æterno divortio sejungi, ut ab adultero Sponsa tupiter delusa separatur. Sed major jam est numerus adulterantium veritatem, quàm ut huic divortio sit locus: urbes ac oppida in solitudines abirent, si mendacibus omnibus esset migrandum. Interim negare non possumus, quin, ut unus nummus sincerus ac probus plùs valet, quàm centum adulterini, ita vir probus & Veritatis amans pluris, quàm centum mendaces, sit æstimandus; nec illimet id diffiteri possunt, quibus tamen veritas rarò in linguâ est. Non est major contumelia, quàm si quis in faciem alteri dicat: *Mentiris.* Confestim ad arma curritur, eorúmque ope hæc propugnatur sententia; minus malum esse plagam etiam lethalem, quàm Mendacium nullo injuriæ sensu toleratum. Videte proin stupendam hodie morum perversitatem, dum tam anxiè curamus, ne unquam arguamur illius perfidiæ, quâ nos quotidie obstringere pensi non habemus.

Hom. 13. in Epist. ad Eph.

Eph. 4. 25.

Ps. 30. 19.

VI. Contemplati sumus hactenus mendacem tanquam rebellem Naturæ ac rectæ Rationi: Naturæ quidem, ut ejus opus est, Rationi, ut homo est. Nunc momenta rationum firmiora adversùs mendaces investigemus, demonstrando illos etiam Fidei rebelles esse, ut sunt Christiani. Quæro ex vobis: quis omnium primus in Mundo mentitus est? nunquid Diabolus, quando eâ arte primam feminam in fraudem impulit? non ignota vobis res est. Non alium ergo Mendaces

daces, quàm Diabolum, Magistrum habuerunt; & sanè ille eâ in arte Magister est &: *cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur*, ut ipsa Veritas ait, cùm homo mentiendo tanquam Discipulus alterius ore loquatur. *Nam quod dicis mendacium*, inquit Hipponensis Præsul, *a Diabolo accepisti.* Prototypon monstri hujus in linguâ Diaboli est; ectypon in linguâ hominis Christiani. Observare autem & modum, quo hæc cordis & oris dissonantia tam execrabilis in Mundum invecta est. Tam illa fœda est atque deformis, ut Dæmon eam aperta fronte proferre non sustinuerit: figuram serpentis induit. *Serpens decepit me*: miro Dei consilio, qui eo facto docere voluit, quàm venenata & pestilens Mundo sit illa primi falsitatis Magistri doctrina. Et istud unum non sufficiat, Auditores, ad horrorē vobis incutiendum? His tamen graviora supperunt. Dæmon non Magister tantùm mendacij, sed & Pater est. *Mendax est, & Pater mendacij*, & quidem generatione horribili, cùm sit è diametro oppositā Generationi æternæ primæ Veritatis. *Quomodo Deus Pater genuit Filium Veritatem: sic Diabolus lapsus genuit filium Mendacium*, pergit S. Augustinus. Hinc medio mendacio Mendaces tam arcto cognationis vinculo obstringuntur Lucifero, ut in ejus jus transisse, & toti ejus esse videantur: id quod ingenti deberet esse incitamento ad veritatem absque ullo fuco semper dicendam, ne quidquam cum maledicto hoc Patre commune habeamus. *Cavete, fratres, mendacium*, monebat S. Ambrosius, *quia omnes, qui amant mendacium, filij sunt Diaboli.* Leonem ajunt nullius belluæ carni tam avidè inhiare, quàm simiæ, ut quâ devoratâ febriles illos suos ardores, quos quarto quoque die constanter patitur, mitiget: è diverso à nullo animali adeò abhorret, quàm à gallo, cujus solo conspectu in fugam agitur, maximè si gallus ille plumis sit albicantibus, ut S. Ambrosius observavit. Haud aliter profectò homines isti aut ficti, aut ad fingendum apti nati, quorum symbolum sunt Simiæ, lectissimus stygij Leonis cibus sunt, ejúsque ingluviem insatiabilem quoque modo explent: si quos è diverso timet ac fugit, non alij profectò illi sunt, quàm Veritatis sincerè studiosi, quorum imagò gallus est, Gregorio Magno attestante; hic siquidem & horas stabiles, & tempestatum mutationes fide semper optimâ nuntiat, & cantu suo indicat.

Jo. 8. 44. Tract. 42. in Ioann. Jo. 8. 44. Lib. de Abrah. S. Ambros. l. 5. Hexam. apud Salazar. c. 10. Prov. n. 74.

VII. At Deus tanto in veritatem studio fertur & amore, ut ad eam ignoranti Mundo manifestandam grande illud iter peregerit è Cœlo in Terras, & ex Throno Majestatis suæ ac Gloriæ ad opprobrium Crucis suæ. *Ego in hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati.* Unde mirum non est, mendacium in ejus oculis tam fœdum ac monstrosum esse; ut sæpius in SS. Paginis Peccatum mendacij nomine compelletur, Peccatores verò mendaces; perinde ac si inter ista discriminis nihil intercederet. Nec id temerè, sed gravissimis

Jo. 18. 37.

ex cauſis: nam ſi rem aliquantò ſolertiùs examinare libeat, deprehendemus, nullum eſſe Peccati genus, quod non aliquo modo Mendacio ut parte ſanè exitiali conſtituatur, ut ſic miſtum illud teterrimum duplici veneno peſtilentiùs noceat. Et imprimis quidem quisquis peccat, ſibimetipſi mentitur: *Mentita eſt iniquitas ſibi*: cùm ſibi proſperitatem ex peccato ſpondeat, quod reapſe malorum omnium maximum, & caput eſt: & ſic impio cuivis occini poteſt id, quod Daniel ſenibus illis mœchis & calumniatoribus: *Rectè mentitus es in caput tuum*: cùm nullum omnino peccatum ſit, quod ex ſe natum non ſit ad perniciem maximam in ipſius delinquentis, caput regerendam. Præterea prima ferè noxa, quâ ſe parvuli obſtringant, Mendacium eſſe ſolet; & idcirco, ut natura de lacte Matri tum proſpicit, cùm vicina eſt partui, ita & Dæmon facere velle videtur tanquam naturæ ſimia: priùs enim quàm voluntas humana turpiſſimum peccati abortum in lucem edat, proſpicit illi de lacte hoc venenato Mendacij, quo natus educetur. An non cernitis furta, fornicationes, adulteria, perjuria, fraudes, homicidia, & quidquid uſpiam abominabile humanus animus parturit, Mendacio ſuſtentari? hoc creſcunt, hoc ſe conſervant, & multorum annorum ætatem ferunt: cùm ſine Mendacio vix eſſent ephimera. Mendacio delinquentes, tanquam Gygis annulo, obſervantium oculis ſe ſubducunt: & quamquam fures ſint nunc auri, nunc honeſtatis, tam ſecuri incedunt perinde, ac ſi forent cuſtodes: & quamvis Lupi, Paſtores tamen creduntur. Fingamus Mendacium toto Mundo expelli & ejici: cum ipſo ſcelera migrarent cetera, quæ absque hac propria ſibi larvâ vivere diu præ pudore non poſſent. Nonnunquam, cùm non reperiretur carnifex, qui reis meritam necem & ſupplicia inferret, permitti oportuit, ut quis larvâ tectus triſti miniſterio fungeretur, eâque conditione admiſſâ plures inventi ſunt, qui iſtud non abnuerent, cùm omnes ab eo refugerent, quamdiu operiendi vultûs gratia facta non erat: ſic illimet, qui cogniti & apertâ fronte erubeſcerent, actus aliquos turpes; Mendacij larvâ velati, nullo jam metu eosdem perpetrant. Videtur proinde mihi Mendacium in Mundo illo fungi miniſterio, quod in Republica aliqua peragit, apud quem latrones ac graſſatores publici aſylum inveniunt: dum enim eos Lictorum ac Satellitum indagini ſubducit, dum eos hoſpitio occultè accipit, dum ijs de neceſſarijs proſpicit, alitque, dum eorum furta, rapinas ac cædes verſutè occulit, furatur ipſe ac mactat non duabus tantùm manibus, ut fures ac latrones ipſi, ſed manibus omnium, quoſcunque ille ſic juvat & regit.

Pſ. 26. 18.

Dan. 13. 55.

Pro 30.

VIII. Atque hanc fuiſſe cauſam exiſtimo, ob quam Tertullianus acutè Mendacium appellavit *Miniſtrum cupiditatis*. Quidquid enim in animo humano eſt affectuum & appetituum perverſorum, Mendacijs ut manibus

Lib. de Idol. c. 11.

manibus pedibúsque ad perpetrandum omne malum, ad quod aspirant, utuntur. Castigat Mater Filiam, quòd licentiùs agat cum impudente aliquo, & ne in tenebris quidem cum eo versari erubescat, *absit hoc*, inquit confestim astuta, *malè feriata linguæ sunt, quæ ista de me spargunt; à malevolis & invidis sunt excogitata, falsa sunt omnia.* Quin & Deus in testem vocatur, nec execrationibus parcitur. *Comedit, & tergens os suum dicit: non sum operata malum.* Sic & adulter ille (apud quem conjux, justo Zelo irritata, quòd nimiùm crebrò illum certas ædes frequentantem viderit, accerbè queritur) miratur querelarum causam, sanctéque asserit, se cum allarum ædium inquilina diebus non operarijs animi duntaxat causâ colloqui, fessum totius hebdomadæ laboribus. An echinum non observastis? qui ad furandum poma & quatuor pedibus, & ore multis dentibus armato instructus est: sed quamprimùm strepitus aliquis Venatorum canúmque auditur, jam ille nihil est, nisi pila acutissimis spinis aspera; non pedes, non os, non dentes videntur; sed ne halitus quidem percipitur, ita totum se intra se colligit. Simile quid in Peccatoribus notare licebit: toti in se, ut in centrum, se contrahunt; & armati involutique spinis mille excusationum & effugiorum, ab omni noxa puri ac innocentes apparent: quis interim animos illis addit, quis juvat, quis vires & robur subministrat ad tot nova scelera perpetranda, quàm Mendacium? *Minister cupiditatis.* Hujus Administri fraudibus vetita indies continuantur commerica, lascivorum turpitudines, usurariorum pacta ac conventiones, perjuria in Tribunalibus, commoda & utilitates aliorum injurijs quæsitæ, proditiones, lites injustæ, inimicitiæ & odia intestina, &, ut rem verbo, servatur & protegitur omne genus iniquitatum, quibus omnibus Mendacium arma subministrat, non ad sui contra omnem assultum defensionem tantùm, sed & ad alios offendendos idonea. *Minister cupiditatis.* En primum illum peccati in amplissimo illo suo Regno, non bello minùs, quàm pace administrum, Mendacium. Sepiam aiunt, ubi ova pepererit, eadem sparso atro illo suo liquore solidare. Nec alius Peccatorum mos est. Mendacijs funestos suos partus solidos reddunt, ne diffluant, & vix nati pereant.

Prov. 30. 20.

IX. Atque hæc si ita se habent, an non Mendaces vobis videntur illi tam abominabiles: *Rebelles lumini*: dum unâ eadémque operâ opponunt se & resistunt lumini Naturæ, lumini Rationis, & lumini Fidei? Et tamen inter Christi etiam Sectatores tam modica hodie veritatis cura est! *Ut quid quæritis Mendacium?* In eorum ignominiam Regius Propheta clamat. Nostísne, quâ re non modica hominum pars occupetur? venando Mendacia. Qui plura ceperit, præfertur alijs, & tanquam ingenij acumine præcellens laudatur; cùm è diverso qui mentiendi artem non callet,

Lib. de Idol. c. 11.

tanquam hebes & stupidus derideatur. In Mendacio spes reponitur acqirendi bona, quibus inhiatur,
Isa. 28. 15. *Posuimus Mendacium spem nostram.* Mendacio ut clypeo tutos se fore confidunt, quibus gravium malorũ minæ sunt intentatæ. *Mendacio protecti sumus.* Mendacio se alij jactant & mirè gloriantur, frustra prohibente Apostolo: *Nolite gloriari & Mendaces esse adversus veritatem.* Verbo, Mendacium rapidissimi instar torrentis eò usque auctum est, ut perruptis omnibus aggeribus omne solum nullo jam obice inundet, hoc est, omne humanum commercium, negotia omnia pervadat. *Maledictum & Mendacium innundaverunt.* Quin aquarum istarum cumulus usque eò nonnunquam assurgit, ut altissimos etiam montium vertices superare velle videatur: vult inquam Mendacium etiam in functionibus sanctissimis locum habere. Non intelligetis, quod dico, nisi clariùs mentem aperiam. Assero proinde, non deesse nonnullos, qui non hominibus modò, sed & Deo mentiri non erubescant: & nescio quâ verecundiâ inconsulrâ præpediti, sacris etiam arbitris culpas suas negent. *Filij scelerati* in peccato committendo; *semen mendax*,
Isa. 57. 4. in confitendo. Et verò non temerè appellantur *semen mendax*, sed quòd primogentiæ eorum substantiæ partes non aliud, quàm Mendacium & falsitas esse videantur. Ejusce farinæ feminam scribit S. Cyprianus testis oculatus ita à Deo fuisse multatam. Interrogata hæc à Sacerdote de delicto suo, negavit rotundè ejus se sibi conscium, neque vitam suam tam gravem esse, quàm aliorum suspicio præciperet: auxit hanc impudentiam illo eodémmet actu, quo eam tegere cogitabat. Ausa est cum alijs ad Divinissimum Epulum accedere intrepida, confidens, ut Sanctus ait, se, ut nos ejus Ministros fefellerat; ita Deum ipsum fallere posse. Verùm Ipe suâ frustrata est infelix. Dum enim cæleſtem dapem sumit, illa magno prodigio in cultrum versa est, & gulam miseræ inter glutiendum dissecuit, sic ut non modo confestim animam exhalârit, sed tactâ etiam cruoris copiâ perfussa sit, ut victimam referret in templo illo, veritatis honori jugulatam. Sanè quem suggestio prava eò deducit, ut mentiri illum in sacro Confessionis Tribunali non pudeat, meritò Sathanæ filius appellabitur. *O plene omni fallacia, fili Diaboli!* Cùm Dæmonem lineamentis suis tam ad vivum referat, qui ita se gerit, ut solo hoc indicio internosci possit, quòd ad eum pertineat. Act. 13. 10

X. Sed omittamus tam enormia peccata, quæ quamquam non admodum infrequentia, communia tamen non sunt. Quod in vitâ Christianorum deploro, est, quòd videam, quàm latè Mendacium dominetur, sic ut pro Pœnitentiæ tribunali se de illo vel Reos non agant, vel si agunt, in speciem tantùm id agant, eò progressi, ut dicere non vereantur; aliter fieri non posse, si quis inter alios in Mundo vivere velit; si vitæ ducendæ media conquirere, si vendere, si quod

lucellum

lucellum reportare: perinde, ac ficut Polypus servare vitam non potest absque atro illo suo liquore, ita nec homo vitam tueri possit absque Mendaciis; adeò destinato animo illa profert. *Locuti sumus de corde verba Mendacij.* Hoc errore tenebantur Mercatores duo Colonienses, qui cùm coram sacro Judice Mendaciorum se accusâssent, quibus identidem uterentur in negotijs, ab illo increpiti sunt: sed responsum is aliud non tulit, quàm: si à Mendacijs absisterent, non diu pòst sibi fame pereundum. Sit hoc ita, reposuit Sacerdos; atqui haud paulò minus malum id esset, quàm ignis supplicio fraudes vestras luere. Quamquam hoc ipsum, quod affirmatis, à vero non parum abludit. Certos vos reddo, quòd fide bonâ & sincerè agendo lucraturi potiùs sitis, quàm jacturam passuri. Hac spe ac promissione animatus mercatorum uterque sanctè adpromisit, se integri anni decursu emendo, vendendóque, deliberato saltem animo, & scientem volentémque, Mendacium nullum dicturum. Et verò steterunt promissis, sed non exiguo suarum officinarum damno; cùm ne medietatem quidem mercium vendidissent, quas antehac vendere consueverant. Unde ad Sacerdotem reversi, testati sunt, se porro datam fidem servare non posse, cùm necessitas ab ijs Mendacia extorqueat, nisi decoquere mox ambo velint. Non oportet, excipit Presbyter, tam citò animos despondere: pergite & annum alterum, & perspicietis, quantò Veritas præ Falsitate divites vos reddere possit. Dei nomine secundam vobis fortunam addico. Atque ita omnino evenit. Cùm enim fama de mercatorum istorum præ ceteris sincerâ & incorruptâ fide longè latéque spargi cœpisset, tot illa emptores attraxit, ut unius spatio anni, veritatem semper locuti, plus longè lucrifecerint, quàm decem annis, cùm strenuè mentiri solerent. Utinam documentum hoc & alij Christiani observarent; næ illi manifestè experirentur, quàm secundos successus Numinis providentia veridicis indulgeat. *Non inveniet fraudulentus lucrum.* Divini Spiritus effatum est. Nam etsi is subinde opes aliquas colligit, tam malè tamen parta non possunt dici, possideri; evanescunt enim, & velut in fumum abeunt; aut instar montis sunt arido è sabulo erecti, quem primus ventus difflat & disjicit. *Non inveniet fraudulentus lucrum.* Ad quod ipsum Ecclesiasticus alludere visus est, cùm dixit: *Noli arare Mendacium adversùs fratrem tuum.* Qui enim ad arandum, Mendacium adhibet, Proximum dolis circumveniendo, videtur sibi colere agrum fertilem, planéque felicem: tandem autem se in arenoso solo operam perdidisse deprehendet.

Isa. 59. 14.
Cæsar. l. 3. c. 37.
Act. 19. 18.
Prov. 12. 27.
Eccli. 7 13.

XI. Sed demus: succedant suæ Mendacibus fraudes, & opes magnas lucrentur, quodnam tandem hoc lucri genus est? Lucrum piscis est hamum glutientis; qui dum sibi egregiâ prædâ potitus videtur, subin-

de

de piscatoris se prædam factum dolenter advertit. Optabilior proin semper erit conditio pauperis, sed sinceri, quàm divitis, & fallacis.

Prov. 19. 22. *Melior est pauper, quàm vir mendax.* Quòd qui credere modò non volet, credet enimverò, cùm ex Regione Mendaci, præsenti scilicet hac vitâ, translatus ad Regionem veritatis, quæ est vita futura, apertis repentè oculis manifestè cernet, quòd fictiones & fraudes mortem animæ afferant. *Os quod mentitur, occidit animam.*

XII. Primorum seculorum Christiani, qui Fidei lumine colluſtrati suis res omnes momentis sapienter æstimabant, ita ab omni falsitate

Apol. 2. abhorrebant, ut, S. Justino Martyre teste, mallent persecutionum tempore necem subire inter tormenta acerbissimam, quàm vitam quacunque fictione aut simulatione servare. Nobilissima & complura ejusce rei exempla afferri possent; sed ne excurram longiùs, unum sufficiet S. Antimi, Episcopi Nicomediæ perquam celebris. Maximianus Imperator, in diriſſimâ illâ vexatione, quâ omnem Ecclesiam insectabatur, viginti milites miserat, qui Virum Sanctum, tanquam præcipuum sinceræ Religionis eâ in urbe fulcrum, ad necem quærerent. Accidit autem, ut, quos dixi, milites S. Præsulis sibi ignoti aliquando ædes intrarent, & quâ ejusmodi mominum genus solet, libertate cibos sibi parari petierent. Annuit promptissimè Præsul Sanctissimus, & convivium illis instruxit, quàm potuit, lautissimum, ipse accumbentibus servire dignatus, eâ verborum officiorúmque humanitate, ut militum animos sibi penitus devinciret, nunquam per omnem vitam quemquam in se tam prompto & sincero animo beneficum expertos. Interim inter prandendum quærunt ex hospite suo milites, ecquid noverit Antimum aliquem, Christicolarum Antistitem, quem ipsi jussi sint captivum adducere ad Imperatorem, ab eo certissimò neci dandum. Ad hæc Præsul: non novi tantùm hominem; sed ipsus ego sum, quem quæritis: non est, quòd porrò vestigando fatigemini, en habetis, quem vultis. Attonuit milites hæc Viri Sanctissimi juncta beneficentiæ mirabilis constantia, eâque causâ unanimi consensu decreverunt redire ad Imperatorem, eique dicere, Antimum à se, quantumvis sedulò vestigatum, haud quaquam inventum: ut hac ratione vitam Viro tam in se benefico servarent. Non ita fiet, respondit Antimus, neque enim ijs, qui Christum colunt, aut mentiri, aut ut id alij faciant, suadere ullâ ratione permissum est. Eamus, eamus omnino ad Cæsarem, ego siquidem me mortuum potiùs, quàm vos Mendaces cupio: sicque eos secutus fortissimo animo, vitam subinde inter cruciatus atrocissimos posuit, ut verè se Fidelem probaret, qui, dum sacræ illi undæ affunderentur, palàm Patri Mendacij renuntiâsset. Quid igitur sentiendum nobis est de illis, qui propemodum Matrum adhuc ulnis gestari jam

Men-

Mendaces evadere incipiunt ? *Erra-*
Ps. 17. *verunt ab utero, locuti sunt falsa.* Ne-
46. cesse est fateri, non esse legitimos sanctæ Fidei partus: *Filij alieni mentiti sunt ei.* Nec dignos nomine Christianorum, nisi veracitatis posthac studio tales se probent; ut olim Græcos inter nemo Imperator appellari merebatur, nisi ritu solenni & publico jurasset, se verum semper dicturum: quæ ipsa etiam causa fuerit, cur Christus Patri æterno Fideles suos commendans hanc potissimùm
Jo. 17. in ijs notam desiderârit: *Pater Sancte;*
15. *sanctifica eos in veritate.*

XIII. Istud tamen addendum hîc censeo, ut, quam tradidi, doctrinâ ampliùs declaretur; quòd non semper censendus sit mentiri, qui partem tantùm veritatis aperit, partem alteram tacitam silentio involvit; Mercatorum more, qui partem telæ aliquam explicant, alteram convoluram relinquunt, ut res postulare videtur. Ita Abrahamus Isaaco filio suo indicavit quidem, ire se ad sacrificandum Deo, quam autem esset immolaturus victi-
Gen. 22. mam, tacuit. *Deus providebit sibi*
2. *victimam, fili mi.* Nec tamen quisquam Abrahamo notam falsidici inusserit: aliud enim denique est, falsum loqui, aliud non omne, quod verum est, enuntiare. *Aliud est fal-*
c. 22. q. *sum dicere, alind est verum tacere.*
2. cap. Falsum nunquam, cujuscunque spe-
Nequis tati commodi causâ, proferendum
ex S. est: adeò humano ab ore perpetuò
Aug. exulare debet: potest tamen vir sa-
inf. 5. piens verum dissimulare, & non manifestare illi, qui jus ex nobis quæren-

di non habet. *Non est licitum Mendacium dicere ad hoc, quòd aliquis alium quocunque periculo liberet*, S. Thomæ doctrina est, *licet tamen ve-* 2. 2. q.
ritatem occultare prudenter sub ali- 110. ar.
qua dissimulatione. Discriminis ratio 3. ad 3.
hæc est; quia, non mentiri, inter illa *Laym.*
præcepta est, quæ negativa dicimus, *l.* 4. *tr.*
& semper absq; exceptione obligant: 3. *c.* 13.
dicere autem verum, est inter præ- *n.* 10.
cepta Affirmativa, ac proinde est præceptum ejusmodi, quod suo tantùm tempore liget, uti & alia ejusdem generis, quæ non quovis tempore observanda sunt: unde arcana summâ fide celanda sunt, & vel interroganti non manifestanda: cùm hæc non sint depósita, quorum clavis alteri, quàm Domino, committi possit. *Qui fidelis* *est animi*, qualem esse debet quemlibet, *celat amici commissum.* For- *Prov.*
tasse ex vobis, qui quærat; quid 11. 13.
& quomodo agendum, si impudens aliquis & importunus nihil non agat solicitando, instando, ut à vobis extorqueat verum, quod secretum esse oportet? huic respondeo, non unum duntaxat esse modum, quem Prudentia in ejusmodi occasionibus dicter, habitâ ratione personæ, quacum res est, & attentis tam causis, quàm rerum adjunctis singulis: non esse tamen promptum, dare documenta, quæ ubique serviant & semper. Suadeo proinde, ut hoc in negotio assuescatis illius uti consilio, quem conscientiæ arbitrum delegeritis, qui rectiùs vos docebit, quid hoc, quid illo in eventu responderi, quid non responderi conveniat, ne erretis. *Ne despicias narrationem*

Eccli. 8. 9. 12. *Presbyterorum Sapientum*, hortatur Sapiens, *quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.* Mirum proinde vobis videri non debet, si ad hos Doctores, Magistósque, rerum vestrarum magis gnaros, & intima vestra pernoscentes, recurrere vos jubeam.

XIV. Hoc mihi unicè cordi est, ne quis vestrûm hinc abeat, quin secum statuat, quod magnus ille Jobus ijs verbis. *Donec supereſt halitus in* Job. 19. 17. *me, lingua mea non meditabitur Mendacium.* Non cujusquam mali metu, non ullius boni spe patiar me induci ad quidquam posthac amandum & dicendum, quod verum non sit. An refugitis Auditores amantissimi, ita decernere? audite ipsum Deum hoc à vobis postulantem. *Ante om-* Eccl. 37. 20. *nia opera tua verbum verax præcedat te.* Facem tibi in cunctis, quæ operaberis, veritas præferat. Sic securi eritis à mille præcipitiis & casibus, à mille sceleribus, in quæ tandem præceps ruit, quisquis Mendacium ducem habet. *Qui loquitur Mendacia,* Prov. 19. 9. *peribit.* Non aliâ de causâ tantum confiditis in Mendacio, quàm quia ipsam perspectum non habetis. Decetero, si attento animo rem perpendere, momentísque suis librare velletis, deprehenderetis, nihil esse honestius, nihil magis decorum, quàm in omni morbo veracem esse; nihil deformius ac fœdius, quàm fallere mentiendo. Quanti vos illum facitis, cui fidem jam habeat nemo? Mercator est, cujus bona sub hastâ venierunt, non est qui ipsi credat. Et tamen huc sensim recidat necesse est, qui Mendacijs assueverit: paulatim enim suâ se fronte produnt fraudes, & quantumcunque tenebras consectentur, coguntur clarâ in luce comparere. *Qui Mendacia loquitur,* Prov. *non effugiet.* Quis unquam argentarius magnis opibus ditatus est, qui 9. 5. non nisi adulterinam pecuniam palàm exposuit? & tamen minore negotio istud videtur fieri posse, quàm ut emergat, & dignitatem constanter tueatur, quisquis vel in commercijs, vel in Magistratibus obtinendis, vel in quibuscunque suis commodis promovendis Mendacijs & fraudibus ut instrumento est usus. *Subvertet grando ſtem Men-* Isa. 28. *dacij.* Vera proinde & recta pru- 17. dentia est, ubique & semper loqui verum, sed & nôsse, quando loquendum sit: haud aliter ac prudentis est, nunquam expendere, nisi monetam justam probatámque, & simul nôsse, quando & quomodo expendenda sit. *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat* Prov. *confidenter.* Neque enim is formi- 10. 9. dat, ne alius à se comparere debeat; haud aliter ac qui larvâ vultum non contegit: cùm tamen qui nequiter agit, tandem sit cognoscendus: *Qui autem depravat vias ſuas, manifeſtus erit.* Neque enim nequitiæ larvâ tam constanter tegere faciem potest, ut non aliquando amoveatur. Ita Deus monet: & nos dictis ejus fidem non habebimus? & tamen mentiri ille & fallere haud quaquam potest, contrà quàm nos. *Impoſſibile eſt mentiri* Heb. 6. 18. *Deum,*

Deum. Fidamus proin ipsi, & firmissimè staruamus servare, quod ipse jussit verbis illis suis Evangelicis: *Sit autem sermo vester, Est, est; Non non* quandoquidem, *quod his abundantius est, à malo est.*

XV. Revocate in memoriam, Mendacium Dæmonis esse filiam: *à malo est.* Et idcirco præterquam quòd nequam, proditrix, & effrons sit, insuper tam est fœda, ut si vel semel suo illam vultu contemplari liceret, repentè mortui concideretis, non aliter ac Ananias cum Saphirâ conjuge suâ, qui, si Doctorum aliqui rectè sensêrunt, extincti sunt solo illo horrore, quem in ipsis excitavit clara cognitio monstrosæ turpitudinis Mendacij communi consensu asserti: quamvis inter officiosa tantùm Mendacia numerari deberent; etsi negari non potest, quin alia quoque ejus gravitatem exaggerârint.

Vid. Cor. à Lap. in act. c. 5. v. 5. §. notant.

XVI. Sed nec illud considerando præterite, cui animam vestram discrimini exponatis, dum Mendacio portam ad omnia flagitia aperitis. Fruſtra quæretis vitia in animo veritatis unicè studioso: *Præeunte veritate nunquam chorus vitiorum subsecutus est.* Ut sapiens ille Philosophus rectè pronuntiavit. Unde Mendacium à vobis arcendo, omnibus etiam flagitijs aditum præcluditis.

Plato l. 6. de Rep.

XVII. Tandem & illud nunquam animo excidat, vos gravissimo periculo salutem vestram exponere fraudibus & Mendacijs frequentatis. Inter septem enim illa, quæ Deus odit, secundo loco Salomon reponit: *Linguam Mendacem.* E diverso tam cara illi est lingua verax, & cor sincerũ, ut profiteatur, se illis vitam æternùm beatam mercedis loco præparâsse *Voluntas ejus in ijs, qui simpliciter ambulant.* Quid igitur in rem nostram dicemus, cùm coram Tribunali Judicis divini, tam veritatis studiosi, sistemur? prô, quàm tunc fraudes nostræ omnes ut fumus vanescent! quàm tum optabimus unicè, linguam potiùs nunquam accepisse, quàm illâ abusos esse ad finem, tam ab illo differentem, cujus unius causâ illa nobis concessa est! Quantus nos horror occupabit, memores, quòd toto vitæ nostræ decursu instrumenta & adjutores fuerimus Diaboli, cùm ipse fuerit architectus fraudum, quas nos verbis factisque struere adlaboravimus! *Fabricatores Mendacij.* Non ita posthac, Carissimi; si hactenus dileximus vanitatem & Mendacium, amemus jam Veritatem, cùm hanc tam ad amussim à nobis postremo illo die exacturus sit Deus. *Veritatem requiret Dominus* Si elaborando, ut similes simus Patri Cœlesti, ejúsque nos divinis propensionibus conformando, indubitatâ spe præcipere poterimus, quòd tanquam filijs obventura sit æternæ hæreditas gloriæ per omne deinceps ævum fruendæ; quæ in ipsa æternæ veritatis visione consistit, conspecta ut est in se purissima? adeò illa non peregrino sub schemate visa, potens est ad totum videntis animum sui amore inflammandum.

Prov. 4. 17. *Prov. 12. 20.* *Job. 13. 4.* *Ps. 30 14.*

DISCURSUS XXXI.

De Peccatis, quæ solâ cogitatione admittuntur.

I. QUo potissimùm necessaria sunt ad munimentum quodlibet ab hostiũ oppugnatione & insidijs strenuè defendendum : Vigilantia & Robur. Illa insidijs præcavet : Istud vim arcet. Et verò has ipsas artes bellicas Divinus à nobis Spiritus exigit verbis illis Proverbiorum pulcherrimis & aptissimis : *Omni custodiâ serva cor tuum.* Hoc enim est dicere : Arcem animi tui nullo non defensionis genere custodi. Defende, inquam, illam vigilantiâ summâ, ne aditus hosti pateat, ad illam per insidias occupandam accedenti : defende illam fortissimè resistendo, cùm vim ille adhibet ad expugnandam. *Omni custodia serva cor tuum.* Sed qui tandem sunt implacabiles animi & cordis nostri hostes, contra quos Deus nos tantâ solertiâ, tantâque fortitudine & audaciâ armatos esse jubet? Sunt cogitationes pravæ, hostes occulti æquè ac violenti, contra quorum artes ego vos hodie quàm diligentissimè obarmem necesse est : sic ut vos tam occultis eorum technis, quàm eorum violentis assultibus probè cognitis, conatibus eorundem invigiletis, ut neque dolis & artibus vos circumveniant, neque apertâ vi vos expugnent : nec enim de nihilo, aut tribus capellis, sed de animâ, sed de omnibus, quæ habetis, agitur. *Omni custodia serva cor tuum, quia ab ipso vita procedit.*

II. Ut divinos oculos res planè nulla, ita nec humanorum cordium intima, & arcanissima effugiunt. Ita nos docent verba Ecclesiastici : *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Atque hæc causa est, ob quam omnes inter Legislatores unus Deus etiam cordis peccata prohibeat : *Non concupisces domũ Proximi tui &c.* Quia nimirum solus ille cognoscere potest, quando solo animo & cogitatione peccetur. Humanæ Leges furta, non furtorum desideria vetant : vetant cædes, sed desideria hominem aliquem è medio tollendi non vetant : vetant adulteria, sed non adulterandi voluntatem. Et si quis ambigeret, an ullum uspiam exter præceptũ, quo desideria etiam prava proscribantur, advertat, an uspiam puniantur. Si enim non puniantur, ne prohibentur quidem. *Nam*, si Doctori Angelico credimus, *illud propriè cadit sub præcepto legis, pro quo pœna legis infligitur.* At Deus, ut vetat, ita desi-

c. 23. 28.

Exod. 20. 16.

desideria perversa severissimè etiam vindicat: nec aliunde discriminis hujus petenda ratio, quàm quia, ut constantissimum est, qui leges ex hominibus condunt; ea solùm in homine cognoscunt, quæ foris apparent, non aliter quàm qui machinam horologam undique clausam ex solo horarum indice cognoscit. *Homo videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* 1. *Reg.* 16. 7. Ita nimirum, sicut faber, seu artifex machinæ etiam; quæ intima illius sunt, totúmque ejus artificium pernovit, rotarum peccantium motus à non peccantibus discernit, corrigit; ita humani cordis Conditor Deus operis sui secretissima obtutu pervadit: *Spiritum ponderator est Dominus.* c. 13. 28.

III. Hinc est, quod antequam Christus ipse Servator veniret, humanique cordis peccata nos doceret, illa maximam partem latèrent ignota; imò videtur affirmari posse, quòd etiam remedio caruerint. Antiqua siquidem lex, divino licèt ore tradita non tamen (tanquam promulgata populo rudi & indocili) tot interritus, quibus vestium, vasorum, ciborum, domorum, supellectilium, & totius hominis fiebat purgatio: tot inter Sacrificia propitiatoria pacifica, expiatoria, ullum erat lavacrum purgandis animi maculis paratum, Sacrificium ullum eluendæ culpæ destinatum: hinc Angelicus: *Pro interioribus actibus certa Sacrificia non injungebantur in lege.* S. Th. 2. 2. q. 84. ar. 3. ad 3. Venit ergò Legislator ipse, & ad radicem ipsam malorum evellendam, eam oculis omnium exposuit, docuitque ex ea, pravis, inquam, desideriis, vitia cetera omnia progigni; testatus inter cetera, ut quis alieni thori violator dici queat, solum cor & animum sufficere: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam jam mœchatus est eam in corde suo.* Matt. 5. 28. Et verò Hebræorum olim nonnulli eò ignorantiæ devenerant, ut in opere externo solo totam rationem peccati consistere existimarent. Sed dicamus quod res est; nec inter Christianos hodiéque deesse videntur, qui tam turpem & supinam insciantiam imitentur: hi enim cùm quotidiè in consortijs, ad quæ accedunt, in conventiculis nocturnis, dum invisunt, dum procantur, sexcentis desiderijs lascivis consentiant; quia tamen subinde illa re ipsâ non explent, nec opere destinata exequuntur, ab omni se labe purissimos existimant; neque verò Dæmon, qui probè advertit, quàm sibi ipsis miseri illudant, multum in eo operæ ponit; ut ad desiderata prosequenda, & executionem impellat; cùm, quod spectabat, jam obtinuerit; & mortem animæ intulerit nequissimis cupiditatibus, quas excitavit. Accipitrum genus est, quod ex captâ improvidæ alicujus volucris prædâ aliud non devorat, nisi aut cor, aut cerebrum. Dæmon neutri parcit, sed improvidorum ejusmodi mortalium cor devorat, dum voluntatis solius consensum & approbationem turpium objectorum extorquet: subinde & cerebrum absumit, dum efficit, ut quæ cogitando peccarunt planè contemnant; & tan-

quam rem minimè malam, inter confitendum cetera peccata, omnino prætereant. Reliqua quæ de prædâ superſunt, ſæpe nequam ille ne tangit quidem: ſed cui bono?

IV. Prô quæ iſthæc inſcientia eſt; nihili facere, & ſacro Judici non aperire peccatum, quia animo ſolo commiſſum; Perinde hoc eſt, ac febrim negligere, quia illa intimas tantùm per fibras graſſatur, nec foris vel calore nimio, vel membrorum agitatione ſe prodit: cùm plerumque tum ſit maximè peſtifera, cùm tota intus latet. *Si exteriora frigent, interiora calent cum ſitî, lethale.* Juvenem illum obſervate, qui facie marmor refert; nec verbulum obſcœnius unquam loquitur, pravitate exempli offendit neminem, nullam de ſe ſuſpicandi occaſionem cuiquam præbet: interim intus uritur ardoribus effrenis deſiderij, qui illum conſumunt; & ſiti flagrat ardentiſſimâ bibendi ex ciſternâ, quantumvis lutulentâ; ſed tantum animi non habet, modò quia meruit ignominioſè repelli, aliàs quia erubeſcit deprehendi. Diſertè edico; Juvenis hujus res peſſimo loco ſunt; nec præſagire de ſalute ejus poſſum, niſi triſtia & funeſta: febris enim & maligna, & occulta eſt: ut maligna necem affert; ut occulta, remedio caret. Nemo de miſero cogitat, nemo malis ipſis mederi ſatagit, corrigit nemo: ipſemet, cùm morbum ſuum non agnoſcat, ſanus ſibi videtur ut qui maximè; interim mali interni vis eſt maxima & omni, hecticâ febri infecto, dereriùs laborat. Vix manè ſomnum diſcutit, cùm, priusquam de ſtrato ſe proripiat, jam occurrunt imagines fœdæ, circa quas vis imaginatrix, voluntate dormitante & permittente occupatur, illorum utique ex numero, de quibus Propheta loquitur: *Diluculo ſurgentes corruperunt, omnes cogitationes ſuas.* Si S. Joanni Climaco credimus, reliquos inter Dæmones unus eſt, qui *Præcurſor matutinus* appellatur: cùm enim hæc ipſi credita ſit provincia, ut ad lectum dormientis excubet, ad præcipiendum alijs omnibus locum in corde excitati; mox, ubi dormiens ſomnum excutere, & aperire oculos cœperit, fœdas imagines facultati imaginatrici proponit, ſicque mentem primus occupat. Qui aliena in tela pingit, & picturam, & telam retinere poteſt, ita permittentibus legibus, quæ, tanquam benignæ, pictorem, ejusmodi in eventu, ad plus adſtringere non ſunt auſæ, quàm ut pretium telæ domino reddat. Nos igitur cùm è ſomno ad rationis uſum revertimur, telæ inſtar ſumus puræ; & idcirco Dæmon ſi in ea orcinam quandam imaginem primus expreſſerit, utramque ſibi vindicare vult, picturam & telam; & verò utramque poſſidet, absque eo, quòd quidquam de Jure ſuo cedat; adeò nihil his ex peccatis commodi percipitur. *Diluculo ſurgentes corruperunt omnes cogitationes ſuas.*

V. Ceterùm ut mali hujus curationem ab ipſis ſuis principijs aggrediamur, ſciatis velim, quòd ſicut Bonitas atque rectitudo, ita & perverſitas ac malitia actionum noſtrarum exter-

Hipp. l. 4. Aphor. 48.

Sophon. 3. 7.

Grad. 28.

Inſtit. l. 2. de rer. div.

externarum, quas facultates effectrices producunt, ab actibus internis voluntatis imperantis pendeat. *Voluntas est, quâ peccatur & rectè vivitur.* D. Augustini sententia est. Si Belli Dux quispiam pudendo timore perculsus equum in fugam concitet, fuga hæc quidem effectus equi est effusis habenis currentis: sed totum fugæ probrum & dedecus in sessorem redundat frenum moderantem, qui illum ab hoste aversum cursu præcipiti se ex prælio subducere compulit. *Voluntas est, quâ peccatur.* Unde homicidium e. g. non nisi materialiter, ut Scholæ loquuntur, consistit in externo actu, quo vulnus hosti infligitur; sed vere ac re ipsâ perversitas tota & peccati ratio à voluntate est, quæ brachio ictum imperat, quamvis ille cum Dei mandato pugnet, clamante: *Non occides.* Atque ita, ut Sapiens loquitur: *Cogitatio stulti Peccatum est:* illa siquidem facultas, quæ malum sola cognoscit & appetit, improba est præ alijs, & quod ipsa concepit venenum, externas in operationes transfundit, ut radix in ramos. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* En, ingentem scelerum colluviem, quæ omnis, Christo affirmante, à perversa voluntate derivatur. Proinde quod Deo nos abominabiles reddit, cordis malitia est, quæ ersi foras non erumperet, sed tota intus se contineret, non ideò minùs improba foret: huc proinde præcipuum studium conferri oportet. *Lava à malitia cor tuum, Jerusalem, ut salva fias,* hortatur Jeremias, *usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Non manus duntaxat sordidas abluite, Peccatores, sed si salvi esse cupitis, ante omnia sordes animi & cordis vestri sunctas abstergite. Ut quid serpentes pestiferos cogitationum sinu vestro, tanquam nido, fovetis tanto tempore, & molliter collocatis? *Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?*

VI. Priusquam ad alia transeam, hæc me Prophetæ verba & loquendi ratio impellit, ut vobis edisseram, quomodo cogitatione solâ peccemus. Advertite igitur Propheram non dicere, ne cogitationes noxiæ in cor Hierusalem intrent; sed verare, ne inibi morentur, *usquequo morabuntur?* In morâ siquidem ista spontanea ratio peccati consistit. S. Augustinus moram hanc illicitam, quâ humano in corde cogitationes pravæ perdurant, explicat per id, quod statim à Mundo condito in terrestri Paradiso contigit. Nostram ibi ad perniciem tres operam junxere; serpens, Eva, & Adamus. Serpens Evæ suggessit violationem præcepti divini; Eva probavit, & Adamo eandem suasit: Adamus acquievit suasioni, & reipsa prævaricatus est. Serpens suggestionem pravæ cogitationis repræsentat: Eva appetitum inferiorem & animalem, cui arridet vel utilitas, vel delectatio peccato conjuncta: Adamus, ut dominus, voluntatem refert, quæ suggestioni consentiendo Peccatum perficit, & perniciem ac mortem Animæ accersit: ita, ut

Lib. 1. Retract. c. 9.

Sophon. 3. 7.

Grat. 28.

Inst. l. & 2. de n. rer. div. vis.

Prov. 24. 9.

Jerem. 4. 14.

L. 1. de Serm. Dom. in mont. c. 12.

ut si voluntas assensum non præbeat, & pro eo, quòd manum ad pomum, seu rem quamlibet vetitam, extendat, eam à se cum stomacho rejicit ut veneniferam; quamlibet præcesserit & suggestio, & appetitûs, quam dixi, inclinatio, hactenus Peccatum non est, saltem lethale, nec anima moritur. Sicut humano generi mortem non accersisset Dæmonis invidia & tentantis nequitia, neque feminæ comestio, nisi vir & ipse assensum præbuisset.

S. Tho. 1.2.q. 81. ar. 5.

VII. Verùm quia animi ac cordis motus affectúsque non alienos tantùm, sed & nostros oculos sensúmque fugiunt, observate in re præsenti duobus modis voluntatem cogitationibus pravis assensum præbere: consentit nimirum desiderio, ut cùm quis ulturus injuriam decernit secum hostem è medio tollere; & tacitus de modo viáque eum tollendi deliberat: consentit etiam simplici approbatione, quando læsus ille, post cædem inimici perpetratam, de illa gaudet, Tigridis instar, quæ labra lambit, devoratæ prædæ cruore madentia. Hæc delectatio morosa dicitur, à morâ, quam in eâ trahit voluntas cum plenâ malitiæ cognitione. Et hanc moram noxiam adductis verbis Propheta increpat: *Usque quò morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Cùm prioribus verbis innuisset, desideriorum pravitatem esse abominandam, *Lava à malitia cor tuum Jerusalem, ut salva fias.* Res proinde postulat, ut utrumque sedulò attendatur, à Juvenibus maximè, qui ejusmodi documento præ aliis indigent. Ac proinde, quod ad desiderium spectat, ne quæso deinceps inducatis in animum, vos non peccasse, quia quod desiderâstis, non estis executi. *Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur.* Ut sapiens loquitur. Non qui *facit* tantùm, sed & *qui cogitat* facere. Cujus rei ratio est, quam magnus Augustinus affert; quia, *qui talia cogitat; etsi nihil mali alicui faciat, facit plurimum sibi.* Tantúmque sibi facit mali, ut tanquam crudelis inimicus occidat Animam suam. *Qui diligit iniquitatem, odit Animam suam.* Et idcirco sicut serpenti non tunc, cùm mordet, venenum nascitur, sed venenatus fuit, priusquam morsu quemquam appeteret; ita culpa fermè non tum primùm contrahitur, cùm fit opus vetitum, sed jam tum contracta est, cùm de eâ executioni mandandâ constituerum est, & ipsa executio non tam malos reddit, quàm antè jam fuisse ostendit. *Tales si occasiones invenient, non mali fiunt, sed manifestantur.* Quod autem ad approbationem, seu complacentiam spectat, Juvenes illi, qui in suis cum altero sexu amatorijs colloquiis toties de eo verba faciunt, quod ipsis in eo cœlibum statu permissum haud quaquam est, sed solùm licitum fit, cùm conjugio illigantur, & si verbis eâ de re abstineant, saltem cogitatione illam sibi repræsentant, cauti sint, quia si scientes tunc videntésque in eo objecto delectentur, animum suum gravi noxâ delectationis morosæ commaculant, quæ momento unico

Prov. 24. 8.

in Ps. 93.

Psal. 6

unico mortem potest Animæ afferre.

Arist. l. 2. gen. an. c. 4. n. 44.

VIII. Ut rem paucis ; naturæ ordine cor in animali postremum moritur : sed ordine morali primum : & ubi hoc, voluntario assensu in malum grave, læsâ fuerit, necesse est, ut omnis Animam vita deficiat. Id quod tum maximè usuvenit, cùm cœptum quidem, sed non perfectum malum est. Et tamen tunc quoque non desunt, qui crassâ quadam ignoratione rem, ut par est, non æstiment, sed nihili pendant. Erit, qui personam pudicitiæ studiosam aut precibus, aut promissis ad flagitium solicitet : qua, quam debet, repulsam accipit, de tentato dein flagitio se in sacrâ confessione non accusat, perinde ac si planè insons esset: Et tamen eo in casu geminum peccatum commissum est ; desiderii scilicet turpis, & scandali manifesti, quibus non charitas minus Proximo debita, quàm Temperantia & Pudicitia læsa est. Quid interest igitur eventum dein desiderio non respondere, nec istud opere compleri ? In criminibus læsæ Majestatis, quibus omne Peccatum lethale accenseri meretur, machinationes puniuntur, etiam non fortitæ effectum. Quid refert, quòd partus scelestus in lucem non edatur ? conceptus jam erat, nec per te stetit, quo minùs nasceretur. Etiam humanæ Reipublicæ Legibus constitutum est, ut qui in utero latent partus, tanquam editi supponantur. *Qui in utero sunt, in toto pene Iure civili intelliguntur in rerum naturâ esse.*

l. qui in utero, ff. de stat. hom.

IV. En igitur cogitationum nostrarum initia progressúsque, quibus, quantâ potest diligentiâ, in custodiâ cordis nostri oportet invigilare, juxta illud Moysis : *Cave ne fortè subrepat tibi impia cogitatio.* Sed quid tum consilii, cùm assultu violento hostis arcem oppugnârit ? Vigilantiæ tum Robur ac Fortitudo jungenda est, sic ut ad hostis conatus frangendos ad mortem usque, si res postulet, decertantum sit. *Omni custodia serva cor tuum.* Sanctum Indiarum Apostolum Franciscum Xaverium impurus Dæmon dormientem aggressus fœdam objecit imaginem, cujus ille horrore tanto perculsus est, ut vel dormiens obniteretur tam vehementer, ut ruptâ pectoris venâ evigilans multum sanguinem spueret. Enimvero abunde mihi fieret satis, si vos vigilantes vel dimidium ejus conatus in resistendo adhiberetis, quo dormiens obnisus est Xaverius. Sed quis ferat, quòd Christianorum non pauci, cùm simili assultu cor eorum aggrediatur Dæmon, portas omnes latè pandant, pontes versatiles dimittant, & oppugnantibus tanquam amicorum optimis, aditum confestim concedant ? Multum aliqui sibi agere videntur, si nihil agant, & hostem neque juvent, neque illum arceant. Sed istud neutrarum quasi partium studium mihi quidem videtur manifestus favor, quo hostem prosequimur ; & hoc, non consentire, tacitum consensum reputo ; maximè si animus ullo modo ostendat sibi ejusmodi suggestiones displicere.

Deut. 15. 9.

Hic illud locum habere existimo, quod Lex dicit: *Pater consentire videtur nuptiis filii, quibus non contradicit.* Dum enim appetitus animalis propendet ad se cum objecto illo vetito quasi connubio jungendum, si voluntas penitus non obsistat & renitatur, tacitè saltem, atque obliquè consentire creditur: idque tanto certiùs, quòd se aperto exponat discrimini, consensu non dubio admittendi delectationem, quam ne tenui quidem signo sibi probat non arridere. Non est proinde, quod existimetis, delectationem morosam ideò dici, quòd illa diu duret, cùm momento unico compleri possit & absolvi; morosa dicitur à morâ, quâ voluntas de eâ vel admittendâ, vel repudiandâ deliberat; cùm illam mox ac adverteret, oporteret rejicere. *Delectatio dicitur morosa, non ex mora temporis, sed ex eo, quòd ratio deliberans circa eam immoratur: nec tamen eam repellit, tenens & volvens libenter, quæ statim, ut attigerunt animum, respui debuerunt.* Quæ est diserta Angelici doctrina. Quamquam autem res ista Animabus Deum timentibus religionem ac scrupulos injicere haudquaquam debeat, quæ assuetudine constanti & habitu, vel ab umbrâ Peccati abhorrent, planéque ab illo alienæ sunt; qui tamen vix aliquo DEI timore tanguntur, est quod hîc jure ac merito metuant.

V. Laymann. l. 1. tr. 3. c. 6. l. sicut. c. de Nupt.

S. Th. 1. 2. q. 74. ar. 6. ad 1.

X. Igitur ut in hujusmodi assultibus certi simus ac securi, nos hosti non cessisse, re ipsâ, & apertè resistere optimum factu est; quod fit aut divinam opem implorando, aut animum aliorsum avertendo, aut profitendo, quòd nunquam quacunque vel spe, vel metu, suggestioni tam inprobæ velimus consentire. Hoc si fiat, recalcitret licèt animalis appetitus, & voluntati rebellis se in re turpi objecta oblectet, nihil inde in voluntatem damni redundabit, cùm, ipsâ insciâ & invitâ, perduellis subditus cum hoste paciscatur. *Inter alios acta, aliis non nocent.* Quin fieri potest, ut hoc certamine ingentis fiat lucri accessio, dummodo Animus se opponat fortiter, & reflante etiam vento, ut Nauclerí assolent, utatur ad portûs ostium subeundum. Ita observare licèt, quòd Deus miro Providentiæ suæ consilio permittat, ut puritissimæ & pudicissimæ mentes plusquàm aliæ vexentur & affligantur tentationibus ad fœda solicitantibus, ut S. Catharinæ Senensi factum scimus: ut nimirum, dum solicitatæ, contrariæ virtutis exercitatione animosissimè obluctantur, decus castimoniæ longè excellentius acquirant, quàm priùs habuerint, pace quidem ac tranquillitate, sed non Triumphis inclytum. Sic Aurifaber: ut vasi suo pretioso plus splendoris conciliet, cinereo illo suo velut unguento totum oblinit, ut externis sordibus absterstis clariùs jam micet, & illustriore splendore refulgeat. Deus verò ex eo, quòd servos sibi charissimos, fidissimósque fœdissimis suggestionibus solicitare permittat, id consequitur, ut illi majore animi ardore ac studio ad ipsum confugiant; sibi ipsis majori demissione

l. si. tit. C. si. inst.

diffi-

diffidant; periculis, quæ fugâ & obverso celeriter tergo vitari possunt, non se committant, sed ea solertissimè præcaveant; úrque se pluribus armis instruant contra hostes, quos, etsi maximè cuperent, fugere omnino non possunt. Apes hibernâ brumâ suis ex alvearibus non prodeunt, nisi tantillùm per intervalla, ventorum metu, à quibus dispergantur; siqua autem necessitas ad prodeundum compellit, etiam cùm venti atrociùs sæviunt, ne turbine longiùs asportentur, lapillis providè uti nôrunt, ad obnitendum ventorum impulsui, & minore periculo volandum. Par proinde est credere, animas etiam illas DEO gratas inter discrimina cautiores tantùm, & excusso, quem aliàs obrepere pronum esset, torpore, vigilantiores effici.

XI. Summa igitur rei & cardo in eo vertitur, ut magnis animis obnitamur; unde res postulat, ut potens argumentum ac rationem suggeram, quâ vos ad luctam istam animosam obfirmem, tanquam ad cordis vestri defensionem maximè necessariam: id quod aptiùs à me præstari non posse videtur, quàm si Tridentinorum Patrum in rem præsentem verba confideranda vobis proponam. Hi dum de Peccatis agunt, quæ cogitatione solâ admittuntur, affirmant, quòd non rarò Animam graviùs vulnerent, quàm peccata operis; majúsque illi periculum amittendæ salutis accersant. *Nonnunquam Animam graviùs saucient, & periculosiora sunt ijs, quæ manifestè admittuntur.* Hâc tantâ fretus authoritate asserere non dubito; Peccatorem omnibus pravis suggestionibus consentire solitum in statu versari valdè deplorando, sive præsentia, sive futura spectemus.

Sess. 14. c. 5.

XII. Præsentia quidem si spectem, primò me terret multitudo peccatorum, quæ admisit. Non est quidem dubium, quin peccata operum absolutè loquendo magìs timenda sint; cùm magis juvent ac roborent appetitus rebelles, ac pravos habitus: magis perficiant peccatorum fœditatem; & sæpe insuper Proximo exempli pravitate noceant. Unum tamen est, quod peccatis cogitationum proprium, illa reddit perquam pernicioſa, ingens, ut dicebam, eorum numerus, & multiplicatio, quò facilior, hoc formidabilior. *Nunquid apertæ tibi sunt portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti?* Portis his, si Gregorio magno credimus, pravæ cogitationes indicantur, per quas mors peccati ad Animam ingreditur. *Portæ mortis sunt cogitationes pravæ.* Ingreditur quidem etiam per sensus externos hæc mors: illi tamen non Portæ, sed Fenestræ appellantur. *Mors per fenestras nostras ingressa est domos nostras.* Nec hæc appellationis diversitas mysterio vocat. Quod enim discrimen intercedit inter Peccata solâ admissa cogitatione, & externa, quæ sensuum ministerio perpetrata sunt? illud omnino; quod est inter, Intrare domum per januam, aut intrare per fenestras. Ut domum intres per fenestras, scalis opus est, opus est

S. Th. 1. 2. q. 20. ar. 4.

Iob, 38. 17.

Jer. 9. 21.

homine, qui scalas regat, & sæpe aliqui, qui manum scadenti porrigat. Deinde si fur est, qui intrare vult, & non deprehendi, concubiæ noctis tenebras expectet necesse est. Ut autem per portam quis ingrediatur, tam multis haud quaquam opus est; pateat illa tantùm, & tum non dominus magis, aut faciliùs, quàm fur, ingredietur. Ita res nostra se habet. Si Juvenis quispiam Puellam fallere, & illi, ut fur infamis, auferre cogitat thesaurum nobilissimum, quem natura illi & Gratia contulerint, Decus inquam Virginitatis, quod machinis opus est, ut per fenestras ingredi possit? Necesse est, incidere in Puellam planè stultam, quæ venalem ipsi offerat mercem tam pretiosam, pro pretio incertissimo sponsalium futurorum, quæ tam facilè non servantur, quàm facilè contrahuntur. Hanc ipsam deinde oportet allicere & invitare millies, solicitare precibus sexcenties iteratis, securam reddere contra metus innumeros, quos excitat in ejus animo verecundia: & respectus majoribus & Parentibus debitus. Studiosè vitandus est occursus matris, quam suspiciones non vanæ de occulto tali molimine conceptæ solicitam reddunt & vigilem: observandi sunt vicini, qui mussitant, & palàm edicunt; familiaritatem istam majorem esse, quam ut ferri porro debeat. Metuendi sunt sanguine conjuncti, ne ipsi statuant eluere cruore maculam, quam nequam iste vaferrimus aspergere tentârit eorum familiæ. Quot scalæ, ad intrandum per hasce fenestras! nec tamen istæ sufficiunt: necesse præterea est vetulam illam inducere, ut scalas sustentet, nuntios inquam, ferat, & referat: nec interim etiam sumptibus & crumenæ parci potest, sed tantum manu promptâ & liberali donandum est, quantum exigit, cujus operâ uti placet: excubare quoque oportet utroque oculo vigilem, dum alij dormiunt. Verbo, tot tantisque rebus ad potiundum oprato fine est opus, ut menses nonnunquâ integri abeant, quibus omnia necessaria parentur & præmittantur ad executionem furti pudicitiæ ac honestatis; & quamvis tandem deturbare aquas palustris hujus ac cœdosæ lacunæ, sic tamen bibendum est, ut ex Nilo canes, furtim ac festinando, metu Crocodilorum prædæ imminentium. E diverso ut non unum, sed centena, quin & millena desiderando & cogitando delicta admittantur, apparatu & machinis nullis opus est; patet semper janua: nulla scalarum, internuntiorum, sumptuum, donorum, precum, pollicitationum, timoris necessitas: sufficit amasiæ colloqui, quin sufficit oculos in illam conjicere, aut etiam illius tantùm meminisse. Imò etiam dum somno miser iste Juvenis indulget, ab insidiis concupiscentiæ suæ (ut olim Samson nequam suæ Dalilæ) tutus non est; dum hæc fœdissimis illum spectris infestat, quibus in prædam cedat; séque è somno experrectus ita constrictum jam inveniat, ut victus manus det.

XIII.

XIII. Nemo proinde est, qui numerare facilè possit peccata, quæ ex hac tantâ, cogitando peccandi, facilitate nascuntur. Dæmon dum ad prava desideria, & delectationes invitat, agricolæ seminanti comparari posse videtur: at cùm ad opus vetitum incitat, agricolæ plantanti. Unius anni decursu paucæ omnino novæ plantæ terræ committuntur, aut quia locus eas non capit, aut quia plantandi tempus non est, aut quia sumptibus & labori fructus non respondet, quos ad fossas aperiendas, ad plantandum; ad custodiendum, quod plantarum est, necesse est adhibere. Quantum autem anno quovis uno in agro seritur? nimirum, solo semel proscisso sufficit manum aperire. Equidem si non aliam orcus messem colligeret, quàm operum vetitorum, quàm non essemus beati! Parùm prosperè suum illi negotium caderet. Messis potissima in desideriis consistit, quæ tantillo labore ipsi stant, cùm tamen quotannis tota his horrea repleat. *Superseminavit Zizania, & abiit.* Manum aperit, zizaniorum semina spargit, desideriorum inquam pravorum, & abit. Et cur abit? quin potiùs expectat, ut suismet oculis usurpet incrementa, quæ ipse desiderat? Abit, quoniam satis novit, semen pullulaturum, quin & multiplicandum ingenti numero. Quem ergo non terreat tanta noxarum multitudo, progna-ta ex illâ proclivitate, & facilitate, quâ solâ mente peccatur? Noxæ etiam leves, cùm magnus earum est numerus, magnopere formidandæ sunt: ut qui in urbis alicujus præsidio est miles, quamvis expertus, quamvis armis probè instructus meritò timet multitudinem civium & populi seditiosi. At si tam metuendus est vel minimarum noxarum magnus numerus, quid de numero innumerabili gravissimorum delictorum sentiemus? Formidabilis est exercitus etiam locustarum; & ad parem numerum leonum non sit trepidandum? O infelices animas, quarum ejusmodi est conditio! parùm enim abest, quin dici queat, totam eorum vitam peccatum esse unicum, à manè ad vesperum, à vesperi ad manè, ab exordio anni, ad ejus usque exitum. *Cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore.* Atque ad hanc miserrimam conditionem facilè delabitur homo, quando is à teneris annis excutit frenum timoris Dei, ut quâ voluntas & voluptas trahit, pro arbitrio evagetur, & nullum pratum intactum prætereat. Ita enim tenaciter pix ista stygia adhæresci, ut ab eâ se extricandi modus ac via non appareat; quin etiam, dum ab illa purgare se quis contendit, pronum est contingere, ut ampliùs inficiatur; & dum Confessione eluere vult desideriorum suorum fœditatem, inter ipsum animi explorandi conatum, novâ de ipsis delictis admissis delectatione inquinetur.

Matth. 13. 25.

Gen. 6. 5.

S. Th. 1. 2. q. 78. ar. 4. ad 1.

XIV. Ut porrò de ejusmodi statu aliquid explicatiùs dicam, affirmo, assuetudinem omnis generis pravis desideriis assentiendi duo potissimùm, sanè quàm noxia, post se trahere. Primum est, quòd Animam

reddat omnis sensûs expertem, ac stupidam ; alterum, quòd correctionis spem omnem admittat. Æthiopes in ardentissimâ cæli plagâ natos, educatósque videbimus æstate medâ animi causâ Solis spiculis expositos stare, ubi alias, mitiore se frigidiore cælo natus, sudore totus diffluceret, & tantùm non animo linqueretur. Non aliter infelix aliquis Juvenis, qui ne noverit quidem, quid sit tentanti orco resistere, quantumvis mediis suggestionum in flammis delitias videbitur
Prov. 23. 35. invenire ; ubi alius Xaverii æmulus, sicosdem à Dæmone ignes admoveri senserit, gemitus inter ac suspiria, luctámque fortissimam tantùm non animam ponet. *Verbaverunt me, sed non dolui : traxerunt me, & ego non sensi.* Attollat quantum vult & potest, brachia Dæmon, & ictibus suggestionum immanissimis percutiat conscientiam pravâ assuetudine corruptam, perinde ac mancipium ad nervorum ictus induratum, & obducto collo quasi ferreum, sensum doloris prodet nullum. *Non dolet.* Geminet furorem ac conatum crudelissimus hic antagonista, & animum de consensa in consensum rapiet ; ne tum quidem miserandas de tantâ barbarie & raptatione conqueretur.
Ps 80. 11. *Non sensit.* Nimirum eorum ex numero eum esse apparet, de quibus David ore Deus. *Dimisi eos secundùm desiderta cordis eorum ; ibunt in adinventionibus suis.* Terent semper, non semitam mandatorum meorum, sed nequitiæ suæ, eousque dum reduci nequeant & corrigi : qui alter effectus est assuetudinis pessimæ. Spinæ Echini initio moles sunt, & flexiles, pilorum instar ; temporis lapsu duritie sagittas æmulantur. Conetur quis hominem ejusmodi suis in delictis & diuturnâ perversitate induratum ad bonam frugem reducere : proficiet nihil. Videbit illum explodentem & ridentem monita ac minas tanquam terriculamenta puerorum : non opem divinam implorabit ; ne conabitur quidem, ut suis illis è laqueis se extricet ; tantum abest, ut magno nisu rumpere illos laboret. Rivulus fonti suo propinquus, si damnum & stragem agis tuis minetur, non magno labore aliò derivari potest, & minores in rivulos spargi. At si aliarum undarum accessu, dum longa terrarum spatia percurrere finitur, ex rivo flumen evadat, tum enim vero irritus erit labor aliorsum illum velle derivare : omnes obices perrumpet, omnes aggeres undarum suarum mole transcendet, aut perfringet. Et verò ejusmodi hominum genus malo publico natum, suisque in flagitiis obstinatum, ad integras Provincias pestiferis suis sermonibus inficiendas abunde sufficiet. Assueti enim longo usu non nisi veneno se pascere, non jam venenum, sed cibum lectissimum & suavissimum illud æstimabunt ; & scelera, ac flagitia sua jactabunt ut lepores, ut amœnitates, ut Juventutis impetus minimè coërcendos, quibus sine natura esse non possit, & quos nemo, qui homo sit ex carne conflatus, non sentiat. Refert Rho-
l. 11. *v.* 19. dig nus puellam aliquam à teneris assuetam araneas manducare, & alia venenata

nenata alimenta, tandem temporis lapsu ita evasisse pestilentem, ut solâ oris sui salivâ mortales interficeret. Non dispar est eorũ, de quibus nobis sermo, conditio. Væ illi, quem mala sors tanget, ut ejusce farinæ homini loqui solus soli debeat! sicut ipsi veneno pascuntur, ut cibo, ut inquam pravis desideriis indulgent, tanquam minimè malis ac noxiis, ita aliis non salivâ tantùm, sed voce, similem pestẽ afflant, nisi ab eorum se consortiis segregent.

XV. Nec tamen hic finis malorum. Nam & mortales conditionis tam miserandæ rectè quis avi comparaverit, caveâ clausæ, propè quam accipiter circumvolitet. Bis illa misera est: ob captivitatem inprimis, quâ jam detinetur: deinde ob imminens ab accipitre periculum, qui identidem propiùs ad eam lacerandam devorandámpue advolat. Sic assuetus omnibus pravis desideriis aditum dare, præter calamitatem, quam patitur ex lapsuum suorum facilitate, & numero noxarum continuatarum, est quod jure metuat in futurum, & illud momentum, quo hinc in æternitatem perget. Aut enim mors supervenit improvisa, ut fur, aut aggreditur ut latro vi apertâ & prævisâ. Si improvisa, & nihil minùs metuentem opprimat, sic ut mortuum priùs quàm morientem se miretur; actum est æternum de miserrimo, tanquam tot noxarum reo, & peccatore perpetuo, qui vix sacro è Tribunali egressus, quod, ut vipera evomuerrat, venenum resorbet. Si non ex insidiis, & non opinantem mors auferat, sed vim adhibeat manifestam, sic ut ille sibi migrandum prævideat, assero tum discrimen perdendi æternam salutem esse, si non certum & evidens, saltem multo verisimillimum. Lectum enim illum, quem ejusmodi homo morti proximus occupat, campum dicere possumus, in quo pugnandum illi sit cum orco, majori furore & atrocitate, quàm nunquam aliàs, illum aggressuro. Sanctissimus Genevensium Præsul Franciscus paùm aliquando à mortis confinio abfuerat. Fassus dein est, recuperatâ valetudine, tentatum se tum fuisse à Dæmone sophismatis tam argutis, subtilitatibus tam ingeniosis, ut sanus nihil se unquam tale expertum meminisset. Nemo sibi persuadeat, ita se illo momento tentandum, ut nunc solet. Haud quaquam sanè: periculum enim amittendi tum Animam, maximè diu ante hac à se possessam, Dæmonem ut cautissimum, ita planè ferocem ac crudelem reddit. Nunquam Leo prædam amplectitur & stringit arctiùs, quàm cùm illa fugam molitur: nec Pharao vera & viva Dæmonis imago, unquam tam atrociter Hebræam gentem afflixit, quàm cùm fugam ex Ægypto ipsa meditabatur. Proinde dubium esse non debet, quin quo hinc migrandum est momento, juratus iste hostis oppugnaturus sit viribus majoribus; quàm unquam: & si tum fortè sacra ad præsidia recurrat anima, stimulo id ipsi erit, ut

cona-

conatus geminet, & omnem artem exerat, ne illius jacturam subeat. Quæ autem tunc erit tentationum materia? an verba vocésque impiæ? atqui has vos sæpe tum frustra moliri apprimè novit. An opera? sed videt jam motûs omnis expertes. Solùm igitur cogitationum ea pugna erit, & cordis tantùm arcè totus impetus oppugnabit, quâ expugnatâ, nihil portò, quod vincat, supereſt. Quomodo autem tunc luctabuntur & obnitentur miſerrim Peccatores, cùm viribus adeò exhauſti ſint? quomodo pugnabunt, qui artem tractandorum armorum didicerunt nunquam? Quomodo eludent machinarum curulium vim ac furorem, ſi de aggeribus, muris, propugnaculis, cùm tempus id ſuadebat, cogitârunt nunquam? ſani, impetum, quo propellerentur, non expectârunt; nunc debiles exhauſtique reſiſtent repetitis tanto numero ictibus atque impulſibus? Malè motuo, ne plures uno Infernus incolas recenſeat, qui poſt animum Confeſſione ſincerâ expiatum, poſt omnia ad felicem tranſitum media ſolerter adhibita, cogitatione adhuc aliquâ aut deſiderio dein peccârint, æternúmque perierint. E multis, quæ eâ de re paſſim referuntur, exemplis unum ſeligam, ex quo nemo non multa, ſi velit, addiſcat.

XVI. Alebat domi ſuæ feminam Juvenis, perditè prorſus à ſe amatam, quam ne tum quidem, cùm morbus ad extrema illum deduxiſſet, dimittere cogitabat: unde neceſſe fuit, ut amicorum aliqui, vel invito ægro, eam ex oculis amoverent, & Sacerdotem pium ac prudentem vocarent, qui confitenti operam daret; cùm ipſe improvidus, ne hac quidem de re cogitaret. Venit Sacerdos, & quæ eſſet ægri conditio edoctus diligenter, tam dextrè miſero ægro, támque aptè ob oculos poſuit diſcrimen æternæ damnationis incurrendæ, in quo erat, ut ille periculi magnitudine attonitus in lacrymas ſolveretur, omnémque vitæ tam malè à ſe actæ ſeriem ingenti cum dolore Confeſſario recenſeret; hic autem de lucro animæ, jamjam perituræ ſibi gratulans, lætus alacérque domum repetteret; cùm priùs ægrum animâſſet ad ſtrenuè continuanda propoſita, ac ſenſatam pia domeſticósque monuiſſet, ut, quàm primùm res poſcere videretur, ſe denuo evocarent. Vix Cœnobii ſui limen attigerat, cùm nuntius ſupervenit, referens: ægrum repentino oppreſſum ſymptomate vivere deſiiſſe. Neque hæc Sacerdoti dolendi materia viſa eſt; cùm gauderet potiùs, ſe tam in tempore adfuiſſe ad Juvenem, ceteroquin tam fœdè exerrantem, in ſalutis ſemitam reducendum; ſic, ut ille poſt elutas Confeſſione tam ſeriâ omnes maculas, feliciter utique migrârit. Quare, ut, quæ extremùm ægro impenderat charitatis officia, abſolveret, rectà ad ſacrarium ſe contulit, divinam hoſtiam pro mortuo primus litaturus. Sed en rem ſummo ſtupore dignam! Dum Sacerdos ſacro amiculo caput velare, humerósque tegere parat, vi abditâ illud

ſibi

sibi tantùm non è manibus eripi sentit: pergit tamen, & vestem albam corpori & cingulum aptat; sed idem tum in hoc utroque, tum in ceteris sacrificantis vestibus assumendis experitur, ut nonnisi magnâ cum luctâ, & majori horrore, istis se indueret. Plurimum tamen auctus est horror ac perturbatio, cùm ceteris omnibus paratis, sacrum Calicem manu prehendere, & ad Aram jam nunc accedere destinaret. Videt enim manus duas nigerrimas, quæ vi avulsum è manibus ejus Calicem procul abjecerunt. Tum enimverò gelido sudore perfusus, ingentique angore oppressus, quibus amictus erat, sacerdotales vestes ponit, & in Templum rectâ contendit, eluturus lacrymis qualemcunque noxam, quæ, ut ipse rebatur, impediebat, quò minùs perlitare posset. Hîc provoluto in genua vox ex aliquo templi latere ad aures allabitur, sic eum terrificè compellans: Sacerdos Christi, quid moliris facere? cui ille: Sacrum pro homine paulò antè defuncto facere intendo. Tum vox iterum. Noli frustra fatigari: defunctus ille ego sum, sed flammis æternis addictus. Condemnatus tu æternùm? Quî id, reposuit Sacerdos, quî id fieri potuit? An non hac ipsâ proximè præteritâ nocte noxas tuas omnes mihi Judici aperuisti, idque contritione tam ardenti, dolore tam serio intensóque? Ita est, respondit defunctus, confessus sum, & rite sanctéque confessus; nec tamen id satis fuit. Assuetudo illa pessima, quâ pravis antea suggestionibus assentiri solitus eram, ad Orcum me deinde detrusit. Vix tu, Pater, à lecto meo recesseras, & extuleras cubili pedem, cùm adfuit infernus hostis, & animo species detestabilis mulierculæ, à me antea tam perditè amatæ, objecit. Ego magno animo stygijs his molitionibus restiti, rejecíque à me hostem his verbis: Utinam hanc ego pestem vidissem nunquam, nunquam cognovissem? sed repetijt assultum hostis semel rejectus, mihíque interiores ob oculos posuit: miseram illam & me antehac tenerrimè dilexisse, & modò totam esse in jacturâ mei amarissimis lacrymis deplorandâ. Fleat, dixi, & per me tota in lacrymas abeat, quid ad me? mihi cum hac feminâ nihil porro negotij est, aut erit. Atque ita etiam alter inferni conatus irritus fuit: utinam & tertius! Dæmon certè geminâ repulsâ nihil territus; non miror, inquit, ita te nunc loqui: mors enim, quam times, præ foribus est: sed si discrimen evaseris, tantúmne tibi animi erit, ut charam animulam domum tuam non revoces? ne istud crudele & inhumanum facinus foret! Si evaderem, dixi, parùm antehac ejusmodi certaminibus assuetus, si inquam, evaderem discrimen, facere utique non possem, quin illam denuo ad reditum invitarem, utpote olim mihi tam charam támque dilectam; cùm & ipsa me non minùs diligeret, nihílque non meâ causâ cuperet. Nec pluribus opus fuit, assensu enim isto interno præstito, animam miser exhalavi, quam cum lethali hac noxâ cogitationis sordidam

didam Judex DEUS invenieſſet, jure meritiſſimo æternæ in me damnationis ſententiam fulminavit.

XVII. Quis nunc vobis ſenſus, Auditores humaniſſimi? Audiſtis, quæ ſors fuerit peccatoris illius miſerandi, qui ritè à Sacerdote expiatus, quia tamen reſiſtere pravis deſiderijs & ſuggeſtionibus non aſſueverat, extremum illum ſub articulum iterum aſſenſus, æternum perijt? Nolite tamen ambigere, quin eadem calamitas, ſors eadem funeſtiſſima complures alios oppreſſerit, & utinam neminem veſtrûm eadem extremo excidio admoveat! Equidem nemo eſt, qui non jure metuat: maximè tamen illi, qui bibunt iniquitatem, ſicut aquam, qui jam inde à primâ adoleſcentiâ omni turpitudinis ac ſordium genere ſe commaculant; quorum cor, ut Regiorum palatiorum oſtia, ſemper patet, non noctu minùs quàm interdiu, & nullâ non horâ liber Dæmoni ad illud aditus datur. Quomodo illo in momento ſe gerent miſeri, ex quo pendet æternitas? Demus; non deſit ijs tempus ad animum confeſſione purgandum: etiam re ipsâ ſordes omnes verâ Pœnitentiâ abſtergant: non aggrediatur eos hoſtis orcinus conatu magno, ſed perlevi; an non, quas facilè alij riderent ſuggeſtiones, his ipſi ut gravibus, ob aſſuetudinem illam ſuam funeſtiſſimam, non difficulter aſſentientur? Aqua quò eſt impurior, hoc faciliùs incaleſcit: unde obſervatum olim eſt, aquas Nili, quæ nunquam non multum limum trahunt, vix mediocritatem illius ignis poſcere, ut effervescant, quem aliunde hauſta aqua deſiderat. Nec alia cœnoſorum & paluſtrium horum cordium conditio eſt: parvus ignis ſufficit, ut laſcivis deſiderijs exardeſcant: unde pereunt minimis quibusque rebus, & cum Abſolone ſuis è capillis, nimium prolixis & vagis, inextricabili nodo pendent.

Strab. l. 15. Geograph.

XVIII. Supereſt proinde, chariſſimi AA. ut ſapiatis tempori, & amplectamini, quod Divinus Spiritus Iſaiæ linguâ ſuggerit, conſilium. *Auferte malum cogitationum veſtrarum.* Ingens omnino Animæ malum ſunt peccata interiora, tam gravitate, quàm numero ſuo. Gravitas & magnitudo tanta eſt, ut DEUS interiora cum externis conferens, hæc mala tantùm, illa autem peſſima pronuntiet: *Convertimini de vijs veſtris malis:* en greſſus malos, quos in viâ iniquitatis operibus ipſis facimus. *Et de cogitationibus veſtris peſſimis.* En peccata deſideriorum, quæ ideò forſan peſſima dicuntur, quòd præ alijs minùs agnoſcantur. Pari modo periculoſus ſanè animæ morbus eſt, aſſuetudo corde peccandi, ob ingentem, quo admitti ſolent, numerum, ſic ut vulnus curationem porro non admittat. *Inſanabilis eſt dolor tuus propter multitudinem iniquitatis tuæ.* *Auferte* igitur *malum cogitationum veſtrarum.* Auferte perniciem Animæ veſtræ certiſſimam; auferte malum, quo Magnus DEUS tam graviter læditur,

Iſ. 1. 16.

Zachar. 1. 4.

Jerem. 30. 15.

dicitur, quo salus vestra tanto discrimini exponitur, malum, quod sive in se, sive alijs comparatum spectetur, nunquam non est gravissimum & maximum.

XIX. *Auferte malum cogitationum vestrarum.* Non jubet DEUS, ut auferatis cogitationes malas, sed ut auferatis malum cogitationum; ut amoveatis, inquam, ante omnia earum occasiones, faces, fomenta; tam vigili, oculorum maximè, custodiâ, quàm consortij pravorum fugâ, quàm etiam librorum piorum lectitatione, qui sanctiores & castiores cogitationes suggerant & excitent; divinique verbi, cùm pro concione explicatur, avidâ & attentâ, suo tempore, perceptione. Duplici munimine natura Cor nostrum obsepsit: primum est costarum, quæ foris illud muniunt: alterum membranæ, quâ proximus tanquam fascijs involvitur, tegiturque. Æmulamini & vos providam hanc matrem: munite inprimis cor vestrum extimo piarum actionum âggere; deinde propiùs, animi devoti ad divinam opem postulandam perfugio; quâ solâ non præcavere tantùm & arcere malum possumus, sed etiam jam præsenti mederi; siquidem non erravit Propheta, dum DEI nomine loquens dixit. *Abiit vagus in viâ cordis sui: Vias ejus vidi, & sanavi eum, & reduxi eum.* Nihil autem perinde necessarium est, ac, ubi ejusmodi suggestio animum vestrum pulsat, confestim & nullâ prorsus morâ interpositâ illam rejicere, non autem velut paciscì cum illâ, aut cum Dæmone, quando hic ejus author est. Sanctissimus ille senex Eleazarus vix auditâ violandæ divinæ Legis conditione, absque morâ respondit; mortem se potiùs, quàm transgressionem hanc malle. *Respondit citò, malle se præmitti in infernum.* Et hæc nimirum celeritas, si quidquam aliud, tutos vos in tot periculis præstabit. Tanais, licèt Regiones immani frigore horridas percurrat, nunquam congelascit; tantâ enim velocitate rapitur, ut aquæ condensandi se moram non habeant. 2. Mach. 6. 23.

XX. Verbo, non sufficiat vobis non cedere, non admittere pravitatem: sed repellite actu ipso, & vim vi eludite. *Auferte malum cogitationum vestrarum.* Quod si animalis appetitus obmumuret, et insanum traducite, Jobi exemplo, qui conjugem ut stultam repulit, cùm ista solicitaret ad execrationes, & defectionem à DEO: nec unquam conatus vester nimius vobis videatur, in negotio, ex quo Animæ salus pendet. *Omni custodiâ serva cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit.* Quæ enim aliàs dolendi, quin & desperandi materia; damnari æternùm unius soliùs cogitationis causâ! O Anima infelix, si unquam contingeret te in tantæ calamitatis abyssum ruere tantillæ rei merito, quid diceres? Quàm meritò illud Prophetæ ingeminares. *Venatione ceperunt me quasi avem, inimici*

Isa. 57. 17.

ei mei gratis. Nec tamen æqua querela, nec justus tuus dolor esset; eo enim pretio mercem tibi suam Dæmon vendidit, quâ ipse pro se olim emit. Una cogitatio Dæmonem æternùm miserum fecit: unâ cogitatione effecit, ut & tu æternùm infelix sis. Non igitur jure doles. Quare patere in omne deinceps ævum, & obmutesce: aut si lamentari juvat ac queri, de te solâ querere. Excubemus ergo vigiles ad cordis nostri custodiam, omni conatu illud propugnemus; ut ita arcem, nobis creditam, Christo Regi nostro servando, tanquam fortes & strenui milites; quâ ille die de suis hostibus glorioſus triumphabit, præmijs ab eo maximis æternisque donari mereamur. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in Throno meo.* Apoc. 3. 21.

Finis Primæ Partis.



SEGNERI

Th
3010

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN